BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
17 M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

27

12.3.57
[redacted]

Digitized by Google

JOSEPHI WEISSENBACH
BREMGARTENSIS HELVETII
THEOLOGIÆ DOCTORIS

DE ELOQUENTIA PATRUM

LIBRI XIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IN USUM
ECCLESIASTICORUM.

VOLUMEN III.
Operis LIBRUM III. complectens.

SUPERIORUM PERMISSU.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
SUMTIBUS FRATRUM VEITH BIBLIOPOLARUM.

MDCCLXXV.

ELENCHUS VOLUMINIS III.

LIBER III.
De Eloquentia Patrum *græcorum.*

Diſſertatio I. De eloquentia CLEMENTIS *Alexandrini.*

Caput I. Laus eloquentiæ ejus. - - *pag.* 1
Caput II. Notæ ſpeciales. - - - - - 6
Caput III. Ubi ſe magis diſertum *Clemens* præbuerit? 13

Diſſertatio II. De eloquentia ORIGENIS.

Caput I. Laudatur illa. - - - - - 19
Caput II. Character ejus deſcribitur. - - 24
Caput III. Quid ex reſiduis operibus reſpondeat famæ tantæ facundiæ? - - - - - 31

Diſſertatio III. De eloquentia S. ATHANASII.

Caput I. Elogium eloquentiæ *Athanaſianæ.* - 36
Caput II. Vultus ejus, & lineamenta. - - 46
Caput III. Opuſcula, quibus excellit potiſſimum. - 53

Diſſertatio IV. De eloquentia S. BASILII M.

Caput I. Quam ſingulari & admirabili facundia *Baſilius* extiterit? - - - - - 62
Caput II. Quem ſervet characterem? - - 75
Caput III. Ubi emineat præcipue? - - - - 82

Diſſertatio V. De eloquentia S. GREGORII *Nazianzeni.*

Caput I. Eloquentiſſimum eſſe *Gregorium.* - 97
Caput II. *Gregorium* habere varia in dicendo, uni ſibi propria. - - - - - - 109
Caput III. Quasdam ſcriptionum *Gregorii* præ ceteris facere ad facundiam parandam. - 120

Diſſertatio VI. De eloquentia S. GREGORII *Nyſſeni.*

Caput I. Quanta ſit, & quæ ejus apud auctores encomia? - - - - - - 130
Caput II. Agitur de charactere, & notis ejusdem eloquentiæ. - - - - - - 136
Caput III. Scripta præſtantiora *Nyſſeni.* - - 139

Diſſertatio VII. De eloquentia ASTERII *Amaſeni.*

Caput I. Magni facienda eſſe, quæ ille ſcripſit. - 147
Caput II. Peculiarem eum habere dicendi rationem. 151
Caput III. Quibus locis maxime placeat, & afficiat lectorem? - - - - - 161

Differta-

Digitized by Google

Diſſertatio VIII. De eloquentia S. JOANNIS *Chryſoſtomi.*

Caput I. Panegyris eloquentiæ ejus. - - 165
Caput II. Notæ & characteres in dicendo. - 176
Caput III. Scriptiones præ ceteris admirandæ & legendæ. - - - - - - 201

Diſſertatio IX. De eloquentia SYNESII *Cyrenenſis.*

Caput I. Unum ex facundiſſimis Græcorum eſſe *Syneſium.* - - - - - - - 230
Caput II. Notæ ejus characteriſticæ. - - 235
Caput III. Opuſcula præcipua. - - - - 239

Diſſertatio X. De eloquentia S. ISIDORI *Peluſiotæ.*

Caput I. Pulcherrime ſcribere *Iſidorum.* - 246
Caput II. Facile ab aliis internoſci calamum ejus. 251
Caput III. Eſſe & apud eum, quæ præ aliis placeant. 258

Diſſertatio XI. De eloquentia S. NILI *Abbatis.*

Caput I. Illuſtratur illa generatim. - - - 262
Caput II. Diſcerniculum eloquentiæ hujus inquiritur. 268
Caput III. Ubi maxime vigeat eloquentia *Nili*, oſtenditur. - - - - - - - 272

Diſſertatio XII. De eloquentia THEODORETI *Cyrenſis.*

Caput I. Exiſtimatio, quam meretur. - - 277
Caput II. Notæ, quibus diſcernitur. - - 282
Caput III. Libri, ubi maxime elucet. - - 286

Diſſertatio XIII. De eloquentia S. JOANNIS *Damaſceni.*

Caput I. Præſtantia, & laus ejus. - - 294
Caput II. Rationes ſtyli propriæ, & peculiares. - 302
Caput III. Opuſcula, quæ reliquis præferri ſolent. 307

Appendix. De eloquentia GEORGII *Nicomedienſis*, per Saturam. - 316

Clauſula cum hujus, tum ſuperioris Libri. - - 328
Adventoria amiciſſimo Viro N. N. qui de eloquentia DIONYSII, dicti *Areopagitæ*, Auctoris ſententiam quæſierat. - - - - - - - - 330

DE ELO-

DE
ELOQUENTIA PATRUM
LIBER III.

Patrum *Græcorum* eadem ratione, qua ante Latinorum, Eloquentiam expendit.

DISSERTATIO I.

De Eloquentia Clementis *Alexandrini.*

CAPUT I.

Laus eloquentiæ ejus.

Titus Flavius Clemens, Alexandrinus dictus, ſive quod urbe illa oriundus, ſive quod diu ibi commoratus, & Presbyter creatus ſit (alii enim Athenienſem eum faciunt *) poſtquam humanioribus literis, & Philoſophia excultus fuit, relicta gentilium ſuperſtitione, nulli pepercit operæ, ut divina quoque ſcientia quam penitiſſime imbueretur. Itaque doctiſſimos homines adiit, ac Græciam,

* S. Epiphanius *Tom. II. Libr. 1. de Hæreſi Secundianorum.*

ciam, Italiam, Palæſtinam, Ægyptum, imo totum fere Orientem peragrans, præcipuos Religionis Magiſtros, & Apoſtolorum Succeſſores audivit; donec S. Pantæno, viro ſummo adhærens Alexandriæ ſubſiſteret, eoque defuncto ob doctrinæ ſimul, ac facundiæ ubertatem chriſtianæ ſcholæ, & Catechumenorum inſtitutioni præficeretur. Atque in eo munere Clemens verſatus eſt diutiſſime, & libros etiam ſuos conſcripſit, tanto operæ pretio, ut oraculi inſtar habitus, auditores plurimos haberet, viroſque celeberrimos formaret, quos inter ipſe Origenes fuit. Cetera ejus nihil ad nos, uti nec Titulus Sancti, quem plerique ei tribuunt, alii adimunt *: elogia potius audiamus, quibus paſſim non eruditio ſolum, verum & eloquentia Doctoris noſtri ornata fuit.

Eusebio Cæsariensi in *Chronico ad ann.* 198. *Clemens Alexandriæ Presbyter, & Pantænus Stoicus in diſputatione dogmatis noſtri diſertiſſimi* habentur.

S. Epiphanius Loco in prioris paginæ nota citato *Egregium Scriptorem* appellat.

S. Hieronymus de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*: *Feruntur ejus*, inquit, *inſignia volumina, plenaque eruditionis, & eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quam de ſæcularis literaturæ inſtrumento.*

S. Cyrillus Alexandrinus *Libro* 7. *contra Julianum pag.* 231. *edit. Aubert*: *Virum* dicit *imprimis doctum, & eruditum, qui græcarum literarum altitudinem, quantum forſan ante illum pauci, perſcrutatus eſſet.*

Socrates *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libro II. cap.* 35. *Virum* vocat *omni genere doctrinæ excultum.*

Cassiodorus quoque *Libro div. Lect. c.*8. Clementis eloquentiam commendat, quando eum epiſtolas quasdam Canonicas *Attico ſermone declaraſſe* ait.

Geor-

* Vide Joann. Albert. Fabritium in *Biblioth. Græca.* De virtute tamen hominis nulla controverſia.

GEORGIUS SYNCELLUS *in Chronographia pag. mihi* 355. Clementem *Doctorem* dicit *eximium*, *qui chriſtianæ philoſophiæ ſcriptis claruiſſet.*

Ex Recentioribus ERASMUS ROTERODAMUS *Antibarbarorum Libro* I. *verſus finem: Clemens*, inquit, *præceptor Origenis*, *Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter*, *vir omnium longe doctiſſimus*, *idque judice viro omnium longe doctiſſimo Hieronymo*, *ad ſacræ Religionis defenſionem*, *quæ tum negotium exhibentibus Ethnicis in ſummo diſcrimine verſabatur*, *non parum adjumenti contulit tum eloquentia*, *tum libris eruditione plenis.*

PETRUS VICTORIUS, primus editor Clementis in *Nuncupatoria ad Marcellum Cervinum Cardinalem*, poſt Summum Pontificem ejusdem nominis II, *graviſſimum auctorem*, lectionemque ejus *jucundiſſimam* dicit. Tum ad modum dicendi, uberesque fructus, qui ex optimis præceptis ejus caperentur, converſus, eundem uti humanitatis, & Theologiæ ſtudioſis, ita præcipue ſacris oratoribus impenſe commendat, hiſce verbis: „ Magni autem, admirabi-
„ lesque fructus inde hauriri poſſunt. Nam ut ta-
„ ceam, quod varia, reconditaque doctrina hi libri
„ referti ſunt, ut grati quoque non parum eſſe poſ-
„ ſint his, qui ingenuis artibus, humanioribusque
„ ſtudiis delectantur (nemo enim chriſtianus ſcri-
„ ptor plures locos antiquorum Poëtarum citavit,
„ nemo ſuas ſententias clarioribus teſtimoniis con-
„ firmavit, ut non ſine cauſa a noſtris etiam aucto-
„ ribus hoc quoque nomine valde laudatus fuerit)
„ quot, quantaque emolumenta hinc naſci poſſunt
„ iis, qui gravioribus literis dediti cupiditate veræ
„ pietatis noſcendæ incenſi ſunt, omnemque labem
„ vitiorum e vita ſua delere cupiunt? ut enim ille
„ obſcuras, difficilesque quæſtiones explicat? ut
„ acer eſt accuſator improborum, erroremque ani-
„ mi illorum exagitat? quanto ſtudio mores ſuo-
„ rum temporum notat, qui ad nimiam jam molli-

 „ tiam

„ tiam ob copiam omnium rerum fluxerant, ut no-
„ bis quoque corrigendis, deliciisque hujus ætatis
„ excutiendis non parum tanta ſeveritas apta ſit?
„ Quod ut facit ille ſummo ardore, ut qui nova
„ pietate, veroque Dei cultu totus inflammatus eſ-
„ ſet, ita magna facultate dicendi, copiaque acu-
„ tiſſimorum argumentorum peragit. Habebunt
„ igitur ſacri Concionatores, qui vitæ noſtræ ora-
„ tione ſua moderari volunt, omnesque fibras fla-
„ gitiorum evellere, unde ſe arment, ac munus il-
„ lud ſuum copioſius, elegantiusque obeant. Et
„ cum huic rei ipſe incumbat ſemper, præcipue id
„ toto animo in tribus libris, quos Pædagogi nomi-
„ ne inſcripſit, quia verum chriſtianum inſtituunt,
„ gerit. Huic enim rei tantum illic operam dat,
„ nec ullam vitæ partem omittit, quæ emendatione
„ egeat, quam non ſummo ſtudio colat, atque
„ omni denique culpa, quantum in ipſo poſitum eſt,
„ liberet. Utinam reliqua hujus Sancti viri opera,
„ eruditiſſimique ingenii monimenta conſervata fo-
„ rent! &c. „

Sixtus Senensis *in Bibliothec. Sanct.* eadem phraſi, qua ante Hieronymus, Clementis facundiam extollit.

Fridericus Sylburgius de Scriptore noſtro bene meritus obiter in *Nuncupatoria operum*, & *Præfatione ad lectorem*, *Illuſtrem* vocat *Scriptorem*, atque *operis* ejus *præſtantiam* notat.

Daniel Heinsius, qui & ipſe medicam Clementi manum admovit, ut uno verbo oſtenderet, quantum in genere ſuo numeris ſcribendi omnibus Clemens excelleret, *maximum auctorem* dicit, cujus ipſe *amore inflammatus* eſſet.

Andreas Schottus in *Nota ad codicem* 109. Photii diſerte aſſerit, *Clementis Alexandrini ſcripta omnia ſanæ eſſe doctrinæ, ac purioris ſtyli.*

Nico-

NICOLAUS CAUSSINUS *de Eloquentia ſacra, & humana Libro* 15. *poſt initium: Quid ejus* (Origenis) *præceptor Clemens Alexandrinus, quem prope Athenæum, vel Plutarchum Chriſtiani nominis poſſis nominare? quid fuit tandem in humana ſapientia, quod non evolverit, perviderit, protulerit, nobis Theſaurus ipſe factus, & quoddam promptuarium manſuetioris literaturæ.* Et *Libro III. cap.* 14. *Inter eloquentes ſumme doctum, inter doctos ſumme eloquentem* dicit.

NATALIS ALEXANDER *Sæculo II. cap.* 4. Hieronymo fere inſiſtens: *Inſignia*, inquit, *in Eccleſiæ bonum volumina edidit, plenaque eruditionis, & eloquentiæ, & tam Scripturarum divinarum, quam ſæcularis literaturæ conſperſa floribus.*

GUILIELMUS CAVE in *Hiſtor. Scriptor. Eccleſ. ad annum* 192. Clementem noſtrum affirmat in *omni politioris literaturæ genere ad ſummum usque gradum inſtitutum.*

HAGIOGRAPHI ANTWERPIENSES *ad diem VII. Julii* admirabilem inde gloriam S. Pantæno conficiunt, quod Clementem, *Scriptorem clariſſimum, qui toto ferme oriente coruſcaſſet*, diſcipulum habuerit, ab eoque præceptoribus ceteris omnibus prælatus ſit. Addit vero Claudius Fleury *Hiſtor. Eccleſ. Libro IV. §.* 36. hujus eloquentia captum Clementem in Ægypto manſiſſe.

LUDOVICUS DU MESNIL *Doctr. & Diſciplin. Eccl. Libro IV. n.* 47. *Florebat tunc præ ceteris T. F. Clemens, Athenienſis origine, ex ethnico Philoſopho chriſtianus, eruditus a præſtantiſſimis apoſtolicæ doctrinæ ſucceſſoribus, denique Pantæni Magiſtri ſui ſucceſſor apud Alexandriam catechumenorum inſtitutioni præfuit, vir profanarum & divinarum literarum ſtudio inſtructiſſimus.*

JACOBUS BRUCKERUS in *Hiſtor. Philoſ. Period. II. p.* 2. *L.* 1. *c.* 3. Clementem dicit *Scriptorem elegantiſſimum, & lectionis multijugæ copia jucundiſſimum,*

CAPUT II.

Notæ ſpeciales.

Non deerunt, qui cum primum ad Clementem accedent, oratorias in eo formas, lenocinia verborum, omnemque dicendi apparatum expectabunt. Hos iſto capite occupare oportuit. Neque enim ad fucum, ad oſtentationem, ad pompam, atque delicias factus Clemens, utilitatem unice reſpexit; & ea de cauſa uti non abjecit ornamenta orationis, ita nec anxie unquam conquiſivit. Primum quod propoſitum habebat, illud fuit, uti errores ætatis ſuæ turpiſſimos everteret: alterum, uti capita morum ex ipſis evangelii fontibus deducta fidelibus propinaret. Atqui in neutro decebat eloquentiam venditare. Accedit immanis copia eruditionis, maxime ubi in Ethnicos ille movet, quæ ſane ſchemata & phaleras minime admittit. Volebat enim vir ſagaciſſimus ita convincere pertinaces, uti opponere nihil poſſent, atque ideo alia ſemper aliaque agmina teſtium vocavit, qui tanto minus ſuſpecti eſſe debebant, quod iis ipſi aſſueſſent dudum, fidemque ſummam adhiberent. Quare omnia collegit, quæ vaſtiſſima memoria, & lectio infinita, philoſophiæ demum promptuaria inexhauſta ſuppeditabant. Jam tu mihi hæc tam multa, imo innumera, eaque maxime diſparata, tot hiſtorias, tot documenta, tot ponderationes velut eundem in locum repone: & cum nullam pene artem, nullamque diſciplinam ſeu noſtratium, ſeu externorum omiſeris, tum denique ſingula quam fieri poſſit, delicatiſſime, ut oratores ſolent, pertracta, atque exorna diligenter. Satis ſcio, nec initium diu, nec exitum reperies, demum rem aggreſſus molem ſcriptorum tantam acervabis, cui legendæ nec ſtudioſi cujusque vita ſuffe-

ſuffecerit *. Poſt hæc omnia adde genus dicendi philoſophicum, quod non decet, niſi moderate, pigmentis, atque munditiis uti: addè altitudinem ingenii, quod ſummis cogitationibus innutritum ægerrime ſe demittit ad expoliendam ſemper, ornandam, diducendam orationem. Non ergo mirum, quod a foro, & a Sophiſtica multum recederet ſtylus ejus, & quod docti, ac Polyhiſtores ſolent, non intricatum quidem, ſed neque ſolutiorem, minus fluentem quemdam ſtylum adhiberet. Denſus enim ſemper, & plenus, gravis item, & moderatus, raro admodum concitatus, & quam parum auribus, tam multum animis dat. Attentum item poſcit lectorem, & in tot rebus velut conglobatis, quæ ob diſtantiam temporum non niſi per nebulam proſpiciuntur, minime delicatum. Hunc vero characterem quia ubique ſervat, paulo obſcurior evadit. Non negat id clariſſimus Le Nourry **, & cum tot dotes, & maxime ſublimitatem ei tribuat, obſcuritatem ſolam notavit, facile ſcilicet excuſandam, ſiquidem, quæ paulo ante dicta ſunt, in memoriam volumus revocare. Neque enim putes, verborum id vitio accidere. Sit hoc Juſtini, ſit Tertulliani, ſit aliorum quorumdam, qui cum maxime valerent inge-

* Clementis eruditio tanta fuit, ut S. Cyrillus Alexandrinus *Libro 6. contra Julianum*, infinitas dicat Græcorum hiſtorias audiendo accepiſſe. Hieronymus *epiſt. 84. nunc 70. ad Magnum*, ubi optimum, & facundiſſimum quemque enumerat, Clementi eruditionis primas defert. Quod vero ad oculum rem oſtendit, Chriſtophorus Woltereck Gluckſtadienſis Indicem auctorum, quos Clemens citaſſet, tam magnum collegit, ut quatuordecim columnas majoris formæ nominibus ſolis impleret. Philoſophiæ cognitionem quod ſpectat, nihil attinet dicere, niſi illud, quod a S. Maximo digniſſimo æſtimatore *Diſputat. cum Pyrrho* habita, vere *Philoſophus Philoſophorum* appelletur.

** In apparatu Diſſertat. 3. cap. 2. art. 3.

ingenio, nec poſſent infantes eſſe in dicendo, tamen de nitore, & elegantia minime laborarunt. Clemens noſter una cum doctrina facundiam ubique prodit: magnas habet, & jucundas imagines, graves ſententias, e re ducta epiſodia, figuras raras quidem, ſed ardentes: acute & ſolerter invenit, ſapienter diſponit, facile deducit, demum lepore, ac ingenua feſtivitate omnia in loco aſpergit. Phraſis ipſa, & dictio homini commenſurata, verba propria, & fœta: videas etiam ſplendorem, numeros, varietatem, omneque genus virilium ornamentorum. Ut vero non comit ſeſe, non unguenta adhibet, non argutias: ita nec probris aliquando, vel ſarcaſmis agit; ſed ut prudentiam ejus decebat, magnam habet ſeu rerum, ſeu hominum rationem. Vidit nempe cæcitatem mortalium cum ſuapte natutura, tum longo uſu peſſime deceptorum, qui etſi iniquiores fuerant in Eccleſiam, quam & hujus innocentia, & humanitas ipſa poſtulabat, tamen non erant convitiis irritandi, ſed gravitate potius, & lenitate eo deducendi, ut agnito ſcelere, detectisque fraudibus vel reſipiſcerent, vel certe æquiores impoſterum ſe præberent. Gnoſticum, ut ejus verbo utar, id eſt, verum ſapientem, & diviniorem Philoſophum ſe meminerat, qui cum ſobrietatem profiteatur ipſo nomine, alienum a ſe debet exiſtimare, quidquid perturbationem prodit, & vel ſpeciem tantum injuriæ præfert. Itaque temperat ſibi ſummopere, nusquam deridet, nusquam inſultat, ne tum quidem, cum propriis ipſorum armis dejecit jam adverſarios, & tantum non pedibus protrivit. Sed ipſummet Clementem audire debemus, qui *Libro* 1. *Stromatum num.* 10. *ſeu cap. IV. poſt med.* magnam partem ſuum ipſe characterem expinxit. „ Qui bona utuntur oratione, inquit, prope accedunt ad eos, qui bonis factis utuntur. Recreat „ itaque animam oratio, & hortatur ad honeſtatem; „ bea-

„ beatus eſt autem, qui pro dextra utraque manu „ utitur. Neque ergo, qui bene poteſt facere, eſt „ maledictis inceſſendus ab eo, qui bene poteſt di- „ cere: neque eſt vituperandus, qui bene poteſt „ dicere, ab eo, qui bene facere poteſt. Faciat „ autem uterque id, ad quod natura eſt aptus. „ Quod autem alter factum oſtendit, hoc alter lo- „ quitur, beneficentiæ veluti viam præparans, & „ deducens auditores, ut bene operentur. Eſt „ enim etiam ſalutaris oratio, ſicut opus ſalutare. „ Atque juſtitia quidem certe non conſiſtit absque „ oratione. Quemadmodum autem beneficio af- „ fici nemo poteſt, ſi nemo bene faciat; ita tolli- „ tur obedientia, & fides, niſi tum præceptum, „ tum etiam qui eſt ipſum explicaturus, ſimul aſſu- „ mantur. Nunc autem alter alterius gratia & ver- „ bis, & factis abundamus. Ars autem contentio- „ ſa, & ſophiſtica eſt penitus repudianda, quando- „ quidem ipſæ Sophiſtarum dictiones non ſolum „ multorum oculos præſtringunt, & eos ſeducunt, „ ſed nonnunquam etiam vim afferentes, Cadmeam „ referunt victoriam. Eſt enim longe veriſſimus „ ille pſalmus: *Juſtus vivet in finem, quoniam non* „ *videbit interitum, quando videbit ſapientes morientes.* „ Quoſnam autem dicit ſapientes? Audi ex Jeſu „ Sapientia: *Non eſt ſapientia improbitatis ſcientia.* „ Eam autem dicit, quam excogitarunt artes, quæ „ in dicendo, & diſſerendo verſantur. *Quæres er-* „ *go apud malos ſapientiam, & non invenies.* Et ſi „ rurſus roges, quænam ea eſt? *Os juſti*, inquiet „ tibi, *diſtillabit ſapientiam.* Sapientia autem dici- „ tur ars Sophiſtica perinde, ac veritas. Mihi au- „ tem non ſine cauſa, ut exiſtimo, conſtitutum eſt „ LOGO convenienter vivere; ea autem, quæ „ ſignificantur, intelligere; eloquentiam autem „ nunquam ſectari, ſed contentum eſſe, ſi quovis „ modo, quid intelligam, ſignificem. Quo autem

„ nomine ſignificetur id, quod volo exponere, nihil mihi curæ eſt. Servare enim & opem ferre „ iis, qui ſervari cupiunt, puto eſſe optimum, non „ autem dictiunculas, tanquam quædam ornamenta „ componere. *Et ſi caveris*, inquit Pythagoreus „ in Platonis Politico, *ne ſis de nominibus nimium* „ *ſolicitus*, *prudentia locupletior apparebis in ſenectute.* „ Et rurſus invenies in Theæteto: *Nominum* „ *autem*, & *verborum facilitas*, & *non nimis accurata* „ *examinatio ut plurimum non eſt ſordida*, & *illiberalis*, *ſed ejus potius contrarium*: *eſt tamen nonnunquam etiam neceſſaria.* Hæc quam fieri poteſt, „ breviſſime Scriptura enuntiavit, dicens: *Ne multum verſeris in verbis.* Dictio enim eſt tanquam „ veſtis in corpore: res autem ſunt carnes, & nervi. Non oportet ergo majorem veſtis, quam ſalutis corporis curam gerere. Non ſolum enim „ frugalis vitæ ratio, ſed etiam a ſupervacaneo cultu, ornatuque aliena oratio exercenda eſt ei, qui „ veram vitam elegit; ſiquidem delicias ut doloſas, „ & luxurioſas repudiamus, ſicut unguentum, & „ purpuram veteres Lacædemonii, doloſas quidem „ veſtes, & doloſas unctiones recte reputantes, & „ nominantes; quoniam nec honeſtus eſt ille cibi „ apparatus, qui plura habet condimenta, quam „ ea, quæ nutriunt, nec eſt bellus, urbanusve orationis uſus, qui auditores magis aptus eſt delectare, quam juvare &c. „ Similia brevius habet *Libro II. Stromatum cap.* 1. Ecce characterem hominis, qui ſervire ſibi vult eloquentiam, non eloquentiæ ipſe ſervire. Et certe, ut verum fatear, in eo maxime eloquens mihi videtur, quod minime affectat videri; ſed gravi quodam, & ſobrio ſermone, nitido tamen veritatem, & honeſtatem ſimpliciter perſequens chriſtianum nobis Stoicum ubique repræſentat. Quamquam nec illud ſilere debemus, in *Cohortatione ad gentes* non minorem ſane Oratorem,

rem, quam Philoſophum apparere. Ita ornatur, ita floret, & delectat: ita inſtat, ſtringit, ita totus inardeſcit, ac velut legibus illis ſuis ſolutus fertur. Quod melius ſpecimina, quæ ſubjicimus, edocebunt.

Propius initium in impudicas noctes Sacrorum Eleuſinorum, qui ignes ad ea accendebant, quæ tenebris tecta oportuit, ita concitatur:

„ O gnavam, perfrictamque impudentiam! Hominum temperatiorum voluptas olim noctis ſilentio tegebatur: nunc vero nox eſt, quæ initiandis ſacra libidinis enuntiat; adeoque ignis flagitia ſuccenſis facibus illuſtrata pandit. Extingue ſis hunc ignem, Hierophanta! tuque, o qui lumen præfers, tuas ipſe faces reverere. Lumen iſtud Jacchum traducit tuum: patere, noctem myſteria tenebris occultare: orgiorum honori conſulatur: ignis non ſimulat, arguit, punitque, quæ jubetur. Hæc igitur illa ſunt hominum Atheorum myſteria. „

„ Jam vero (exclamat poſt medium) tanto magis impii ſunt nonnulli, quanto benignior eſt Deus, ac humanior. Etenim cum Deus nos ex ſervis filios fieri voluit, hi in numerum ejus filiorum aſſumi faſtidiunt. O incredibilem amentiam! pudetne vos Domini? Is quidem libertatem pollicetur, vos autem aufugitis in ſervitutem. Is ſalutem largitur, vosque in perniciem veſtram ruitis. Is æternam vitam donat, & vos ſupplicium expectatis, & eum præſtolamini ignem, quem paravit Dominus Diabolo, & angelis ejus! „

Et infra: „ Canes, cum aberraverunt, ſagaci nare Dominum perſequi, & indagare ſolent: quin etiam equi, excuſſo ſeſſore, vel uno ſibilo edito, domino ſuo paruerunt. *Novit autem*, inquit, *bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſraël autem me non novit.* Quid ergo Dominus?

„ obli-

„ obliviſcitur tantæ injuriæ, etiamnum miſeretur, „ etiamnum expoſcit pœnitentiam. Jam vero quære „ rere ex vobis velim, ecquidnam vobis videatur ab„ ſurdius, quam ut vos, qui a Deo facti eſtis, qui „ animas veſtras illi debetis acceptas, & toti deni„ que, quanticunque forte eſtis, ejus eſtis, alii „ cuipiam domino ſerviatis; præterea ut pro Rege „ Tyrannum, pro bono peſſimum colatis? Quis „ enim, o per veritatem! cui ſana mens ineſt, bo„ no derelicto, malitiæ adhæret? quis Deum fu„ giet, ut dæmoniorum convictu fruatur? quis, „ cum Dei filiis annumerari liceat, ſervitutem du„ cit potiorem? aut quis in erebum recipi conten„ dit, cum cœli civis eſſe poſſit, cum ei liceat pa„ radiſum colere, & cœlos circuire, vitalisque, „ & perennis eſſe fontis particeps? „

Et rurſum: „ Accedant, inquam (nec enim „ deſinam vocare) viles illi, ac ſordidi artifices. „ Horum ſane nemo vivam unquam, & ſpirantem „ imaginem effinxit, aut ex terra teneram carnem „ emollivit. Quis medullas liquefecit? quis oſſa „ induravit? quis nervos diſtendit? quis venas in„ flavit? quis in eas ſanguinem infudit? quis cutem „ circumduxit? quis eorum unquam oculis a ſe for„ matis viſum eſt largitus? quis animam inſpiravit? „ quis imbuit juſtitia? quis pollicitus eſt immorta„ litatem? Solus, qui hæc univerſa condidit, no„ biliſſimus artifex, pater hujusmodi nobis anima„ tam imaginem hominem formavit. Olympius „ autem veſter, imaginis hujus imago, longiſſime „ diſcrepans a veritate, ſtupidum atticarum ma„ nuum artificium. „

Iterum a ſtupiditate Idololatriæ ex duplici capite avertere eos volens, quod ſcilicet ratione præditi, & matura jam, gravique ætate eſſent: „ O „ beſtias, inquit, hominibus, qui hoc errore „ ducuntur, beatiores! quæ quidem perinde ac

„ vos

„ vos in ignoratione verſantur, nequaquam autem „ mentiuntur veritatem. Inter eas nulla eſt adula- „ torum gens: piſces dæmonas non colunt: aves „ non venerantur ſimulacra: unum ſolummodo „ cœlum admirantur, cum Deum percipere per de- „ fectum rationis omnino nequeant. Vos igitur „ tandem non erubeſcitis, quod vosmetipſos fece- „ ritis animalibus ratione carentibus magis irrationa- „ biles, qui tot ætates in impietate contriviſtis? „ Fuiſtis enim pueri, deinde adoleſcentes, deinde „ juvenes, deinde viri, boni autem hactenus neu- „ tiquam. Senectutem ſaltem, cum jam ad occa- „ ſum vitæ provecti eſtis, reveremini. Saltem in „ hoc extremo vitæ fine reſipiſcite, Deumque agno- „ ſcite, ut vobis vitæ finis initium ſalutis recupe- „ ret. „

Mitto cetera, quæ ibi perpetuo recurrunt, flores, ſententias, exclamationes, ſtimulos, enthymemata, quæ plus quam ſatis oſtendunt, quam facile, & pro libitu & poneret eloquentiam Clemens, vel reſumeret. Sed ſatis de charactere.

CAPUT III.

Ubi ſe magis diſertum Clemens præbuerit?

Præcipuum Clementis opus, quod quidem eloquentiam ſpectat, eſt *Cohortatio ad gentes*, quæ ſane quot lectores, tot laudatores habet. Nihil autem in eo agit aliud, quam ut Ethnicos ab impio cultuDeorum abſtractos ad veram Chriſti religionem traduceret. Quem in finem, tam multa, tam gravia addenſat argumenta, & fere ab ipſismet mutuata, ut haud abs re dici poſſit, hoc uno perbrevi opuſculo everſam plane gentilitatem, & cuncta ejus deliria, ac portenta protracta in lucem, exploſa, atque protrita eſſe. Quare celebre ſemper, ſummoque apud veteres loco id ſcriptum fuit. Jam enim

enim Euſebius eo uſus eſt ad reliquias errorum abolendas, & *Libro II. Præparat. Evang. cap.* 2. ita illud prædicavit: *Atque horum turpitudinem admirabilis ille Clemens, ea, quam ad Græcos dirigit, cohortatione, nudam, omniumque ſpectandam oculis proponit; quippe qui cum omnes illorum ceremonias ſua ipſius experientia cognoverit, tum celerrime ab infami errore caput extulerit, verbi ſalutaris, & evangelicæ doctrinæ vi ex tot, tantorumque malorum contagione liberatus* &c. Photius *codice* 110. præterquam, quod errore omni vacuum ſcribit, *dictionem ipſam* ait, *in hoc floridiorem ad temperatam quandam gravitatem non ſine jucunditate aſſurgere, & variam illam, quæ in eo ſit, rerum cognitionem nihil habere minus conveniens.* Idem opus impenſe celebrat vir doctiſſimus Petrus Halloix in *Vit. & docum. Illuſtr. Eccleſ. Orient. Scriptor.* Clariſſ. Le Nourry *Tom. II. Apparat. Libro* 3. *Diſſert.* 1. *cap.* 2. *a.* 2. *Toto autem in opere*, ait, *argumentum ſuum non validis, certiſque tantum omnino probat rationibus, ſed varios quoque identidem ſpargit eloquentiæ floſculos, quibus animos legentium allicit, recreat, & demulcet. Neque certe minus grata iis eſſe debet ſumma, minimeque vulgaris illius eruditio, qua plenus eſt hic liber, & undique refertiſſimus. Hanc autem cum ſtyli elegantiam, tum operis eruditionem Photius, utriusque nec iniquus, nec imperitus æſtimator, ſcite annotavit.* Brevius Natalis Alexander ſupra allegatus: *Hic*, inquit, *Clementis liber eloquentiſſimus eſt.* & Claudius Fleury *Libro IV. Hiſtor. Eccleſ.* §. 36. *Hoc opus, ſingulari elegantia concinnatum eſt.* Unum, quod fortaſſe moroſo cuipiam diſplicere poſſit, ſunt Epiſodia aliquot. Etſi enim accurate dividitur liber, tamen nonnulla habet, quæ cum reliquis non omnino cohærent. Verum nos alibi Patrum Epiſodia & defendimus, & iterum defendemus, præcipue illa, quæ a ſcopo non abeunt longius, aut ultra propoſitos limites evagantur. Vide le Nourryum paulo

paulo ante laudatum, qui *eodem loco* id ipſum nullo negotio excuſavit.

Secundo loco poſuerim librum: *Quis dives ſalvetur*, qui pluribus ſæculis cum intercidiſſet, tandem a Michaële Ghislerio Origeni ſuppoſitus eſt, ſed loco tam alieno, ut a plerisque pro inedito haberetur; quis enim eum inter *Commentarios in Jeremiam* requireret? Recte ergo factum, quod a Combefiſio Græcis Patribus additus in *Auctario*, & denique a Joanne Fello Epiſcopo oxonienſi multo ornatior in lucem emiſſus eſt. Laudant eum, & nominatim a ſtylo, & eloquentia, cum paulo ante dicti, tum etiam le Nourry. Nec immerito. Eſt enim ſane terſus, comptus, æquabilis, ponderoſus, perſpicuus, ut nonnullis ob eam ipſam lenitatem, atque elegantiam ſuſpicionem moverit, num potius Origeni, Diſcipulo ejus tribuendus eſſet. Verum Euſebii teſtimonium ſæpe laudantis, imo ſolidas paginas tranſcribentis jam non ſinit de auctore dubitare.

Tertio loco venit *Pædagogus*, qui in eo verſatur, uti humanas actiones ſingulatim componat, multamque inſumit operam tam in vitiis, quam virtutibus oſtendendis. Videtur eſſe ſummarium Catecheſium, quas ad populum Alexandrinum habuerat de hoc argumento, quasque in aliorum etiam utilitatem ſervatas vir ſanctus volebat. * Diſerte enim ſub operis finem auditores a Pædagogo Chriſto in Eccleſiam adductos memorat, imo hymnum ibi concinendum ſubjungit. Stylus operis plerumque familiaris, & planus, non raro tamen ſublimi intermiſtus eſt, uti convenit Catecheſibus, & com-

* Diſtributio in capita, quam MSS. exhibent, adeo inepta ſæpe (non Clementis, ſed alterius vitio) ut, quæ iis continentur, Titulo minime reſpondeant. Unde miratus ſum, non aliam eſſe a Potero adornatam.

& compendio cuidam Theologiæ Moralis Chriſtianæ, in quo mores antiquæ Eccleſiæ haud ſecus, atque in ſpeculo reluceant. Photius easdem illi laudes tribuit, quas ſtylo Cohortationis ad Gentes tribuerat; nam uno codice lectionem, ac criſin utriusque operis comprehendit. Quanti autem uſus hi libri ſint ad chriſtianam pietatem, nemo ſane, qui vel tantiſper eos attigerit, inficias ibit. In iis enim ſingularia quæque morum præcepta, & vivendi regulas tanta prudentia auctor tradit, ut nihil moderatius, æquabilius nihil, atque ad Evangelii mentem accomodatius expectes. Sane ſummorum virorum judicio poſt ipſos divinos libros vix ullum opus reperire eſt, quod ſit accomodatum magis ad chriſtianos mores formandos. Atque utinam pro familiis vernacula lingua redderetur, quod in Galliis eſt factum, ut ſic majore cum fructu in plurimorum manus perveniret. Non ſum neſcius. opinari quosdam, ac ſi nimis ſeverum ſe hoc in opere Clemens præbuiſſet. Verum iſti conſiderare mihi minime videntur, quomodo utrumque & mollioris, & durioris doctrinæ ſcopulum vir ſapientiſſimus ita declinarit, ut ſemper tamen in ea, quæ lenitatis, & indulgentiæ ſunt, magis propendeat. Quod ſi alicubi rigidiora præſcribit, quam delicatus ſæculi noſtri genius ferat, præclare admonet, Chriſtiano, qui Ducem ſpinis coronatum ſequatur, non licere floribus coronari, aut incruentum de victoria illius participare. Accedit, ne indociles habeat, cavere eum ſedulo, ut ſi aſpera quædam ex legum præſcripto ſanxerit, mitiget illa paulatim, & quantum fas eſt, maxime in gratiam debiliorum, & infirmi ſexus ab acerbitate remittat. Cum id nequit fieri, legis excuſat ſeveritatem, & morem gerentibus æterna præmia promittit, certo certius non ſolvenda ſolum, verum etiam cumulanda. Cum vero plurimos

rimos haberet recentes a ſuperſtitione, commentationem totam undique profana eruditione aſperſit. Sic autem viro immenſæ lectionis non peribant, quæ ex ſæculi ſcientiis hauſerat, & velut totidem argumenta ad hominem erant, quibus, cum in manus paganorum id operis veniret, facilius avocare eos a vitiis, & ſuperſtitione poſſet.

Libros Stromatum ſic dictos, quod opus miſcellaneum, & varie contextum eſſet, non vendito eloquentiæ ſtudioſis. De induſtria enim argumenta confuſa ſunt, & ſtylus parum expolitus. Malebat ſcilicet lectorem per ambages, & tenebras quaſdam deducere, quam prodere indiſcriminatim myſteria noſtra, & margaritas ante porcos projicere. Affert autem pro ſe exempla ipſorum Philoſophorum, qui idem feciſſent, quo laborioſos magis, & acres ad inveniendum diſcipulos nanciſcerentur. Si ergo ſacræ doctrinæ placita gentilium interſerit: ſi data opera a propoſito digreditur: ſi minorem, quam in reliquis, eloquentiæ curam habet, non id vitio vertendum ſummo viro, qui cetera compte, & eleganter ſcribere norat; ſed tribuendum conditioni ætatis ejus, ubi ſane expediebat ab iis ſolum intelligi, quos Scriptor voluiſſet, non ab aliis, moroſis videlicet, & Evangelio infenſis, qui in occaſionem omnem imminebant, uti negotium faceſſerent Chriſtianis, & ſi perſecutionem non poſſent, novam certe invidiam conflarent. Quæ omnia Clemens ipſe diverſis locis haud obſcure ſignificavit. Etſi autem per ſe ad eloquentiam nihil faciunt hi libri, nihilominus auctor ſum oratoribus, ut ne a legendis iis abſterreri ſe patiantur. Moleſtiam vero & difficultatem lectionis levabunt, ſi non multa ſimul, ſed pauca admodum percurrant, eaque ipſa a le Nourryo & Lowthio in ordinem, ac intervalla quædam digeſta. Et certe non pœnitebit. Summò enim in pretio

 habiti

habiti ſunt in Eccleſia, & IV. ſæculo in omnium chriſtianorum manibus verſabantur. Taceo laudes ab antiquis æque ac nuperis Scriptoribus certatim congeſtas, quorum aliqui præcipuum hoc ejus opus faciunt. Unus ſufficit Theodorus Canterus *Variar. Lection Libro II. cap.* 11. ubi ſic habet: *Clemens Alexandrinus octo ſcripſit libros ſtromatum, omni & eruditione, & antiquitate adeo refertos, ut eos nemo pro merito ſatis laudare, ac verbis extollere unquam digne poſſit.* Reperies capitalia in infideles, & hæreticos argumenta: explicationes quam ſolidas, tam eruditas, & inexpectatas: doctrinam morum, & ſublimiſſimæ perfectionis, quam nemo hactenus tam explicate, tam minutim pertractavit *. Si tenebræ, & vaſtitas obſiſtunt, ſi turbatis omnibus ad analyſin recurrere identidem piget: cave abrumpas laborem. Ex fructu jucunditas naſcetur: & uti in ſylva inter arbores umbroſas, nulloque ordine conſitas venari: uti in prato minus culto & inæquali jam flores, jam herbas juvat legere (his enim ipſe auctor ſuum opus comparavit) ita tibi in his excerptis eveniet, nec unquam ſine præda, ſine manipulo inde redibis. Atque hæc fuſius monenda duxi de Stromatis, etſi abſque ornatu, neque alia elegantia ſcriptis, niſi quam caſus forte offerret auctori, aliis omnibus intento.

Libri octo Hypotypoſeon, ſi fragmenta quædam excipias, magno damno rei chriſtianæ interciderunt omnes. Satis autem ex laude Hieronymi apparet, & ipſos eruditiſſimos, atque eloquentiſſimos fuiſſe. Verum præſtat fortaſſe, & lucrum e damno

* Sunt adeo, qui putent, Clementem, quemadmodum in *Cohortatione ad gentes* homines ad Religionem, in Pædagogo ad honeſtatem, ſic in Stromatis ad ſummam virtutem ducere voluiſſe.

damno natum eſt, quod jam Photii, ne dicam Ruffini, ætate paſſim, & fœde eſſent ab hæreticis depravati. Sed & *de Continentia*, & *de nuptiis libri* perierunt, qui ſane in tali argumento, & ab eo viro elaborati non niſi magnum aliquid poterant polliceri. Idem dicas de ceteris operibus, ut *de Jejunio, de Obtrectatione, de Anima, de Providentia*, aliisque varii argumenti, quorum meminit Fabritius, & fragmenta complura dat Poterus.

Hucusque de Eloquentia Clementis, de qua etiam commemorant Combefis in *Bibl. Conc.* Halloix *l. c.* Le Nourry *l. c.* Dupinus in *Bibl. nov.* Tillemontius in *Monum. Eccl.* Mareſchal in *Concord. Patrum.* Tricalet in *Bibl. portat. Patrum.* *Joannes* Tribechovius de *Clemente Alexandrino.*

DISSERTATIO II.

De Eloquentia Origenis.

CAPUT I.

Laudatur illa.

Origenes Alexandrinus pene puer diſciplinas omnes perdidicit, & Catecheſibus habendis admotus, ita illi muneri præfuit, ut inauditi ad eum concurſus fierent, & paganos ipſos, atque hæreticos haberet auditores. Certe cum hactenus infantiam ſemper, & ruditatem noſtris objicerent, Origenis ſolum nomen ita inveteratam calumniam obſcuravit, ut deinceps ad Juliani usque tempora vix, ac ne vix quidem audiretur. Illud autem, cum diſceret, traderetque politiores literas, inculcare frequenter ſolebat, ad Scripturam ſeu intelligendam, ſeu propugnandam nullum iis potentius certiusque ſubſidium eſſe. Ita comparatus

 Orige-

Origenes, & immenſis qua laboribus, qua itineribus defunctus perpetuum cum impietate, & erroribus bellum geſſit, omnesque Eccleſiæ hoſtes non alienis tantum, ſed ſuis etiam armis vicit.

His præmiſſis (nam alia, ut in eo ſumma fuerint, nihil ad nos) ad Eruditorum teſtimonia convertimur, ex quibus illud præcipue cognoſci poſſit, quanta in homine dicendi vis, atque facundia eſſet.

S. Gregorius Thaumaturgus * diſcipulus ejus tam facundum natura Origenem facit, uti homines dicat ante non cognitos, atque a ſacris noſtris maxime alienos, primo ſtatim colloquio ad virtutis, & ſapientiæ ſtudium adduci ab eo potuiſſe.

Porphyrius Philoſophus *Libro* 3. *operis contra chriſtianos* ſcripti, ſic inter alia de Origene habet: *In quem ego adoleſcentulus admodum incidi, magna tum gloria virum, ſicuti etiamnum magnum ejus eſt propter ea, quæ reliquit, librorum monumenta, apud eos præcipue, qui talia docent, homines nomen. Cum enim Ammonii, qui ætate noſtra in maximo fuit pretio, auditor eſſet, plurimum in eloquentia, & diſciplinis omnibus apud eum magiſtrum eſt progreſſus.*

Eusebius Cæsariensis *Libro VI. cap.* 36. Origenem, inquit, diuturna exercitatione maximum ſibi dicendi uſum comparaſſe. Et jam ante *cap.* 3. æqualem in dicendo & agendo Origenis gloriam ſtatuit, neque minorem ſermone putat, quam moribus extitiſſe: unde factum, uti innumeros juvante Deo ad imitationem ſui provocaret.

S. Gregorius Nazianz. ad Theodorum Thyaneum Epiſcopum de Philocalia a ſe & Baſilio contexta illud affirmat, *ſelectas ibi* (ex Origene) *de ſtudio pulchri ſententias, eloquentiæ ſtudioſis utiles.*

S. Epi-

* In *Panegyrico Origeni dicto.*

S. Epiphanius *hæreſi* 64. *ſeu* 44. Origenem dicit *græcis literis apprime excultum.* Et inferius: *Scite, atque eleganter plerumque*, ait, *diſputaſſe.*

S. Hieronymus præter alia, quæ *in Catalogo* de immortali hominis ingenio prædicat, ſpeciatim Rhetoricam quoque ita eum didiciſſe, ait, ut ſtudioſos harum literarum plurimos, etiam Ethnicos attraheret. Idem in *fragmento Epiſtolæ ad Paulam* * motuum, quos in eum inimici ſuſcitaſſent, hanc aſſignat cauſam: *Quia gloriam eloquentiæ ejus, & ſcientiæ ferre non poterant, & illo dicente omnes muti putabantur.*

S. Vincentius Lirinensis *Commonitor. I. n.* 17. ſeu c. 23. præfatus, quam præclara, ſingularia, & mira in eo extitiſſent, ita ſubjicit. „ Sed tanta etiam vis „ ingenii, tam profundi, tam acris, tam elegantis, „ ut omnes pene multum, longeque ſuperaret: „ tanta doctrinæ, ac totius eruditionis magnificen„ tia, ut pauca forent divinæ, pene fortaſſe nulla „ humanæ philoſophiæ, quæ non penitus aſſeque„ retur. Cujus ſcientiæ cum græca concederent, „ hebræa quoque elaborata ſunt. Eloquentiam „ vero quid memorem? Cujus fuit tam amœna, „ tam lactea, tam dulcis oratio, ut mihi ex ore „ ipſius non tam verba, quam mella quædam flu„ xiſſe videantur. Quæ non ille perſuaſu diffi„ cilia diſputandi viribus elimpidavit? quæ factu „ ardua non, ut facillima videantur, effecit? Sed „ forſitan argumentorum tantummodo nexibus aſ„ ſertiones ſuas texuit? imo plane nemo unquam „ magiſtrorum fuit, qui pluribus divinæ legis ute„ retur exemplis. Sed credo pauca conſcripſit? „ Nemo mortalium plura; ut mihi ſua non ſolum „ non perlegi, ſed ne inveniri quidem poſſe vide-

 antur.

* Hanc, quæ hodie tota non extat, objicit ei Ruffinus *num.* 19. *Invectivæ ſuæ.*

„ antur. Cui ne quidquam ad ſcientiæ inſtru-
„ menta deeſſet, etiam plenitudo exabundavit æta-
„ tis. Sed forſitan diſcipulis parum felix? quis
„ unquam felicior? nempe innumeri ex ſinu ſuo
„ doctores, innumeri Sacerdotes, Confeſſores, &
„ Martyres extiterunt. Jam vero quanta apud
„ omnes illius admiratio, quanta gloria, quanta
„ gratia fuerit, quis exequi valeat? quis non ad
„ eum paulo religioſior ex ultimis mundi parti-
„ bus advolavit? quis Chriſtianorum non pene ut
„ Prophetam, quis Philoſophorum non ut magiſtrum
„ veneratus eſt? &c. Dies me citius defecerit, quam
„ ea, quæ in illo viro præclara extiterunt, vel ex
„ minima ſaltem parte perſtringam.„ Denique fu-
ſius oſtendit, quod his ipſis præſidiis uti profuiſ-
ſet quam plurimis, ita nec paucioribus obfuiſſe, & *deditam ſibi; atque in ſe pendentem Eccleſiam admiratione ingenii, ſcientiæ, eloquentiæ, converſationis, & gratiæ, nihil de ſe ſuſpicantem, nihil verentem a veteri religione in novam profanitatem traduxiſſe.*

Socrates *Hiſtoriæ Eccleſiaſt. Libro II. cap.* 35. Origenem nuncupat *virum omni genere doctrinæ excultum.*

S. Isidoro Hispalensi in *Epigrammate*, quod Guido Carmelita Epiſcopus Elnenſis reperit, Origenes *clarus munere fandi* dicitur.

Photius *cod.* 118. narrat putaſſe quosdam, Origenem eloquentiæ cauſa, quodque firmiſſimas rationes colligaret, *Adamantium* eſſe cognominatum.

Suidas in *Lexico*, ſeu *Collectaneis* eloquentiam ipſam putat, fomitem invidiæ Ethnicis miniſtraſſe, uti eum acrius ceteris perſequerentur. *Fertur multa*, inquit, *pro Chriſto perpeſſus eſſe, cum admodum eſſet eloquens, & in Eccleſia educatus.*

Ex Recentioribus Erasmus *in Eccleſiaſte*: *Ex hoc*, ait, *diligenter lecto multa dicendi facultas accedet*

det Eccleſiaſtæ. Et in *veræ Theologiæ ratione* loquens de Interpretibus Scripturarum (qui concionatorum loco erant ea ætate) *Sic eſt primus, ut nemo cum illo conferri poſſit.*

JULIUS CÆSAR SCALIGER in *Poëmatis ſacris*: *o divina manus,* (Origenis) *quæ tanta, & talia fudit!*

FRANCISCUS RIBERA *in Proœmio ad Malachiam. Origene, ubi a regula fidei non diſcedit, nemo præſtantior, nemo acutior, aut elegantior, de quo merito dictum eſt, quod refert Caſſiodorus in Inſtitut. div. lect.* Ubi bene, nemo melius: ubi male, nemo pejus. *Feliciter excogitat, acute comprobat, aptiſſime eloquitur, & paucis verbis theſauros aperit Scripturarum.*

NICOLAUS CAUSSINUS *de Eloq. Sacr. & hum. Libro XV. ante med. Floret in Græcis Origenes, cujus viri quoties ſpectamus ingenium, toties facere oportet, quod Perſæ ad ſolem orientem, impreſſo ſtatim ori digito ſilere, & mirari.* Subdit, *eundem inſtar ſyderis omnia dicendo alta, infima, media colluſtrare, complecti, accendere.*

CARDINALIS BONA *Libro de diſcret. ſpirituum cap.* I. *num.* 4. *Quis inter Eccleſiæ proceres ſapientior, & nobilior Origene? cujus tanta vis ingenii, tanta doctrinæ profunditas, tanta eruditionis, ac eloquentiæ ubertas, tanta vitæ ſanctimonia fuit, ut apud omnes admirationi eſſet.*

PETRUS DANIEL HUETIUS *Libro I. Origenianorum cap.* I. *Origenem,* ait, *traditam ſibi a patre humaniorum doctrinarum cognitionem acerrimis ſtudiis excoluiſſe.* Et infra *cap. ult. Portentoſam in eo* agnoſcit *ingenii vim, memoriam expromptam, ſubtile judicium, mirum in dicendo leporem, orationem ad perſuadendum efficacem, acrem ſæpe, & vehementem, nec tam virtutibus ornandis factam, quam carpendis vitiis: mirabilem humanarum, divinarumque rerum ſcientiam, ut nemo eſſet primarum artium magis princeps.*

JACOBUS BRUCKERUS *in Hiſtor. Philoſoph. Period. II. part.* 2. *Libr.* 1. *c.* 3. præter alia ita de Origene: *Aderat ingenii vis ſumma, & ubertas eloquentiæ, & vaſta lectio, & diligentia humanas vires tantum non ſuperans, qua pares illi forte pauci inter veteres reperiuntur. Teſtes damus libros ejus magna eruditione, & elegantia ſcriptos, quibus ingenii amænitatem, & lectionis copiam luculenter prodidit.*

Sed ſatis eſt teſtimoniorum: nunc ad

CAPUT II.

Character ejusdem deſcribitur.

Antea, quam ſermonem de iſto inſtituamus, neceſſario præmonenda ſunt aliqua: & quidem, multa Origenis, eaque præſtantia eſſe deperdita. 2. Multa item a Ruffino, & Interpretibus aliis corrupta, irreparabili damno in iis operibus, quæ non niſi latina hodie habemus. 3. Scriptiones ejus, quantum quidem ad eloquentiam pertinet, in *Homilias*, in *Tomos*, & in *Syntagmata*, ſeu Tractatus dividi. Ex his homiliæ maximam partem aut ex tempore dictæ, aut ut primum eas animo conceperat auctor, notariis dictatæ fuerunt. Atque hoc in genere eloquentiam exigere id ipſum ſit mihi, ac nodum in ſcirpo quærere. *In his*, ait Huetius *Libr. III. Origenianor. Cap.* 2. *Sect.* 1. *phaleras, & oratoria pigmenta neglexit Adamantius: planum vero, familiare, ac ſimplex, nec valde prolixum, quale facilius patiuntur homiliæ, dicendi genus perſecutus eſt.* Tomi, ſeu volumina commentariorum paulo diligentius ſunt ſcripta; ita tamen, ut homo occupatiſſimus non tam verbis, atque ornatui, quam rebus ipſis intenderet. Sed & ipſo ſtylo ab Homiliis differunt Tomi; quo de Huetius *l. c. Sect.* 3. *Alium eſſe in Tomis, alium in Homiliis, ſciunt, qui in Origenis lectione verſati ſunt. Stylus homilieticus*

cus familiaris, ſimplex, popularis, brevis: alter ſublimis, diffuſus, curioſus, eruditus. Syntagmata denique & ipſa ad captum ſimplicium copioſa, perſpicua, elegantia æque ad inſtruendum, & excitandum valent.

His præmiſſis ad ſingula ſpeciatim progrediamur. Et quidem quod prima duo genera ſpectat, Homilias, & Tomos, fuſiſſime egit Eraſmus *de vita phraſi, docendi ratione, & operibus Origenis;* ex quo nos, cum longitudinis cauſa, tum quod invidioſa interſerit, rectius nonnulla recidemus.
„ Origeni ingenium (inquit) origeni dedit ore
„ rotundo Πνευμα loqui, præter Chriſtum nulli-
„ us avaro. Adfuit illi mira facultas ex tempo-
„ re dicendi, & in obſcuris etiam rebus magna
„ dictionis perſpicuitas. Nec deeſt brevitas, quo-
„ ties id res poſtulat. Certe ubique currit ſenten-
„ tia, nec ſe impedit *verbis laſſas onerantibus aures.*
„ Nuſquam cothurno attollitur, nec adſcititiis, &
„ e longinquo petitis ornamentis extendit volu-
„ men, nec ſalibus, ac dicteriis riſum movere ſtu-
„ det auditoribus; ſed perpetua quadam dictionis
„ hilaritate non ſinit auditoribus obrepere ſomnum:
„ nec affectat Rhetorum floſculos, argutas ſenten-
„ tiolas, atque epiphonemata: nec gaudet verbis
„ inuſitatis remorari lectorem: nec crebris digreſ-
„ ſionibus tempus eximit, nec ſuperſtitioſus eſt
„ in orationis ſtructura, membris, inciſis, & pe-
„ riodis ſententiam abſolvens. Nuſquam hic oc-
„ currant ὁμοιόπτωτα, & ὁμοιοτέλευτα. Gentium
„ teſtimonia nuſquam adhibet, niſi quoties id res
„ ipſa flagitat. Cum nullum non auctorum ge-
„ nus non exacte tenuerit, quemadmodum diſci-
„ plinas humanas omnes, nuſquam tamen moleſta
„ eſt oſtentatio; ſed totus hujus ſermo ſacrorum
„ voluminum ſententiis undique, ceu gemmeis em-
„ blematibus diſtinctus eſt; ſed adeo commode,
„ & in loco inſertis, ut nihilo ſecius currat ora-

„ tio. Dicas eſſe non adſcita, ſed ibi nata, nec „ aliunde quæſita, ſed ſua ſponte præſto eſſe &c. „ Res ipſa clamitat, Origenem univerſam Scriptu- „ ram canonicam ſic memoria tenuiſſe, ut vix no- „ ſtrum quiſpiam expeditius teneat ungues digi- „ toſque ſuos. Præter quotidianas ad populum „ homilias tot dedit volumina: nec uſquam ſen- „ tias illum dormitaſſe, aut delaſſatum fuiſſe. „ Ubique alacer eſt, ac vividus, ubique fervet. „ Amabat, quæ loquebatur; & de rebus amatis „ etiam cum voluptate loquimur. Hinc illa per- „ petua viri alacritas, viresque ſemper integræ. „ In reprehendendis moribus ubique meminit chri- „ ſtianæ moderationis, nuſquam excandeſcens in „ tragicas exclamationes, memor ſe homilias pro- „ fiteri, quod eſt familiaritatis vocabulum, non „ cenſoriæ ſeveritatis. Habet tamen interdum „ aculeorum, & acrimoniæ ſatis, amarulentiæ ni- „ hil. Crebro cum durior eſt objurgatio, ſuam „ perſonam annumerat his, quos reprehendit &c. „ Aggreſſurus argumentum perplexum, involutum, „ & ob hoc inamœnum, miris exordiis ſternit „ viam auditori, ac lucem quamdam oſtendit, quæ „ perſuadeat, facile percipi poſſe, quæ videntur „ impedita, ac plurimum habere tum utilitatis, „ tum voluptatis, quæ videbantur inamœna, & „ otioſa. Ipſam Hiſtoriam frequenter ſic diſtin- „ guit, & explanat, atque in compendium redi- „ git. Plerumque eſt inquirenti, ac laboranti „ ſimilis, interdum prope deſperanti, ut auditoris „ animum ad idem inquirendi ſtudium excitet, ac „ ſecum quodammodo circumducat ſuſpenſum, & „ attentum &c. Nullis utitur exordiis alienis, „ ſed aptis, & neceſſariis, & in medias res audi- „ torem rapiens, ordinem fere hunc ſequitur: „ Hiſtoriam explanat dilucide, breviterque, quo- „ ties res poſtulat: mox excitat auditorem ad ſen-

„ ſus

„ ſus reconditos Allegoriæ: proxime tractat lo-
„ cos morales, Paulum hac in parte ſecutus, qui
„ in primis epiſtolarum ſuarum partibus differit ſu-
„ bliniora, quibus expeditis deſcendit ad morum,
„ vitæque inſtitutionem. Nuſquam diutius im-
„ moratur, quam opus eſt, ubique vitans tædium *;
„ præterquàm quod ipſa phraſis vivida, diſtincta,
„ & dilucida non ſinit obrepere tædium, ipſa et-
„ iam brevitate vitat faſtidium. Nuſquam Ori-
„ genes non ardet, ſed nuſquam eſt ardentior,
„ quam ubi Chriſti ſermones, actusque tractat.„

Addit in *Eccleſiaſte.* „ Vix unquam aſſurgit,
„ ſed totus eſt in docendo, nihil attingens affe-
„ ctuum, niſi ſi quos ipſa movet res, quod eſt
„ Atticorum.„ Ita Eraſmus; ita & Sixtus Senenſis, qui Eraſmum pauciſſimis verbis velut in breviarium quoddam redegit **. Sed, ut dixi, uterque nihil præter homilias, & commentarios reſpicit. Quod ſi univerſe ſcriptorum ejus characterem requiris, habes iterum auctores plurimos, qui ſuam de eo ſententiam ferant. Et quidem Hieronymus *Proœmio commentar. in ad Roman.* jam grandes ſæpe ſenſus illi tribuit, ut dicat nimis tenuem ſibi ſpiritum eſſe ad tam magnificam dicendi tubam inflandam, id eſt ad græca Origenis latine redden-

* Idem *Præfat. in Fragment. Commentarior. Origenis in Matth. Videtur & illud habere peculiare, quod ingenioſo, nec imperito lectori varios aculeos, multifariamque cogitandi materiam relinquit in animo, ut non alius æque ſit utilis ad inſtruendum Concionatorem Eccleſiaſticum. Quidam enim locum nacti communem, ad nauſeam uſque immorantur: hic attingit locum, & alio divertit.*

** Habet ibi alia Sixtus ex Eunapio Sardiano ad Origenis, ut ipſe putat, dictionem illuſtrandam. Sed fallitur vir eruditus, & vehementer fallitur. Origenes enim, cujus ibi ſtyli acumen, & gravitas laudatur, alius a noſtro eſt, gentilis Philoſophus, annisque compluribus poſterior.

reddenda. Vincentius Lirinenſis, quod ſupra audivimus, dulcedinem præcipue in eo, & claritatem prædicat. Haymo *Libr. 6. de Chriſtianar. rer. memor. cap.* 3. miratur tam pari, & lucidi ſermonis eum fuiſſe. Suidas in *Collectaneis* Origenis *medio pleraque ſcripta genere orationis* affirmat. Nicolaus le Nourry *Diſſert.* 3. *de Clement. Alexandr. cap.* 2. *art.* 3. *Stylus ejus*, inquit, *comptus*, *mitis*, *æquabiliter fluens*, *& clarus.* Abbas Ladvocat in *Lexico* ſuo *portat.* ait: *In omnibus ejus ſcriptis modeſtia quædam, dulcedo, & humilitas admirabilis, alta, pulchra, & ſublimis mens, profunda doctrina, vaſtiſſimaque eruditio obſervantur.*

Sed quoniam in iſto candore ſcriptionis nec illa tacere debemus, quæ peccavit Origenes, audiamus Huetium initio *Libri* 3. *Origenianorum*, ubi omiſſis laudibus ſtyli Origeniani ſola vitia ſumit oſtendenda; quando, ut ait, illas abunde jam Eraſmus perſecutus eſſet. Quamquam, quod iterum eſt admonendum, homilias & ipſe potius, ac commentarios, quam reliqua præ oculis habet.
„ Redundat ſtylus Origenis, & diffluit. Quam-
„ obrem ipſius ἄμετρον φλυαρίαν, & ταυτολογίαν
„ carpit Euſtathius Antiochenus, & poſt illum
„ Epiphanius, eumque *ſeminarium loquacitatis* ap-
„ pellat Theophilus. Hinc & ipſi effatum hoc
„ Salomonis accomodat Nicetas: *In multiloquio*
„ *non deerit peccatum.* Adeo ut parum attentum
„ fuiſſe putem Eraſmum, cum brevitatem ejus
„ laudavit. Vitio huic Origenis cauſæ fuiſſe
„ cenſeo aſſiduam docendi, & dicendi con-
„ ſuetudinem, quæ verboſos homines facile efficit.
„ Nec verbis ſolum, ſed rebus etiam abundat;
„ quemadmodum enim herbis luxuriat feracior ſe-
„ ges, ita Origenis animus, ſi quando in aliquam
„ ſeſe meditationem conjecerat, tantam ipſi rerum
„ ubertatem felix ingenium, & reconditum do-

ctrinæ

„ ctrinæ penus ſubminiſtrabant, vix ut notarii ſcribendo pares eſſent. Ex hac feſtinatione, ut ſupra jam dixi, multa exiſtebant incommoda. „ Nimia erat orationis incuria, & ſupinitas, ad „ res enim attentus animus inſuperhabebat verborum curam, & ſtribiliginibus ſermonem quandoque fœdabat, cujusmodi nonnullas ſuis locis „ obſervavimus. Res ſæpe confundebat cum rebus, „ ut Scriptores ſacros citans aliquando permutaret „ nomina, & unum appellaret pro altero, ac ſæpe „ Scripturæ loca permiſceret, confiſus memoriæ „ ſcilicet, & quo minus libros conſuleret, feſtinatione impeditus. Scribit Didymus in Apologetico, quem pro Origene edidit, aliam verbis „ ejus ineſſe ſententiam, ac prima fronte videtur. „ Certe librorum, qui ſuperſunt, planus eſt ſtylus, „ & apertus, adeoque affirmare auſim, ſicubi obſcurus ſit Origenes, ſententiam de induſtria vitandæ offenſioni occultaſſe. Vitia Origeniani „ ſtyli notavimus: laudes notaremus quoque, ſi „ non id jam accurate, & erudite præſtitiſſet Eraſmus, quem omnino hac in parte audiat, ſi quis „ Adamantio favet. „

Huetium ſecutus eſt Guilielmus Cave ad *annum* 230, ubi ita habet: *Stylo uſus eſt perſpicuo, & facili, ſed diffuſo nimis, & redundanti. Unde vitio ei datum eſt ab Adverſariis*, quod infinita verba multiplicarit *. *Hinc toties ei objicit Hieronymo vetuſtior Euſtathius Antiochenus*, quod idem ſatis aniliter iteret repetendo; quod inanem verborum copiam abſque modo, vel ſine profuderit, ingenti verborum ambitu iterum, atque iterum eadem repetierit **. Opti-

* In *Engaſtrimytho.*

** Allegoriæ ſtudium ſane nimium, atque etiam erroris, quam multi, tam magni nihil in hanc rem: & ſufficit nunc quidem advertiſſe, illud minus ſoliditatis, alterum

Optime iſta diſtinxit Bernardus Marechal in *Concord. PP. Obſervant eruditi,* inquit, *Origenis ſtylum ſuavem eſſe, amœnum, perpolitum, & ad perſuadendum accomodatum, præcipue in iis operibus, quæ controverſa complectuntur. Commentariorum enim, quorum maximam partem dictaverat, non æque limatus ſtylus, neque eadem elegantia eſt. Dictio item homiliarum, quas ex tempore, nec meditatus pronuntiabat, haud æquabilis. Verum opus ejus contra Celſum undequaque eſt perfectum. In eo enim chriſtianæ fidei præcipuas veritates eleganti, expedita, & vehementi oratione illuſtrat, tueturque validiſſimis argumentis.* Ita iſte, qui non diſſimulat ex Ceillierio ſe profeciſſe. Iſta ſerviant lectori, ne ex uno cetera quoque metiatur, & eodem loco habeat, quæ deproperavit Origenes, quæque ita excoluit, ut cum gravitate Philoſophi & modeſtia Chriſtiani, oratoris etiam vim, ornatum, atque ardorem conjungeret. Quamquam minime velim negare, vel in ipſis homiliis eſſe quædam grandiora, atque jam ad affectum, jam ad voluptatem comparata. Talia ſunt *homilia* 5. *in Geneſin* de inceſto concubitu filiarum Lothi: *homilia* 8. *in eandem* de immolatione Abrahæ: *homilia* 9. *in Leviticum* in homines molles, carnique magis, quam ſpiritui intentos, denique plures ejus generis alii loci, qui modo non occurrunt. Sed poſtquam de charactere ſcriptionum Origenis haud obiter eſt pertractatum, nunc inter ipſas Scriptiones delectum, ut licuerit, inſtituamus.

CAPUT

---

rum plus periculi habere. Videantur auctores, qui ex inſtituto de utriſque agunt, maxime autem, qui loco omnium fuerit, Huetius, & Joan. Franc. Buddeus in *Diſſert. Philolog. de Allegoriis Origenis Witteberga* 1689. *in* 4.

CAPUT III.

Quid ex reſiduis operibus reſpondeat famæ tantæ facundiæ?

Præcipuum operum Origenis haud dubie ſunt *Libri contra Celſum.* Cum enim iſte adverſus Evangelium libello perſcripto ingentem ſibi famam paraſſet, & calumniæ ejus ſummo plauſu a gentilibus exciperentur, Origenes ſublato interim e vivis auctore, confutandas ſuſcepit, devexa jam ætate, & judicio longe magis ac antea ſubacto. Qua autem vi, qua facultate, qua copia, apparatuque eruditionis Epicureum hominem repreſſit! Non contentus ſolvere argumenta ejus, ad ſingulos paſſus premit adverſarium, & licet moderatione ſumma utatur, tamen una & petulantiam contundit, & principia ejus omnia convellit; ut minime mirum ſit, ejusmodi opus a chriſtianis ſcriptoribus magnis ubique, imo maximis encomiis celebrari. Euſebius Cæſarienſis *Libro adverſus Hieroclem* ita exiſtimat, quaſi libris illis, quidquid ea de re vel ſcriptum eſt aliquando, vel deinceps ſcribetur, in anteceſſum velut præoccupatione quadam diſſolverit, & confutarit. SS. Baſilius Magnus, & Gregorius Nazianzenus tanti id ipſum opus fecerunt, ut fragmentis inde excerptis totam fere Philocaliam ſuam contexerent. S. Hieronymus *Epiſt.* 84, *nunc* 70 *ad Magnum* comparatione Origenis contra Celſum ſcribentis imperitiſſimum ait inveniendum ſe, & poſt tanti temporis otium vix quaſi per ſomnium, quod puer didiciſſet, recordari. Neque minus honorifice auctores poſteriores hoc de opere commemorant. Theodorus Gaza in *Epiſt. ad Chriſtophorum Perſonam* * vocat *elegantiſſimum.*

* Hunc ipſum Chriſtophorum Perſonam in duplici *Nuncupatoria ad Sixtum IV.* & poſt ſubſtituta *ad Joannem Mocenicum, Venetiarum Ducem* accedito; ſunt enim in utraque varia ad operis hujus commendationem.

tiſſimum. Cardinalis Baronius ad annum 243: *Gnaviter in opus incumbens* (Origenes) *celeberrimum omnium illum edidit commentarium, quo cum Celſi, tum etiam Gentilium omnium, ac Judæorum disjecit in chriſtianam pietatem molitiones.* Henricus Valeſius in *Notis ad Librum VI. cap.* 35. *Euſebii, octo elegantiſſimos libros* appellat. Huetius jam *eruditione refertos* affirmat, jam iſtuc admonet, *non alias tantam doctrinæ chriſtianæ, & profanæ ubertatem, tanta argumentorum pondera* Origenem exprompſiſſe. Georgius Bullus in *defenſione fidei Nicænæ pag. mihi* 168, cum præmiſiſſet, quædam eſſe Origenis virilia, & ſeria, cogitate, attenteque exarata: quædam a ſene longo uſu, experientiaque edocto compoſita: *Hujusmodi,* ſubjungit, *ſunt omnium conſenſu Libri octo contra Celſum Epicureum. Quippe in his communem Chriſtianorum doctrinam adverſus inſtructiſſimum Religionis noſtræ hoſtem propugnat. Hi ſummo auctoris ſtudio, maxima eruditione, idque ab ipſo jam ſexagenario majori elucubrati fuere.* Ludovicus Du Meſnil *pag.* 300. *Hæc pauca,* inquit, *ex Libris adverſus Celſum annotaſſe ſufficit, ut tanti viri vis ingenii, & eloquentiæ manifeſtetur ſimul, & veritas Eccleſiaſtica.* Carolus de la Ruë, vir clariſſimus, eximiaque eruditione, & temperantia *Præfat. gener. in nov. Origenis editionem,* ex his maxime, quis vir Origenes fuiſſet, conficit, hiſce verbis: *Et ſane quamvis teſtimonia deficerent Origenem in illa humanarum rerum atque artium ſcientia, declararent eam plane octo Libri contra Celſum; quod opus unum vel maxime profanarum inſtitutionum ſuppeditat ubertatem, & copiam.* Poſt vero jam *aureos libros,* jam *eximiam illam chriſtianæ Religionis Apologiam* dicit. Idem in *Nuncupatoria ad Clementem XII.* de iisdem: *Ubi Epicureum illum, chriſtianæ Religioni juveniliter inſultantem immenſa omnis generis eruditione, atque ineluctabili argumentorum vi proſternit, & obruit.* Marechali elogium, quia

ſupra

ſupra capite 2. recitatum eſt, minime opus fuerit hic denuo allegare. Atque hoc paulo fuſius in gratiam amici, mirantis admodum criſin Dupini: Ex omnibus chriſtianæ Religionis Apologiis, quæ prioribus ſæculis editæ ſunt, nullam videri, quæ huic Origenianæ omnium abſolutiſſimæ, comparari queat. Sic enim patet manifeſte, nihil eo quidem loco Dupinum exaggeraſſe.

Secundum ab his locum obtinet *Adhortatio ad Martyrium*, quam Otto Friſingenſis *Libro III. Chronici cap. 32. neceſſarium, & egregium de Martyrio Librum*; Nicephorus Calliſtus *Libro 5. Hiſtor. Eccl. cap. 19. præclaram illam orationem*; Huetius *Libro I. Origenianor. cap. 3. aureum libellum*: de la Ruë in *Monito* præfixo *aureum opuſculum* appellat. Taceo alia encomia; paſſim enim, neque communi aliqua laude ſive ab antiquis, ſive modernis ſolet commendari. Præcipua vero laus ab eventu petitur. Nam & familiares Origenis, & alii præterea multi tam explicatas in ea Martyrii rationes habuerunt, ut certamen pro Chriſto inirent fortiſſime, ſicque incitati conſtantiſſime in eo perdurarent.

Poſt Syntagmata venirem ad Epiſtolas, ſiquidem plures hodieque ſupereſſent. Præſtantiæ earum experimentum ex illa cape, qua Africano *de hiſtoria Suſannæ* reſpondet, *magnificentiſſime ſcripta*, ut loquitur Sixtus Senenſis. Ergo ad ea convertimur, quibus Scripturam Origenes explicavit. Prima autem lex, ad quam inſtitui delectus debet, iſta eſt, in his univerſe Tomos excellere. Cum enim homilias pleraſque haberet ex tempore *, Commentarios

* Dico pleraſque; nam illas *in Pſalmum* 36. 37. 38. domi & in otio concepit. Idem dicas de homiliis *in Lucam*, quas tamen, quod a juvene ſunt ſcriptæ, & maculis haud paucis ſordent, minime vellem aliis quibuſcunque demum anteponi.

tarios nonnihil perpolivit, uti alias eſt annotatum. Imo Hieronymus *Prologo ad verſum a ſe Origenem in Ezechielem*, Origenem, ait, ibi *tota ingenii ſui vela ſpirantibus ventis dediſſe*, *& recedentem a terra in medium pelagus aufugiſſe.* Quamquám autem in Tomis & ſtylum, & ingenium magis laudamus, tamen minus illi faciunt ad Conciones, quam homiliæ, recteque obſervat Huetius *Libro III. Origenian. in Append. Artis oratoriæ figuras in Tomis nullas admirere, non multas in Homiliis.*

Altera lex eſt ætas. Quæ enim ſenior compoſuit, multo majoris habentur, quam quæ juvenili calore velut immatura profudit. Atque iſtuc jam Hieronymus, & alii plures adverterunt. Quæ autem a ſene, quæ a viro, quæ à juvene ſint profecta, cum Huetius *Libro III. Origenianorum*, tum (ut minime dubito) noviſſimus editor operum curioſe expendunt. Ad hos remitto lectorem, rei ejus ſatagentem: nos enim non tantam auctoritatis, quantam eloquentiæ habemus rationem. Porro inter Tomos opus *in Cantica*, ſi extaret integrum, palmam præ omnibus ferret. Verum injuriæ temporum non niſi fragmenta quædam nobis reliquerunt. Ut enim mittam paucula, quæ in Philocalia habentur, Hieronymus duas homilias latinas fecit: aliam, eamque majorem partem commentarii vertit Ruffinus, & ipſam neſcio a quo perperam in homilias diſtributam *. De utriſque autem, Commentariis, & Homiliis æque intelligendum, quod Hieronymus in easdem, quas dixi, duas homilias præfatus eſt; Origenem cum in ceteris alios vicerit, hic in Cantico ſe ipſum ſuperaſſe. Alii tertiam addunt regulam, ex

* Inſcitiam ergo ſuam produnt, qui in hunc diem, licet dignam Origenis ſive ingenio, ſive eloquentia pronuntient, alteri tamen, eique latino auctori tribuunt. Certe Huetius *Libro III. Origenianor. cap. 2. Sect. 3.* contrarium plane demonſtravit.

ex *Ambroſii Epiſt.* 75. *alias* 43. *&* 73. *ad Clementianum* mutuatam; Adamantium ſcilicet minorem videri in novo quam veteri Teſtamento. Verum id nihil ad nos: & Huetius *Libro III. Sect.* 3. *ad finem* non aliter id accipit, quam quod recenti in argumento, & ubi figuræ ceſſabant, non eum campum ſit nactus, quem in altero jam profligato, & Allegoriarum feraci multo utique facilius decurriſſet.

Suppoſititia non attingo, in quibus nihil reperio genuinis excellentius. Magno uſui ſunt *Liber de Singularitate Clericorum*, & *Homilia* inter eas, quæ *de diverſis* ſunt, *decima de Magdalena.* Sed de illo in Cypriano eſt actum: de hoc alibi ad D. Magdalenæ feſtum dicetur.

Plura de Origenis eloquentia miniſtrabunt Merlinus in *Apologia pro Origene*: Binetus *de ſalute Origenis*: Halloix in *Origene defenſo*: Horbius in *Hiſtoria Origeniana*: Doncinus in Libro gallico *de Motibus Eccleſiæ in cauſa Origenis*: Alixius in *vita Origenis*: Du Foſſe, ſeu ut alieno ſe nomine vocat, de La Motte in *Hiſtoria Origenis.* Huetius in *Origenianis*: *Tomus ultimus editionis Maurinæ,* poſt obitum Caroli de la Rué, qui operi immortuus eſt, abſolutus a Nepote ejus, & *anno* 1759. editus *Pariſiis.* Hunc, quia caro ſtat pretio, in inſtructiſſimis etiam Bibliothecis fruſtra quæſivi. Quamquam quod Huetium haberem ad manus, non erat, cur magnopere illum deſiderarem; hujus enim Origeniana caput ſunt eorum, quæ ibi continentur. Sed neque nova credo afferet, quando ab auctoribus tanto numero allegatis aut omnia, aut certe pleraque dudum ſunt occupata.

DISSERTATIO III.

De Eloquentia S. Athanasii.

CAPUT I.

Elogium eloquentiæ Athanaſianæ.

Athanaſius patria Alexandrinus grande a natura ingenium ſortitus eſt, & pie, ſolerterque educatus a puero Religionem, & ſcientiam Scripturarum adamavit. Quare brevi ingentes fecit progreſſus, & Orator, Philoſophus, Theologus, Jureconſultus inſignis evaſit. Ergo S. Alexander Patriarcha Alexandrinus, qui tam eximias dotes probe cognoverat, ad ſecretas literas juvenem adhibuit, & ejus maxime calamo Gentiles, Meletianos, & quoscunque Eccleſiæ hoſtes exagitavit. Sub hæc Athanaſius, Antonii fama excitus, ſolitudinem petiit, & conſuetudine illius usque adeo captus eſt, uti magiſtrum pietatis aſciſceret, & deinceps quoque frequenter admodum reviſeret. Ita ad imminentia certamina comparatus, cum paulo poſt Arius exiſteret ab inferis, utiliſſimam Antiſtiti operam navavit, & comes aſſumptus ad Nicænam Synodum in illo orbis theatro cauſam Servatoris præ aliis defendit. Videres Diaconum licet, nec juventutem egreſſum, omnium ore ferri, & quod Nazianzenus * ait, auctoritatem hominis nihilo minorem, quam Epiſcoporum eſſe. Certe ejusmodi animum, perſpicaciam, & facultatem dicendi exprompſit, uti ab eo tempore exiſtimationem a Catholicis, & fiduciam ſingularem: odium vero ab Arianis internecinum, ac implacabile in omnem vitam aufferret.

Sed præcipue Athanaſii eloquentia emicuit, quando præfectus Alexandrinæ Eccleſiæ & ſuos erudire

* *Orat.* 21.

dire publice, & hæreticos qua ſtylo, qua voce perſequi ubique terrarum cœpit. Quanti ad audiendum eum concurſus fierent, ex *Apologia* ejus *ad Conſtantium* habemus, in qua ipſe affirmat, vel feriatis ſolum per quadrageſimam diebus ob frequentiam populi pueros complures, nec paucas puellas, aniculas, adoleſcentes pene oppreſſos domum referri debuiſſe, etſi (quæ Dei fuit clementia) mortem exinde ne unus quidem oppetierit. Atque ita factum poſtulatione populi tumultuantis, ut in Eccleſia ingenti recens extructa, nec conſecrata conventus haberentur. Qui vero fructus dicente Athanaſio exiſterent, ex *Hiſtoria Arianorum ad Monachos* conſtat, ubi de tempore a ſecundo exilio narrat. Alacritas enim populorum tanta erat in Synaxibus, uti ſe mutuo ipſi ad virtutem hortarentur. *Quot*, inquit, *innuptæ; ad nubendum tamen paratæ, Virgines Deo dicatæ permanſerunt? quot adoleſcentes aliorum exemplo concitati vitam monaſticam amplexi ſunt? quot patres filios ſuos hortabantur? quot patres a filiis rogati ſunt, ut ne ſuam in Chriſto exercitationem interpellarent? quot uxores viris ſuis, quot viri uxoribus ſuis perſuaſerunt, ut orationi incumberent, quemadmodum ait Apoſtolus? quot viduæ, quot orphani, qui prius eſuriebant, nudique erant, ex ardenti populorum ad virtutem ſtudio non ultra eſuriere, imo etiam induti prodiere? Tanta demum de virtute contentio fuit, ut ſingulas familias, ſingulas domos ob probitatem inhabitantium, precesque ad Deum fuſas totidem Eccleſias exiſtimaſſes.*

Talis erat Athanaſius, cui novis ſemper bellis, & dimicationibus implicito inſidias, exilia, calumnias perpeſſo, raro admodum expolire licebat, quæ conſcripſiſſet. Quantus erat futurus, ſi abundaſſet otio, & totum ſe involvere literis potuiſſet? Hoc ſane præcipuum eſt argumentum ingenii, & facundiæ ejus, haud ſecus, ac infracti animi, & cetera-

rum virtutum. Vel ſic enim palmas innumeras retulit, & columna Eccleſiæ præcipua habebatur, ut idem pene eſſet ab Athanaſio, atque a fide ipſa defeciſſe. Miſcebant totum mundum Ariani, & acheronta movebant, nec tamen ſtylum extorquere illi e manibus, aut os illud Eccleſiæ comprimere potuerunt. Eleganter de eo S. Hilarius æqualis eorum temporum *Libro contra Conſtantium num.* 11. ſcripſit: *Brevius adverſus Perſam* (cum quo bella tum continua Romanis fuerunt) *quam adverſus eam* (Alexandriam) *armis certatum eſt. Mutati Præfecti, electi Duces, corrupti populi, commotæ legiones, ne Chriſtus ab Athanaſio prædicaretur.* Ita cœleſtem viri eloquentiam hæretici extimuerunt. Beſtias diceres, aut ſerpentes rugitu leonis, aut tonitru exaudito in terrorem datos. Unde Montfauconus *initio Præfat. in univerſa S. Athanaſii opera*, cum admonuiſſet victoriæ olim de pernicioſiſſimis Eccleſiæ hoſtibus non aliis, quam hiſce telis partæ, illud ſubjungit, minime quidem meo judicio prætereundum: *Quis enim, ſi perpendat, quantum ingenio, quantum peritia literarum, quantum humana gratia valerent, quibuscum Athanaſius aſſidue per totam vitam congreſſus eſt, non maximi ea ſcripta ducat, quibus ii profligati, vera doctrina aſſerta fuit? His Arii Dialectica, Euſebii Nicomedienſis calliditas illa, parque maximis gerendis rebus ingenium: his gentilis ejus Cæſarienſis eruditio varia, Theodori Heracleotæ ſacrarum Literarum peritia, erroribus tuendis addicta, his demum hæreticorum omnium tela depulſa ſunt.* * Quid quod facundiæ cauſa gentilibus ipſis, atque adeo dæmoniis inviſus maxime fuit? Illi enim, ut Socrates, & Sozomenus tradunt, metuentes cultui Numinum ſuorum, qui Athanaſii doctrina, ſermone, precibus decre-

* Plura de Athanaſii certaminibus vide in *Prato Sophronii* loc. infra citando, item ad calcem *vitæ Maurinorum* egregie comprehenſa.

decreſcebat in dies, magos ſecum, aruſpices, atque ariolos adduxerunt ad Julianum, qui ſimul conteſtarentur, nihil gentilitati ceſſurum proſpere, niſi Athanaſius pelleretur: iſti, quod Theodoretus docet, cum vim ſermonum, & precum ejus ferre non poſſent, miniſtros ſuos ad maledicta incitarunt, multis expoſtulantes, exturbari hominem, qui ſi remanſerit, nullus Deorum cultor remanſurus eſſet, cunctis ſcilicet ab eo ad partes ſuas attrahendis. Quod & utrumque ſatis Tyranno fuit, uti ſubſcriberet poſtulatis, & virum Sanctum toties exulem ipſe quoque exturbaret. Sed jam teſtimonia ſummorum virorum audire debemus, qui pro eloquentia Oratoris noſtri ſuffragium tulerunt.

S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* 21. & 23. jam *magnam veritatis tubam*, jam *vocem ſublimem*, *fidei columnam*, *Chriſti lucernam*, & *ſecundum Præcurſorem* dicit. Deinde fuſius, cum Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, primosque Eccleſiæ Epiſcopos omnes una collegiſſet, ita magnificentiſſime concludit: „ Ex his Athanaſius alios exæquavit, ab aliis paulum abſuit, nonnullos etiam, „ niſi hoc audacius a me dictum videatur, anteceſſit: atque aliorum ſermonem, & eruditionem, „ aliorum actionem, aliorum manſuetudinem, „ aliorum Zelum, aliorum dimicationes, aliorum „ multa, aliorum omnia imitando conſecutus, at- „ que aliud ab alio mutuatus, quemadmodum qui „ formas ſingulari ſtudio, & elegantia pingunt, „ atque in unam ſui ipſius animam complexus, „ unum ex omnibus virtutis ſimulacrum, numeris „ omnibus abſolutum edidit, ſic videlicet ſe comparans, ut & diſertos actione, & rerum gerendarum facultate præditos eruditione, atque eloquentia vinceret; aut ſi mavis & doctrinæ gloria „ florentes doctrina, & rebus gerendis aptiſſimos „ actione ſuperaret: atque & iis, qui mediocrem in

 „ utro-

„ utroque genere laudem habebant, eo ſuperior eſ-
„ ſet, quod in altero horum ſumme excelleret, &
„ rurſus iis, qui altero duntaxat genere ſummopere
„ eminebant, hoc maxime præſtaret, quod utra-
„ que virtute polleret. „

Et iterum *inferius* ait, nec propter morum exemplum opus habuiſſe concionibus, nec propter vim, facultatemque dicendi poteſtate admodum eguiſſe. Rurſum affirmat, Athanaſium in expurgando ſacro loco, quod Chriſtus flagellis fecerit, perſuaſibili ſua oratione effeciſſe. Denique inaudita phraſi dicit: Reſuſcitaſſe collapſam Verbi doctrinam, & Trinitatem rurſus ſuper candelabrum poſuiſſe, ut claro unius divinitatis lumine omnium mentes pergeret colluſtrare. Et mox: Leges quodammodo dictaſſe eum mundo, & omnium animos ad ſe pertraxiſſe, hos quidem ſcriptis, illos voce erudientem.

PAULINUS divi Ambroſii Notarius, & vitæ ſcriptor, *initio ejus: Beatum virum Athanaſium Epiſcopum, tantum virum, murum Eccleſiarum, & eloquentiæ fontem* appellat.

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS in *Epiſtol. ad Presbyteros, Diaconos, & Patres Monachorum in Actis Synod. Epheſ. I. cap.* 1. inter alia quædam de Athanaſio: *Loquaci hæreticorum garrulitati invicta, planeque apoſtolica ſapientia reſiſtens; ſcriptis ſuis veluti fragrantiſſimo quodam unguento totum hunc orbem mirifice recreavit.*

FACUNDUS HERMIANENSIS *Libro X. de trib. capitul. c.* 5. Athanaſium *virum* dicit, *magna ratione, & gravitate fundatum, & cui tanquam experientiſſimo Duci ſumma prælia adverſus hoſtes Eccleſiæ merito crederentur.*

S. SOPHRONIUS & JOANNES MOSCHUS in *Prato cap.* 197. *magnum propugnatorem, ac præconem veritatis, & orbis totius Doctorem inclytum* appellant.

ABBAS

Abbas Cosmas *apud eundem Moſchum cap.* 40. ita perſuaſus de pretio, & excellentia ſcriptionum Athanaſii fuit, ut eas hac memorabili edita voce omnibus commendaret: *Cum inveneris aliquid ex opuſculis S. Athanaſii, nec habueris chartas ad ſcribendum, in veſtimentis tuis ſcribe illud.*

Donopater quidam, vir eruditus, & de Athanaſii ſcriptis bene meritus, qui antiquiſſimum, & accuratiſſimum Codicem Baſileenſem exaravit; in laude metrica fronti græce inſcripta:

Ari tace, qui ſilentio damnatus es,
Athanaſio docto loquente!
Inepte blatero, putide, nequitia ſcatens,
Sophiſta vetule ſatanicorum dogmatum,
Deliteſce tandem multo pudore confuſus.
Emicant etenim Athanaſii ſermones,
Et ubique volitant fulguris in modum,
Tuos amicos urentes, vel pectus tuum.

Mox: Tu percuſſus es ſpirituali funda,
Vere vulneratus es divinis telis:
Vere ſauciatus es jaculis lethiferis,
Quæ jaculata eſt divinitus inſpirata
Lingua beati Athanaſii.

Et: Sed o famule divine, Dei ſacerdos
Athanaſi, ſapientum fons orationum!
Effunde in nos fluxum immortalitatis,
Spiritualem expelle a nobis mortem:
Inſtilla nobis modicum quid ad ſalutem.

Recentiores fere omnes, quotquot mentionem de eo faciunt, nunquam ſine elogio eloquentiæ facere id conſueverunt. Et alii quidem Patrem graviſſimum, alii magnum opere, & ſermone dicunt: iterum alii non minus dictis ſcriptisque ejus, quam conſtantiæ tribuunt, quod Ariana factio repreſſa, & Reipublicæ chriſtianæ integritas majorem adhuc partem conſervata ſit. Et Erasmus quidem ingentem ubique librorum ejus præfert exiſtimationem.

 Verba

Verba tamen ejus nunc quidem non adduco; quod cum charactere connexa ſunt, & ad ſequens caput pertinent. Sufficit illud monere, quod eum Patribus ferme omnibus præferre videtur; prægustatque egregios ingenii, facundiæque fructus, quos daturus ille erat, ſi ſæculo tranquilliore vitam vixiſſet. * Et tamen Eraſmus pauciſſima ejus vidit, eaque minus eloquentia. *Quid ſi incidiſſet Eraſmus in exquiſitiſſima illa opera tam multa, quæ nunquam vidit? In Epiſtolas ſcilicet de ſententia Dionyſii, ad Dracontium, ad Monachos, ad Epictetum, in Libros contra Arianos, contra Apollinarium? quid ſi in Librum contra Gentes, in Apologiam ad Conſtantium? An non tantorum operum artificem, omnium eloquentiſſimum nuncupaſſet?* **

SIXTUS SENENSIS in *Biblioth. Sanct.* Athanaſium dicit *Sanctitatis, & eruditionis eximiæ, acerrimum Catholicæ fidei propugnatorem, qui ad poſteros multa præclari ingenii ſui monumenta reliquiſſet.*

PETRUS RIBADENEIRA in *Vitis SS.* 2. *Maji.* Athanaſium *inexhauſtæ flumen eloquentiæ* nuncupat.

LUDOVICUS CRESOLLIUS in *Theatr. Rhetor. Libr. I. c.* 9. illud de Athanaſio affirmat, *quod cæleſtis eloquentiæ vi, & impetu veritatem propugnaviſſet.*

PHILIPPUS BRIETIUS *Sæculo IV. cap.* 8. præter alia, *Multas*, inquit, *ejus laudes congeſſit Nazianzenus, ſed nondum laudante, laudatoque ſatis dignas, cum omni laude major vixerit, ſcripſerit, & obierit Athanaſius.*

JOANNES CROISET in *Exercit. pietat.* 2. *Maji. Quidquid ille*, ait, *ad defendendam religionem ſcripſit, ſatis oſtendit, quam in omnibus ſcientiis excelleret, & totius,*

* **Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Lincolnienſem.**

** **Verba ſunt Maurinorum in** ***Præfat. gener.***

totius humanitatis intelligens *, *& doctiſſimus Philoſophus*, *& diligens*, *profundusque Theologus*, *atque etiam Jureconſultus maxime habilis.*

LAURENTIUS BERTI *in Eccleſ. Hiſtor. breviario Sæcul. IV. cap.* 4. de Athanaſio ſic pronuntiat: *Exquiſitiſſimis lucubrationibus Arianam hæreſin profligavit.*

Sed nemo frequentius, nemo copioſius, pulchriusque Athanaſii eloquentiam prædicavit, atque MAURINI in præſtanti illa editione operum fecerunt, quam quidem nos maximam partem Montfaucono tribuimus: Jam enim in *Nuncupatoria ad Cardin. de Boüillon* dicunt: *Athanaſium non minus ſcriptorum, quam geſtorum ſuorum ope, in memoria hominum vivere, & perennare. Initio* autem *Præfat. General.* rotunde: *Inter Eccleſiæ Græcæ Doctores primas tenet magnus ille Athanaſius*: *ibidem* infer. *Athanaſium inter Græcorum elegantiſſimos numerandum* dicunt. Et rurſum: *Elegantiſſima* ejus opera appellant. Taceo alia, eaque fuſiora, quæ potius ad ſequentia duo capita reducere oportet.

Sunt

* Montfauconus in *Præfat. generali*. Ad manſuetiores vero Muſas an aliquando (*in Epiſcopatu*) ſe contulerit Athanaſius, nec ne, haud facile dictu eſt. Augurari tamen licet, Sanctum Doctorem, cum quotidianæ curæ angerent animum, & pro Eccleſia ſemper ille, pro capite, pro fide decerneret, modicam hujusmodi ſtudiis operam dediſſe, deſcriptionibus videlicet, encomiis, Philoſophiæ. Carmina vero ne minimum attigiſſe videtur . . . . Platonis, Homerique Libros legit aſſidue, nec non aliorum veterum, ut ex Oratione contra gentes, & ex aliis ejus operibus propalam eſt. Quod ſi Gregorius Nazianzenus illum hac in parte mediocriter duntaxat eruditum fuiſſe narrat, id nimirum Gregorio viſum fuit, qui magnam ætatis ſuæ partem his in ſtudiis contrivit. Aliis autem jure videatur Athanaſius φιλολόγος, & his in rebus probe eruditus.

Sunt autem hæc eloquentiæ Athanaſianæ elogia tanto pluris facienda, quod non ea argumenta eſt nactus, in quibus ille jactare ſeſe, & velut in patente campo liberius decurrere poſſet. Id quod a lectoribus probe notari vult Nannius interpres ejus. Sic enim inquit: „ Jam ſi de argumentorum difficultatibus, in quibus verſatur Athanaſius, dicendum ſit, quid æque onerosum putes, aut ſublimius, ſubductiusque ab humanis ſenſibus? Pleraque enim viri ſcripta de Trinitate loquuntur, re humano ingenio prorſus inexplicabili. Neque ille cum Paulo tantum in tertium coelum, ſed in ipſum ſinum Patris evolare videtur, ibique, quatenus fas eſt, Filium e Patre ſine tempore genitum, ac proinde illi ætate æqualem, deitate eundem, perſona diverſum ita deſcribit, & contemplandum præbet, ut plus ab ingenio humano præſtari non poſſit, utque illum putes in pectore Domini non dulci contemplatione cum Joanne ſopitum, ſed vigilantiſſimis oculis Trinitatis myſteria enotare, & ſcientiam ejus arcani in terram, „ & ad humanos ſenſus deportare. „ In *Præfat.* Et certe habet pro ſe Nannius S. Iſidorum Peluſiotam, qui *Libro I. epiſt.* 323. Sanctum Patrem noſtrum, magnum Athanaſium eum virum vocat, *qui ad divinarum rerum intimos ſinus eximie penetrarit.* Item Gregorium Hieromonachum in *Reſponſ. ad Epiſt. Marci Epheſini*, ubi Athanaſium *fontem facultatis Theologicæ* appellat. Photius *Cod.* 140. non dubitat aſſerere, Sanctos Doctores Baſilium, & Gregorium Nazianzenum, ex ejus contra Arianos ſcriptis Theologiam ſuam hauſiſſe. Eadem de cauſa Maurini in laudata jam Præfatione, tam grandi, quam brevi encomio *Patrem hodiernæ Theologiæ* ſalutant. *

Quan-

* Revocentur in memoriam, quæ jam Libro noſtro primo Diſſertatione tertia ex Claudio Fleuryo de ſubtilitate

Quanto autem ſublimius argumentum, tanto difficilior eloquentia eſt, quod nemo melius ipſis Theologis oſtendit, qui pluribus ſæculis putarunt, fieri minime poſſe, ut quis ſimul & divinis literis, quas ſeveras dicebant, & manſuetioribus illis operam navaret. Cum ergo Philoſtorgium Arianum audis, qui apud Suidam in *Baſilio* Athanaſium dicit, Baſilio, Gregorio, & Apollinario comparatum, videri puerum: nonne vocem canis audiſti, allatrantis eum, cujus baculo percuſſus, aut certe abactus eſt. Unius maledici vocem tot aliorum antiquorum æque, ac nuperorum laudes ita obtundunt, ut tam parum a nobis, ac reliqua ejus convitia, exaudiatur.*

Unum clauſulæ loco ſubjiciendum eſt, huc maxime pertinens, ſcilicet Athanaſium noſtrum, cum vel familiari tantum ſermone diceret, plus ceteris, qui meditati adeſſent, efficere ſolitum. Naturali enim ſuada facillimos habuit aditus, ſed neque exitus difficiliores, & ad quoscunque verba faceret, in admirationem omnes dabat. Adde animum præſentem ſemper, & terrenorum omnium contemptorem, qui plenum altiſſimis, atque cœleſtibus ſenſis ei pectus efficiebat. Facundiæ huic ferendæ nec Cæſares ipſi pares erant; & factioſi, qui probe noſſent, quantum ex tempore vox ejus in congreſſibus valeret, nihil curabant magis, quam uti hominem a Principis audientia arcerent, neque auſi ſunt aliter, niſi calumniis & maledictis ei reſpondere, quem ſtylo refutare nemo poſſet in tanto numero Sophiſtarum jam prece, jam pretio, jam metu conductorum. Huic ipſi extemporali facundiæ populi amor debetur, communis ille, & incredibilis, qui cum

tate Theologica cum aliorum Patrum, tum nominatim Athanaſii memorata ſunt.

* Philoſtorgii impudentiam ex inſtituto confutant Mauꝗini in *Præfat. gener.*

cum adverſis, toties pro illo exantlatis, tum ex triumphali reditu apparet, quem ambitioſe Nazianzenus *Orat.* 21. & breviſſime Hieronymus *Dialog. adverſ. Luciferian. poſt medium* ex merito celebrarunt. Sed progrediamur aliquando; hæc enim ad laudem eloquentiæ univerſe ſumptam ſufficere poſſunt.

CAPUT II.

Vultus ejusdem, & lineamenta.

Quoniam innumera ſunt, quæ confluant in hoc unum caput, & pleraque in eandem ſententiam, hunc ſermoni noſtro ordinem præſtituimus, ut in locis recitandis ætatis præcipue rationem haberemus. Primus, quod ſciam, Athanaſii characterem Photius expinxit. Sic autem habet *cod.* 140. *Hujus dictio perſpicua, ut & in ceteris ejus omnibus: ſobria item, & candida, vehemensque, ac profunda, & argumenta valide torquens. Ejus vero ubertas in his, ac fæcunditas admodum ſane fuit mirabilis. Dialecticis adhæc uſus eſt argumentis, non illis nude propoſitis, & ipſiſmet ex ea arte petitis vocibus (quod pueri, recentioresque diſcipuli, juveniliter ſeſe, ac glorioſe oſtentantes, ſolent) verum Philoſophorum more, magnificeque prolatis, ac per nudas duntaxat notiones, & has quidem bene ornatas. Sacræ quoque Scripturæ teſtimoniis, ac demonſtrationibus valide communitur.* Quæ etſi recta Libros contra Arium reſpiciunt, tamen & de reliquis ejus haud injuria dicuntur. Perſpicuitatem initio laudatam jam ante *cod.* 139. hic ipſe Criticus *in omnibus* ejus *ſcriptis* commendavit.

Auctor Anonymus, & antiquus ille *ad calcem editionum priorum* verſus finem: *In ipſius Athanaſii ſcriptis res, atque ſententiæ optime tractantur, & in elocutione ſimplicitas eſt, & gravitas, & energia admirabilis.*

Petrus

Petrus Brutus Epiſcopus Catharenſis *Epiſtola ad Barnabam Celſanum* de Athanaſiii præcipuis quibusdam opuſculis ſic loquitur: *Ineſt tanta verborum concinnitas, tantaque dicendi copia cum gravitate conjuncta, ut divinum opus quidem, & in arce poni dignum, quaſi Minerva illa Phidiæ merito dici, & æſtimari poſſit.*

Omnibono Leoniceno *ad Paulum II. Pontificem* Athanaſius dicitur *Orator locuples, diſputator acutus idem, ac vehemens, qui ſubdolum Arium multiplicemque pertentaret, & ex ipſo dilabente, ac diu multumque renitente veritatem extorqueret.* *

Eraſmus in *Dedicatione operum Auguſtini ad Alphonſum Fonſecam Archiepiſcopum Toletanum: In Athanaſio*, inquit, *ſuſpicimus ſeriam, ac ſedulam docendi perſpicuitatem.* Idem in *Præfatione* verſorum a ſe quorumdam Athanaſii Scriptorum *ad Joan. Epiſcop. Lincolnienſem ad finem* eaſdem Athanaſii notas exhibet hiſce verbis: *Habebat enim vere dotem illam, quam Paulus in Epiſcopo putat eſſe præcipuam, τὸ διδακτικὸν; adeo dilucidus eſt, acutus, ſobrius, attentus, breviter omnibus modis ad docendum appoſitus. Nihil habet durum, quod offendit in Tertulliano: nihil ἐπιδεικτικὸν, quod vidimus in Hieronymo: nihil operoſum, quod in Hilario: nihil lacinioſum, quod eſt in Auguſtino, atque etiam Chryſoſtomo; nihil Iſocraticos numeros, aut Lyſiæ compoſitionem redolens, quod eſt in Gregorio Nazianzeno, ſed totus eſt in explicanda re.* Denique in *Eccleſiaſte: Athanaſius*, inquit, *in docendo mirus eſt, nec dubito, quin ſui ſimilis fuerit in concionando, ſi extarent illius orationes.*

Hieronymus Brunellus noſter in Patrum quorumdam græcorum opuſcula ad ſtudioſos adoleſcentes præfatus: *Quem non rapiat*, ait, *Athanaſii excelſum*

* Vide editionem primam Athanaſii; cujus etiam prolegomena *in Collectione Patrum græcorum* Athanaſianis quibuſdam adjecit Montfauconus.

ſum illud orationis genus, atque ſublime, qui unus pene, dum viveret, unius chriſtianæ eloquentiæ viribus totius prope terrarum orbis in ſe conſpirantis impetum, furoremque ſuſtinuit? qui vel in ciſterna, & in ſepulchro concluſus impiorum Arianorum fregit audaciam?

Hieronymus Platus *Libro III. de bono ſtatus Religioſi. cap.* 11. *Athanaſius lenior, ſed tamen plenus, ac ſermone temperato ſibi ſemper ſimilis, multaque cum auctoritate docens.*

Nicolaus Cauſſinus *Libro III. cap.* 14. *de Eloq. ſacr. & hum.* ſic interrogat: *Ecquid eloquentia Athanaſii robuſtius, quæ Imperatorum furias, & frementis in ſe pene totius mundi pondus excepit, ſuſtinuit, profligavit?* Et *Libr. XVI. cap.* 2. Fuſius: „ Inter Græcos, inquit, Athanaſius maxime gravis eſt, cujus „ ut vita fulgur, ſic oratio fulmen extitit. Minus „ itaque floris habet, quam ceteri, minus olet „ ſcholæ delicias, quam divus Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Chryſoſtomus: habet tamen „ orationem grandem, & ſuo animo parem. Talia ſunt iſta in Apologia ad Conſtantium, ubi orationem orſus iisdem ferme verbis, quibus divus „ Paulus apud Agrippam Regem, in ipſo limine „ beatam illam Apoſtoli animam invocat, quem „ interceſſorem pro ſe apud Imperatorem fieri cupit; quod & ipſe veritatis ſit præco, & a Chriſtiano Principe tantus Chriſtianorum Princeps audiri mereatur. Hæc autem non vaſte, & tragice „ extulit, ſed preſſe, & graviter; nam ſtatim poſt „ Sancti Pauli verba percommode ſubjicit: *Siquidem beati Pauli verbis utens illum apud te meum „ interceſſorem facio.* In hoc autem argumento, & „ in aliis, ubicunque poteſt, ſacras hiſtorias aſpergit, aut ſententias, ut totus videatur ſe ad hanc „ palæſtram conformare. Deinde hoc, quod ſequitur, quam generoſi ſpiritus, ubi calumniam „ de traducto apud Conſtantem fratrem Imperatore

Con-

„ Conſtantio refellens: *Pudet*, inquit, *revera vel*
„ *diluendo de iſta re mentionem facere. Quapropter ne*
„ *aliis quidem percunctantibus reſpondere velim, ne ite-*
„ *rum, dum excuſo me, ſuſpicionem animis relinquam.*
„ Num putes, videre te leonem a turba canum cir-
„ cumventum, quos ne dignatur quidem, ſuæ ge-
„ neroſitatis memor, aſpicere? Mox ad ipſum con-
„ verſus Principem: *Tuæ*, inquit, *pietati magna*,
„ *& clara voce reſpondeo, manuque extenſa, quod di-*
„ *dici ab Apoſtolo, Deum in meam ipſius animam te-*
„ *ſtor.* Videant illi, qui ὄγκον Demoſthenis miran-
„ tur, num & hic minus habeat gravitatis. Et
„ cum Ariani illi fugam, & timiditatem objice-
„ rent *, quanta generoſitate oſtendit, oportuiſſe
„ igitur ſe, ſi ex iſtorum ſententia magnanimus fieri
„ voluiſſet, Arianam crudelitatem expleviſſe ſuo
„ ſanguine, & quod languorem animi aliis obji-
„ ciant, non ipſi quidem fortes, ſed in ferina ſævi-
„ tia leporibus timidiores. Tum ibidem cum inſe-
„ ctatur Arianorum vitia, non convitiatur mulie-
„ briter, ſed affert flagitia magna, & nimis teſtata;
„ poſtremo illud ſubjungit: *Singuli igitur ſingulis*
„ *vitiis excellant, una tamen omnibus in genere, &*
„ *communis macula eſt, quod pro hæreſi ſua belloque in*
„ *Chriſtum non Chriſtiani amplius, ſed Ariani appel-*
„ *lantur.* At vero cum illam funeſtiſſimam Tragœ-
„ diam deſcribit, ** per ſceleratiſſimum Georgium
„ in Eccleſiam invectam, narratio plena eſt gravita-
„ tis, & horroris, nihil habens ambitioſæ, & dif-
„ fuſæ amplificationis. *Ibi Virgines intaminatæ nu-*
„ *dantur, Monachi pedibus obtriti animam efflant, ſub-*
„ *jiciuntur ſervilibus flagris matronæ, ſacri baptiſma-*
„ *tis fontibus injiciuntur flammæ, aves, & nuces pi-*
„ *neæ*

* In *Apologia de fuga ſua.*
** *De Perſecutione ad orthodoxos.*

„ *neæ inter effuſam improborum lætitiam, Eccleſiarumque vaſtitatem idolis immolantur.* Quæ ille ſine
„ multa αὐξήσει ſancte, & graviter deplorans, lon-
„ ge magis credibilia facit. „

Doctiſſimus, & eloquentiſſimus Petavius *Dogmat. Theologic. de Trinit. Libro IV. pag.* 315. abjudicans Athanaſio orationem, *Quod unus ſit Chriſtus: Neque vero*, inquit, *Athanaſii videtur eſſe. Quod ex ſtylo conjicimus, qui & diffuſior eſt, & minus ſimplicitatis, affectationisque plus habet, quam qui Athanaſii germanus eſt; cujus nativam elegantiam, ac ſponte fluentem nulla poteſt imitatio conſequi.*

Ita Auctores de charactere divi Athanaſii ſenſerunt. Etſi vero ſinguli eundem plene non exprimunt; quod alius quidem ejus multa, adhuc inedita, non legit: alius in id, quod ob oculos habebat, aut quo natura afficiebatur, magis intentus eſſet: tamen omnia ſimul accepta egregie declarant notiones ſtyli ejus, & quidquid in eloquentia tanti viri peculiare reperitur. Oſtendunt ſermonem animo plane conformem, clarum, ſincerum, ſolidum, plenumque nervorum, qui ſtringat fortiſſime, & ſine fuco, ſine pigmentis, & lenociniis, niſi ultro ſe offerrent, teneat tamen ſemper, & quam maxime afficiat auditorem. Porro, quod de nervo Athanaſii dicitur, provenit ille magnam partem ex intima cognitione Scripturarum, quibus meditandis, & perdiſcendis jam a puero ſanctiſſimus Doctor aſſueverat. Itaque nihil ſimile orationi ejus, quando ſacrum codicem interpretatur; ita enim id præſtat, ut confirmet orthodoxos vehementer, Traditionis amorem veluti inſpiret: ſubtilitates vero, & technas inimicorum haud ſecus ac telas aranearum diſſolvat.

Nihilominus, ut, quod res eſt fateamur, in dictione Athanaſii deſcribenda palmam omnibus præripit Montfauconus, qui in *Præfat. generali* eloquen-

quentiæ Athanaſianæ vultum, & lineamenta ſingula pleniſſime expreſſit. Nos omiſſis aliis, quæ huc maxime faciant, quam pauciſſimis delibabimus:
„ Sed paulum, ait, libet ſpatiari, & quia tantam
„ laudem tulit Athanaſius, & quidem a laudatis vi-
„ ris, ut elegantiſſimis Græciæ Scriptoribus ante-
„ ferretur, jam qua in re præſtare, qua item aliis
„ nonnihil cedere videatur, expendamus; & quæ
„ crebro Athanaſii ſcripta reguſtando comperimus,
„ proponamus ſtudioſo lectori. Primo quidem ſi
„ Gregorii Nazianzeni illam quadrandæ orationis
„ induſtriam, ſi numeros ſpectes, ab hoc eloquen-
„ tiæ genere alienus ſemper fuit Athanaſius; cujus
„ dictio plus habet nativæ elegantiæ, quam artifi-
„ cioſæ diligentiæ. Et ſi quando hic pluſculum ar-
„ tis adhibeat, ut in oratione contra gentes, Epi-
„ ſtola ad Dracontium, Apologia ad Conſtantium:
„ ita tamen omnia temperat, ut lateat artificium,
„ & oratio non adſtricte, ſed remiſſe numeroſa ſit:
„ contra vero Gregorius, ultra aliquando quam ſa-
„ tis ſit, circumſcriptione, & ambitu utitur, ut
„ ceteris numeris definita, tanquam orbe incluſa
„ currat oratio. Chryſoſtomi vero,

Του καὶ ἀπὸ γλώττης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδὴ

„ illam expeditam, & profluentem verborum co-
„ piam, concinnitatis, leporiſque plenam non at-
„ tingit Athanaſius, qui plerumque preſſus ac bre-
„ vis eſt, & majore ſententiarum, quam verborum
„ ubertate. Verum longe præſtat ſalibus, nervis,
„ & *τω εὐτόνῳ* redundantiam omnem reſecante.
„ Nimirum poſſunt eſſe ſummi, qui inter ſe ſint diſ-
„ ſimiles; quod in eloquentia pariter, & in mutis
„ artibus obſervatur. Baſilio autem nemo propius
„ ad Athanaſii dicendi genus accedit. Sed præit
„ ille elaboratione, hic longe præſtat acrimonia.
„ Et hac in parte, quæ ſcilicet nervos ſpectat, ſales,
„ acrimoniam, omnes, mea quidem ſententia, longe

 ante-

„ cellit Athanaſius, eſtque hoc in genere princeps *.
„ Figuris autem, ſicubi hæreticos inſectatur, fre-
„ quens eſt, apte, & appoſite diſtributis, etſi po-
„ tius ſuopte ingenio, quam elaboratione adhibitis.
„ Hujus oratio nunquam effluit, nunquam longius
„ vagatur. „

Et infra: „ Etſi vero aſper eſt, & ſannis, ma-
„ ledictisque plenus, quando res eſt illi contra hæ-
„ reticos: nemo tamen eſt, qui perſpecta hæretico-
„ rum, maxime Arii ſequacium pertinacia, furore,
„ immanitate in Chriſtianos, in Epiſcopos, probo-
„ rum item hominum carnificina, in nefarios ali-
„ quid inclementius dictum arbitretur. Aſpere ſci-
„ licet agit Arianos, quia nihil contra tantam vim
„ ſine vi fieri poterat: & remiſſe depellere feroces
„ homines, fateri erat diffiſum ſe cauſæ ſuæ. Etſi
„ vero mordet acriter, cum inſolentia criminum,
„ aut hæreſum temeritas acrem poſtulat oratorem;
„ ubi tamen res illi eſt cum adverſariis, aliquam
„ æqui, bonique rationem tenentibus, ſobrie, ac
„ prudenter verba facit, mollitque animos, & tem-
„ perat iras. &c. Dictio ejus pura, & elegans eſt
„ ut plurimum: nec inficior tamen nonnullis ejus
„ operibus aliquam peregrinitatem attuliſſe latinæ
„ linguæ uſum; quale illud eſt ἐκκλησίαν ἔδωκεν εἰς
„ πρέδαν βετεράνοις & alia id genus. Impetratum
„ ſcilicet a conſuetudine fuerat, ut ſi ex quotidiana
„ Latinorum familiaritate aliquæ hujusmodi dictio-
„ nes in buccam venirent, ne ab iis vel græce peri-
„ tiores abſtinerent. Licet autem inſidias auribus
„ minime paret, lectoris ſibi tamen, illecebris ne-
„ ſcio quibus benevolentiam captat. Nihil moro-
„ ſus in Exordiis eſt, ſed ſtatim ab initio in arcem
cauſæ

* Exempla petit a facetiis, quibus, ſine tamen diſpendio gravitatis, averſam Eunuchorum libidinem, & Meletianorum ſordes inſectatur, & mordet. *ibidem inferius.*

„ cauſæ invadit, & contra hæreticos canit quodam-
„ modo claſſicum. „

Plura alia apud eundem recurrunt ſive in *vita* Athanaſii, ſive in *Monitis* ad ſingula opera, maxime vero in *Præfatione Tomi II.* ubi charactere hoc velut lydio lapide genuina Athanaſii a ſpuriis ille diſcernit; quæ tamen, quando novi nihil afferunt, ne excurrat longius hæc tractatio, contenti ſumus hic indicaſſe.

CAPUT III.

Opuſcula, quibus excellit potiſſimum.

Fruſtra id quærimus apud illos Auctores, qui ſæculo decimo ſexto, aut etiam decimo ſeptimo ineunte de Athanaſio commemorarunt. Præterquam enim, quod nullum ſcimus, qui delectum inter hæc opera inſtitueret: manca adhuc, confuſa, & deformata erant pleraque, ut vix liceret ſine errandi periculo de illis pronuntiare. Poſtquam autem, opera Benedictinorum S. Mauri, priſtino nitori ſunt reſtituta, non jam impeditum adeo, difficile, & anceps judicium eſt. Imo ne opus quidem fuerit, ut ipſi ea de re ſententiam feramus, quando ab ipſis reſcire jam licet, quæcunque ſint aut videantur ceteris potiora. Aut quos, quæſo, teſtes magis idoneos poſſumus advocare, quam illos, qui in legendo, & emaculando hoc Doctore tantum ſtudii, tantum laboris poſuerunt? Stat ergo ex eorum potiſſimum mente ſic judicare, ut alios propterea minime excludamus. Integra omnino, atque liberrima cuique ſententia ſit. Porro ita illi, aut illorum nomine Montfauconus in *Præfat.* dicta: *Sunt autem*, inquit, *Athanaſii, ut & alterius cujuſque opera, non pari elegantia concinnata. Quæ aliis antecellunt, meo quidem judicio, ſunt Oratio contra Gentes, eximium opus, & cui, dicere liceat, par in eodem genere vix*

deprehendas; ſi reſpicias vim argumentorum, nervos; ſi advertas, quam perſpicuus ſit, quam nitidus, quam ſalſe rideat, ubi res fert, gentilium ſuperſtitiones, quam concinnus ſit in deſcriptionibus. Sed & locum ibi affert, notiſſimum illum de ordine ſyderum, & harmonia elementorum, quo nihil validius, nihil concinnius putat, ut ejus elegantiam non niſi græce periti plene advertere poſſint.

Pergit dein: *Miræ ſunt eloquentiæ Epiſtola de ſententia Dionyſii, Epiſtola ad Dracontium, itidemque orationes contra Arianos: ubi in altercando cum hæreticis, aculeis frequenter, maledictis facete utitur; creber in reperiendis, acutus in ſolvendis argumentis. Apologiæ de fuga, & ad Conſtantium elegantes, quibus plus ineſt, quam reliquis diligentiæ, & artis, tropis appoſite, & ſobrie reſperſæ, ſalibus frequentiſſimis.* Addit exempla, quæ cum alibi integre ſimus daturi, non ſunt hic fruſtra a nobis adſcribenda.

Jungit his operibus *Epiſtolam ad Monachos, ad Epictetum*, & *Libros contra Apollinarium*, de quibus jam ſingulatim dicendum eſt.

Et *Orationes* quidem *contra Gentes* Barnabas Celſanus primus Athanaſii editor *Vicentiæ* 1482. in *Præfat.* vocat *divinum opus.* Maurini vero in *Monito* illis præfixo: *Styli porro genus quod ſpectat, fateare neceſſe eſt, vix quidpiam eo in genere tanta concinnitate adornatum fuiſſe. Mirere ſane elegantiam, ſales, vim argumentandi, eruditionem variam, maxime vero in prima oratione, quæ inter primarios tanti viri fœtus locum habet. Vides Athanaſium nihil eorum, quæ gentilium Theologiam, ſive potius* ματαιολογίαν *ſpectant, ignorare, inque libris Homeri, Platonis, aliorumque Scriptorum verſatiſſimum eſſe, ut decebat eum, qui hujusmodi operam ſuſcepit.* Non diu eſt, ex quo viro literatiſſimo, atque ex ſcriptis noto locum contra Materialiſtas guſtandum dedi: ille vero longius legendo progreſſus, neſcire ſe dixit, num inter orato-

oratores, an Philoſophos priorem locum habiturus Athanaſius eſſet, ſi viveret. De altero Libro, ſane validiſſimo, quo Incarnationem Verbi oſtendit, iſtuc admonet Godefridus Hermant, plenam continere cognitionem veritatum fidei, & quod altiſſima ſenſa ſpectat, in pluribus cum Libro Auguſtini *de vera Religione* prorſus convenire, ita quidem, ut ſi alia non obſtarent, hic legiſſe illum videri poſſet. Nova laus, neque vulgaris apud eos, qui quidem norint, in quanto apud nos pretio ſit fœtus iſte Auguſtini.

Epiſtola de Sententia Dionyſii totum oſtendit Athanaſium, gravem illum vehementem, facilem, plenum, terſum, ſubtilem, accuratum.

Epiſtola ad Dracontium eam habuit vim apud virum ſanctum, ut etſi ab Epiſcopatu alieniſſimus eſſet, & inclinatis licet in ſe omnium voluntatibus, & gentilibus ipſis Chriſto nomen daturos ſe dicentibus, ſi epiſcopus fieret, juramento edixiſſet, ſe honorem nequaquam accepturum, tamen perlecta ea jam minime reſiſtendum ſibi exiſtimaret. De præſtantia ejus miſſis aliis vide Hermantium *Libro VI. cap.* 26.

Orationes contra Arianos Πεντάβιβλον contra eam hæreſin Photius facit, & Trophæum quoddam adverſus omnes hoſtes Servatoris. Stylum quoque, methodum, ubertatem, argumentationes, omnia denique ejus operis mirifice commendat. *Ut uno verbo abſolvam*, ait *cod.* 140. *ad finem* (priora enim ſupra dedi) *ſolus hic liber ad Arianismum univerſum refellendum ſufficere queat. Imo qui Gregorium Theologum, ſanctumque Baſilium dixerit, ex hoc tanquam fonte hauſtos egregios illos, & limpidos librorum ſuorum rivos contra eundem errorem profudiſſe, ſane a ſcopo minime aberrarit.* In eundem ſenſum Editores Maurini in *Vita* libros *famoſos quidem illos appellant, & nullis non ſæculis poſtea celebratos, ex quibus ceu fontibus argumenta deinceps mutuati ſunt, quotquot*

pro

pro divinitate Verbi aſſerenda ſcripſerunt. Edidit autem eos S. Pater, cum poſt Georgii intruſionem degeret in ſolitudine, & per otium elimare omnia poſſet. Nec vero quinque ſunt, uti hactenus omnes numerabant, ſed quatuor, *Encyclica enim ád Epiſcopos Ægypti, & Libyæ*, etſi iſtis orationibus adjungi ſolebat, omnino tamen ab iis eſt diſtinguenda.

Apologia de fuga ſua eximium opus, quod Photius *Cod.* 32. omnibus dicendi dotibus excellere dicit. *Lectæ Athanaſii Epiſtolæ Variæ (quas inter & de ejus ſeceſſu, tanquam Apologia, collocantur nonnullæ) eleganter ſimul, & ſplendide, clareque compoſitæ; perſuadendi inſuper vi, ac venuſtate floridæ, ut jucundum ſit, quam ibi Apologiam ſcribit, audire.* Imo videtur mihi Photius hanc Epiſtolam ceteris omnibus anteferre. *Codic. enim* 139. de commentario in Eccleſiaſten, & Cantica, nunc deperdito, ſic loquitur: *Legi Magni Athanaſii in Eccleſiaſten, & Cantica Canticorum commentarium. Dilucide dicit, ut in omnibus ſuis ſcriptis. Ad earum tamen epiſtolarum gratiam, & venuſtatem, quibus ſeceſſum excuſat ſuum, quæque ad exilium pertinent, exponit, neque hic liber, neque alius ejus (qui quidem in meas inciderit manus) attingit.* Præter defenſionem vero ſuam tractat communem locum de fuga in perſecutione, quo nihil plenius. Laurentius a Villavincentio *Libro III. de ratione ſtudii Theologici cap.* 7. hunc ſpeciatim commendat, & velut exemplar aliquod ſtudioſis literarum proponit.

Apologia ad Conſtantium haud dubie inter ea debet computari, quæ ſupra a Photio tam magnam, tamque eximiam laudem tulerunt. *Montſauconus* in *Præfat. generali*, *Limatior etiam*, inquit, *Apologia ad Conſtantium, quam cum lego, videor mihi Ciceronianam orationem ob oculos habere.* Et revera confutationem calumniæ, quod literas ad Tyrannum Magnen-

Magnentium Athanaſius dediſſet confert cum loco Ciceronis notiſſimo de Præfatione Donationis *in Verrina* 5. ut qui ſummam cum illa affinitatem habet. Et in *Monito prævio*: *Apologia*, ait, *ad Imperatorem Conſtantium, ſi vim argumentorum ſpectes, validiſſima: ſi ſalem, & leporem, elegantiſſima: ſi rerum varietatem, jucundiſſima cenſenda eſt, atque inter præcipua Athanaſii opera jure computanda. Nam quod eam eſſet coram Conſtantio recitaturus Athanaſius, ut liquet ex multis ejus locis, elaboravit illam accuratius.*

Epiſtola ad Monachos, & quæ illam proxime antecedit ad Serapionem, ſi Athanaſium ipſum audimus, nullius pretii eſt. Etſi enim ibi & hiſtoriam texit Arianam, & confutationem hæreſis ejus addit, rogat tamen, ut poſtquam legiſſent opuſculum, ſibi remitterent, nec cuiquam legendum commodarent. Non enim, ajebat, tutum eſſe, ut balbutientium, & indoctorum literæ ad poſteros pervenirent. Sed nempe hoc fuit ceteræ eloquentiæ, quam ei cum præcipuis operibus communem Maurini faciunt, modeſtiæ quoque, ac temperantiæ laudem addere, quam quidem toto Scriptorum decurſu identidem reperimus, ut plane dubium ſit, num alii grandius, num humilius ipſe de eloquentia illa ſentiret.

Epiſtola ad Epictetum a memine ſine admiratione perlegi poteſt, tam eſt ſolida, acris, & elegans. Maurini in *Vita*: *acceptis*, inquiunt, *Athanaſius Epicteti commentariis, literis ad eundem miſſis errorum opiniones acriter inſectatur, validisque confutat argumentis. Mirere ſane in homine prope decurſa jam ætate tantum acrimoniæ, ſalis, eloquentiæ, quantum vix deprehendas in ceteris effloreſcente ætate conſcriptis. Nec omittendum, initio iſtius epiſtolæ errores hujuſcemodi tanquam inſolentiores, ac ſibi hactenus inauditos exagitare Athanaſium.*

Libri contra Apollinarium, & illis prævia, atque affinis *epiſtola ad Maximum*, & ipſa non mediocrem, ſed ſummam habent laudem. Et in hac quidem, ajunt in *Vita* Maurini, Athanaſium errores obortos *integra mentis acie confutaſſe:* ſequentes vero duos libros in *Præfat. generali elegantiſſimos* pronuntiant. Rurſum *ibid. Acutiſſimæ ſunt etiam,* inquiunt, *orationes contra Apollinarium*, *in iisque invenimus Athanaſium Athanaſio* δριμύτερον. *In Polemicis enim maxime ætatem contrivit, curans ſemper, ne aliena dogmata, Arianorumque auſus plebi catholicæ quid apportarent mali.* *

His addi poſſunt *Encyclica ad Epiſcopos Epiſtola*.

Item alia *ad Episſopos Ægypti*, *& Lybiæ*, quæ præſtantes habet locos de inconſtantia Arianorum, de impietate, fraudibus, ac vi Meletianorum, maxime vero de invicta animi fortitudine, ad quam Antiſtites hos ardore vere Apoſtolico cohortatur.

Epiſtola, qua reſcripſit *Joviano Imperatori.*

Epiſtola 2. *ad Orſiſium Abbatem.*

Epiſtola ad Joannem, *& Antiochum.*

Epiſtola ad Palladium in cauſa Baſilii Magni.

Epiſtola ad Ammunem Monachum.

Epiſtolæ duæ ad Luciferum Calaritanum, quas latinas ſolum habemus.

Item in *Collectione PP. græcorum Montfauconi* reperitur ejusdem Athanaſii Scriptio *de Legatione Eccleſiæ Ancyranæ*, quam ille primum ab edito Athanaſio recens repertam *eximium opuſculum* appellat.

---

* **Optimus isque vetuſtiſſimus Codex Athanaſianus in Biblioth. Acad. Baſileenſi verbis Photii *Codice* 140. iſta addit ex interpretatione Nannii.** ***Scripta ſunt autem ab eo & in Eccleſiaſten Commentaria, & in Cantica Canticorum: Sic & in Pſalterium, & in alia multa. Gratia tamen & ornatu vere excellunt Sermones contra Apollinarium, & Epiſtolæ, quotquot ejus excuſationem continent.***

lat. Huic adjectus ibidem *Sermo major de fide*, quem itidem vir Clariſſimus a diſceptandi præſertim egregia ratione ex merito laudat.

Nec omittenda *Vita S. Antonii Abbatis*, eidem olim, & nunc iterum certiſſimis argumentis vindicata. S. Hieronymus *de Scriptorib. Eccleſiaſt.* & ex eo Martyrologium Romanum non ſine cauſa *inſigne volumen*, Montfauconus in *Monito eximium Athanaſii opus* dicit; tanta eſt ſinceritas, perſpicuitas, & gratia narrationis ejus. Adde fructus ingentes, quos nunquam non protulit in Eccleſia, ut vel ſolus Hieronymus *epiſt.* 16. *nunc.* 127. *ad Principiam*, & Auguſtinus *Libro VIII. Confeſſ. cap.* 13. 19. & 28. plus quam ſatis docere poſſunt.

Porro alia Athanaſii opera, ut maxime præſtent aliis rebus, quando ex argumenti ratione ad eloquentiam minime faciunt, nihil ad nos. Talia ſunt, quæ habentur ad calcem *Quæſtionum ad Antiochum*, etſi non ſint certo Athanaſii, ſolidiſſima tamen, & valde concinna: item *Synopſis ſacræ Scripturæ*, non genuinum quidem, at inſigne opus: & aliæ nonnullæ in Sacras Literas commentationes.

Hactenus de præſtantioribus Athanaſii Scriptis, quod quidem eloquentiam ſpectat. Quamquam, ut, quod res eſt, edicam, ne ſic quidem totum, quantus in dicendo fuit, cognitum, perſpectumque Athanaſium habemus. Tam multa ejus, & forte præſtantiſſima aut perdita ſunt funditus, aut hodieque in orientalibus monaſteriis deliteſcunt; quod ſine doloris acerbiſſimo ſenſu ne cogitare quidem poſſint rerum iſtarum periti æſtimatores. Audiamus eam in rem locum Montfauconi ſane memorabilem ex *Præfat. generali*: „ Etſi tam peritum dicendi opificem Athanaſium fuiſſe mox „ narrabamus, ut ne nos pœniteat dicti, vel id „ unum ſatis ſit, quod tanta vario ſcribendi genere

„ re Athanaſii ſcripta amiſſa fuerint, ut nonniſi „ partem debitæ laudis tuliſſe videatur. Quot „ amabo, opera emiſit in lucem, qui ineunte ado- „ leſcentia ejusmodi ludum ingreſſus, mox ſpeci- „ mina dabat magiſtro digna; qui decurſa jam „ ætate adeo naviter, & falſe Eccleſiæ hoſtes, ag- „ greditur, ut dicas hæc dicendi ornamenta accre- „ viſſe viro, dum corporeæ vires deficerent? Quot „ putas tot annorum ſpatio elucubravit, ita dili- „ gens, & navus, advigilans ſemper frangendis „ hæreticorum conſiliis? Anni certe interſunt ab „ edita oratione contra Græcos ad abſolutos uſque „ contra Apollinarium libros plus quatuor, & „ quinquaginta, quibus innumera haud dubie ſcri- „ pſit in otio, in negotio, homilias videlicet, „ epiſtolas, commentarios, hæreticorum confuta- „ tiones. Quanta æſtimas edidiſſe in deſerto, „ dum calamitas, metus, ſolitudo prohiberent ab „ officio, & ſpatii multum eſſet ad ſcribendum, „ atque aliunde curis confectus animus nonniſi li- „ terarum uſu ſeſe exonerare poſſet? Hinc pro- „ palam eſt, etſi multa ab antiquis laudantur Atha- „ naſii opera, jam injuria temporum extincta, „ multo plura eſſe, quæ a Scriptoribus tacita re- „ licta ſunt.„ Atque exin nominatim oſtendit, quam multa ejus in hunc diem deſiderentur.

Maxime vero vir Clariſſimus lamentatur jacturam Epiſtolarum, quas exul ad gregem ſuum perſcripſit: „ Sed nulla, inquit, opinamur, jactura major, „ quam epiſtolarum ἑορταςικῶν, aut *Feſtalium*, ſive „ in cœtu Eccleſiæ legendarum, quas item laudat „ Hieronymus. Has ingenti numero Athanaſius, „ cum Arianici furoris declinandi cauſa in deſerto „ Thebaidis latens ageret, ad plebem catholicam „ Alexandrinam miſit. Atque ut ex iis, quæ „ hodieque ſuperſunt, fragmentis, conjectare li- „ cet, magna pars in enarranda, & deploranda

Eccle-

„ Eccleſiæ calamitate verſabantur. Hic quæſtio-
„ nes ab Arianis injectæ, ut plebem abſente paſto-
„ re a proba ſententia excuterent, & vacillantes
„ animo ad deteriorem partem applicarent, ab
„ Athanaſio ſolvebantur. Hic, quæ doctrinam,
„ quæ diſciplinam, quæ mores ſpectabant, per otium
„ ſolitudinis explicabat ille. Et demiror plane
„ amanuenſium græculorum guſtum: qui dum
„ aniles fabulas, fœdiſſimaque commenta, Atha-
„ naſii nomine publicata, plus millies exſcribe-
„ rent, quæ nemo ſanus ſine ſtomacho legere poſ-
„ ſit, hæc ita neglexerunt, ut incuria perierint.
„ Hoi hei! quam pungit dolor amiſſi Theſauri!
„ quantum ad Hiſtoriam, ad conſuetudines Eccle-
„ ſiarum, ad morum præcepta hinc lucis accede-
„ ret! „ Addam ego, quanta ad eloquentiam ipſam acceſſio fieret, ſi bona ſors ferret, uti illas una cum ceteris recuperaremus! hic enim maxime oportet eam excelluiſſe, quod vir, in quem cura totius orbis reciderat, non alias magis ſeu opportunitatem, ſeu otium haberet ad ſcribendum: & aliunde certum eſt, non alibi magis, quam hoc ipſo in genere epiſtolarum fuiſſe Athanaſium eloquentem. Id quod ex Photii *codice* 32. 139. *&* 140. iterato audivimus, neque hic cum faſtidio repetendum fuit.

Plura ſi lector velit ad ſummi hujus viri facundiam illuſtrandam, adeat præ ceteris, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis ex inſtituto agunt. Dupinum, Tillemontium, Ceillierium &c. Item Hiſtoricos Eccleſiaſticos fuſiores, maxime Ludovicum Maimbourg in *Hiſtoria Arianiſmi*. *Vitam Athanaſii* a Simeone Metaphraſte, a Joanne Tortelio Aretino, & aliis pluribus, præcipue illam a Maurinis enarratam. Mirari autem ſubit, doctiſſimum virum Godefridum Hermantium, qui pro ætate illa ſat accurate, copioſeque in geſtis Athanaſii verſatus eſt, nihil fere Scriptorum ejus attigiſſe, nec libro ultimo caput unum eloquentiæ dediſſe, quam tamen Nazianzenus, cujus ille orationem perpetuo

petuo adhibet, tam magnifice prædicavit. Illud paulo familiarius fero, quod nec ipſe Papebrochius cujus id non erat neceſſarium, inſtitutum, in argumentum iſtuc aliquando exſpatiatur.

DISSERTATIO IV.

De Eloquentia S. BASILII M.

CAPUT I.

Quam ſingulari, & admirabili facundia Baſilius extiterit?

Baſilius cum prima literarum rudimenta Cæſareæ Cappadociæ didiciſſet, facto jam in bonis artibus magno progreſſu, & magiſtris, quam condiſcipulis ſimilior, Byzantium ſtudiorum cauſa miſſus eſt, ubi Libanio, atque aliis excellentibus viris qua Oratoribus, qua Philoſophis operam dedit. Quorum inſtitutione propter ingenii præſtantiam ita profecit, ut jam tum celebritatem maximam conſequeretur. Inde Athenas concedens, cum adventum fama prævertiſſet, atque ingens de homine expectatio eſſet, ex ſtudiorum ſimilitudine amicitia junctus eſt Gregorio Nazianzeno, cum quo Himerium, ac Proëreſium audivit, nullumque in emporio illo literarum ſcientia parem habuit. Confecto ſtudiorum curriculo reverſus in patriam Baſilius, ſive docuerit in Scholis, ſive publicis muneribus præfectus ſit, incertum. Tum amplexus vitam aſceticam, & multorum monachorum pater effectus ita inclaruit, ut tandem Cæſareenſi Eccleſiæ Antiſtes daretur. Hic vero cura ejus in Religione tuenda enituit. Non enim ſuam ſolum, ſed omnes orientis æque, ac occidentis Eccleſias animo complexus eſt, & ingentes pro fide Trinitatis labores ſuſcepit. Itaque factum, ut in amore, & pretio bonis omnibus eſſet, ab hæreticis vero poſt Athanaſium nullus tantopere timere-

meretur. Mirum eſt autem, quæ ſive cum Epiſcopis eorum, ſive cum Magnatibus, ſive cum ipſis Cæſaribus Juliano, & Valente certamina certaverit. Hæc enim vere potentem opere, & ſermone oſtenderunt; certe ſola plus quam ſatis fuerunt ad cognomen *Magni*, quod conſenſus ſæculorum illi detulit, præ aliis aufferendum. Porro ad audiendum eum ingentes concurſus fiebant: & S. Ephræm, cum divino monitu Cæſaream veniſſet, in ſumma æde tam confertos invenit, tamque undantes auditores, ut Archidiaconus multo labore diſcinderet multitudinem, ad viam ſibi faciendam *. Valebat autem mira facultate vel ex tempore dicendi. Id quod non ſolum ex congreſſionibus illis patet, in quibus tot, tantosque adverſarios devicit, & in ſtuporem dedit; ſed ex eo quoque conficitur, quod cum *Orationi XXIII, nunc XXI.* finem cogitaret imponere, ſubito de incendio erumpente admonitus tam appoſite, tam eleganter de ea calamitate locutus eſt, ut alius quivis vel maxime paratus meliora, quæ diceret, vix inveniſſet. Dixit autem non raro bis de die, idque tempore quadrageſimæ, cum abſtinentia eſſet admirabili, atque excruciandi ſui ſtudio corpus ad extremam maciem redegiſſet. Neque deſunt, qui celeberrimas Viri orationes ſic pronuntiatas ex tempore putent **; quod veriſſimile non eſt, ob ipſam, quæ inde elucet, facundiam. Neque enim id genus ſcripta abſque ſtudio tam acute cogitari, ne dicam tam apte collocari ullo modo potuiſſent ***.

Itaque

* *In Comparat. SS. PP. Baſilii & Ephræm* inter opera hujus poſterioris.

** Tillemontius ex *Ruffini Libro II. cap.* 9.

*** Vide Garnerii Continuatorem, Maranum in *Vita cap.* 41. & Garnerium ipſummet *Monito* prævio *ad Homilias in Hexameron.*

Itaque minime mirum eſt, Baſilianæ orationis tot præcones reperiri, qui ſi abeſſent cetera, ipſo numero negotium mihi ſane maximum facturi erant. Antiquioribus præmiſſis inter ceteros delectum habebo, neque alios, niſi qui ſingularia afferant, commemorabo. Et primo quidem loco LIBANIUS præceptor ejus audiendus eſt, teſtis tanto magis ideoneus, quod partium ſtudioſus eſſe vix potuit, chriſtianorum profeſſus, atque juratus hoſtis. Hic vero quantum Baſilii eloquentiæ tribueret, patet ex epiſtolis ad eundem datis, quas præter Garnerii *Continuatorem* nemo, quod ſciam, ſimul omnes in dubium vocavit. Nam & ipſe adeo Tillemontius acerrime pro iis decertat *. In his enim epiſtolis ſumma quæque Baſilio tribuit, victum ſe plane a diſcipulo fatetur, ejusque unius judicium non maximi ſolum facere ſe, ſed perhorreſcere etiam aſſerit: ſuffragium autem & approbationem omnium ſententiis præhabere &c. Quod ſi ita eſt (quem enim vadem certiorem ſiſtamus?) teſtimonium hoc unum præ omnibus aliis eſſe nobis oportet.

Alterum teſtem produco PHILOSTORGIUM ** Arianum hominem, eumque maledicum, & minus etiam Libanio de adulatione ſuſpectum. Hic de Baſilio, uti Apollinare, & Nazianzeno, quos componit inter ſe, ita habet: *Longo intervallo ſuperiorem eſſe iis omnibus, qui & prius, & poſt ad ſuam uſque ætatem cauſam* (homouſii) *egiſſent. Nam & in profanis hunc literis maximos progreſſus, & ſacræ Scripturæ lectione, expromtaque memoria magnum habuiſſe uſum, atque etiam plurimum ſtylo valuiſſe. Cum autem tanta eſſet & dicendi, & ſcribendi præditus*

* Plures ad eum datas ex Suida certum eſt: & ſunt ex his aliquæ utroque digniſſimæ.

** Apud Suidam, in *Apollinari*, & Photium in *Epitom. Hiſtoriæ*

tus facultate, iis etiam fuiſſe moribus, quibus oculi multitudinis maxime allicerentur. Itaque & aſpectu, & oratione, & ſcriptis paſſim editis in ſuam ſententiam, & familiaritatem pertraxiſſe omnes, qui ulla ratione pertrahi commode potuiſſent.

His jungere placet poſteriorum temporum heterodoxos quosdam.

David Chytreus, Melanchtonis Diſcipulus *de ſtud. Theolog. recte inchoand. Nullus eſt*, inquit, *inter omnes Patres græcos, & latinos, quorum extant ſcripta, Baſilio eloquentior . . . quare hunc ſcriptorem præ ceteris amantes piæ doctrinæ, & veræ eloquentiæ diligenter cognoſcent.*

Matthæus Dresserus, Lutheranus Erfordiae Profeſſor, qui orationem Baſilii: *Quod Deus non ſit auctor malorum*, latinam fecit, in *Præfat.* Baſilium *divinum, & admirabilem auctorem* appellat. Idem ait: *In horum* (præcipuorum) *auctorum numero citra omnem controverſiam eſt divus Baſilius, cujus ſcripta non dicendi modo virtutibus omnibus, ſed divinarum etiam, humanarumque rerum ſcientia admirabili referta ſunt.*

Daniel Heinsius *Orat. VI.* Gregorium Nazianzenum, & Baſilium *paganorum cuivis eruditione & facundia merito opponi poſſe* affirmat.

Guilielmus Cave *ad ann.* 370: *Miſſa*, inquit, *facio elogia, quæ in Baſilium congeſſerunt veteres; plenæ ſunt omnium paginæ, totus veneratur antiquitatis chorus, plaudit tota eruditorum cavea. Quin vel illis ſilentibus ſummam hominis pietatem, profundam ſcientiam, conſummatiſſimam eloquentiam plurima, quæ etiamnum extant, ſcripta teſtantur.* Quod ſane elogium tam breve, tam nervoſum, quo Sancti Patris ſcripta ornantur, nemini non ſummopere debet placere.

Ita de Baſilio illi, a quibus nihil tale expectaſſes. Nunc ceteros in medium adduco. Primus eſt

S. Ephræm, qui & ipſe inter Syros ſuos oratorum præcipuus fuit. Hic cum clanculum Baſilio concionanti adfuiſſet: *Inſtar Petri prædicaſti*, ad eum dixit: *inſtar Pauli docuiſti*. Neque id mirandum, quando columbam fulgentem dextero Baſilii humero inſidere vidit, & verba ſapientiæ ſubminiſtrare, quæ ad populum ille profunderet *. Addit auctor, neſcio quis, in *Comparatione allegata* ipſum Baſilium ardenti, atque ignita lingua locutum ibi fuiſſe.

S. Gregorius Nazianzenus, ſummus viri cognitor, atque inde ab ineunte ætate neceſſarius, & ſtudiorum omnium, præſertim eloquentiæ æmulus ita cum *Oratione XX*, tum in *Epitaphio metrico* de hac ejus facultate commemorat, ut grandius non poſſet. Unum ſaltem exinde locum audire juvat, ex quo colligas licet, quanta ejus ſermonis atque ſcriptorum admiratio apud veteres, & quale pretium eſſet. „Sed quid iſta ſunt, inquit *orat. laudat.* præ illius dicendi facultate, „ palmaque doctrinæ, qua extremas orbis partes „ inter ſe conciliavit? Adhuc in montis radicibus „ verſamur, a vertice remoti: adhuc fretum trajicimus, relicto magno, & profundo oceano. Sic „ enim exiſtimo, ſiqua unquam tuba fuit, vel futura eſt, in aërem quam longiſſime penetrans, aut „ vox Dei totum orbem comprehendens, aut univerſæ terræ motus novo quodam & mirando modo exortus, hæc omnia vocem illius, ac mentem „ fuiſſe, tanto omnes a tergo relinquentem, atque „ infra ſe collocantem, quantum nos brutorum naturam ſuperamus. Quis ſeipſum magis ſpiritui, „ pur-

* S. Gregorius Nyſſenus in *Laudatione S. Ephræm.*

„ purgavit, atque ita ſe comparavit, ut dignus eſ-
„ ſet, qui oracula divina explanaret? quis rurſus
„ majore ſcientiæ luce colluſtratus eſt, atque in
„ profunda ſpiritus proſpexit, ac cum Deo, quæ
„ Dei ſunt, exquiſivit? quis porro ſermonem ha-
„ buit, animi ſenſa melius exponentem, ita ut
„ neutra parte, ut plerique, claudicaret, nempe
„ vel mente ſermone deſtituta, vel ſermone men-
„ tem haud æquo gradu ſequente: verum parem
„ in utraque re laudem obtineret, parque ipſe ſibi
„ haud dubie eſſet, ac vere integer, & perfectus.
„ Ac quædam Scriptura hoc Spiritui Sancto tribu-
„ it, quod omnia ſcrutetur, etiam profunda Dei,
„ non ut ignorans, ſed ut ex eorum contempla-
„ tione ſummam voluptatem capiens. Baſilius au-
„ tem omnia, quæ ſpiritus ſunt, perſcrutatus eſt,
„ ex eoque mores omnes erudivit, ac ſublimiter
„ loqui docuit, hominumque animos a rebus præ-
„ ſentibus abſtractos ad futura traduxit. Lauda-
„ tur apud Davidem Solis pulchritudo, & mag-
„ nitudo, & curſus, & celeritas, & vis, ac fa-
„ cultas: quippe qui ſponſum ſplendore, gigan-
„ tem magnitudine referat, ac longe, lateque pro-
„ grediendo tantam vim habeat, ut ab extremis
„ extrema æque colluſtret, nec locorum interval-
„ lis ipſius fervor ullo modo minuatur. Baſilio
„ autem pulchritudo virtus fuit, magnitudo Theo-
„ logia, curſus perpetua virtutis agitatio, per quo-
„ tidianos aſcenſus ad Deum ferens, potentia do-
„ ctrinæ ſemen, ac diſtributio. Itaque ne hoc
„ quidem mihi dicere verendum eſt, in omnem
„ terram ſonum illius exiiſſe, atque in fines orbis
„ terræ vim illius verborum: quod de Apoſtolis
„ Paulus dixit, a Davide mutuatus. Quænam
„ hodie alia ullius conventus lætitia, quæ convi-
„ viorum voluptas, quæ fori, quæ Eccleſiarum,
„ quæ Principum, & privatorum deliciæ, quæ mo-

E 2 nacho-

„ nachorum, aut eorum, qui ſocietate gaudent, „ quæ eorum, qui ſe a negotiis removerunt, vel „ eorum, qui in rebus gerendis verſantur? quæ „ vel eorum, qui profanæ, vel eorum, qui no- „ ſtræ diſciplinæ ſtudium profitentur? Et una per „ omnia, & maxima oblectatio illius volumina, & „ lucubrationes. Nec ſcriptoribus materia ulla „ alia, & copia poſt eum præter ipſius ſcripta ſup- „ petit. Silentur vetera, quæcunque in divino- „ rum oraculorum explanatione a quibusdam ela- „ borata ſunt: nova prædicantur, atque is apud „ nos eruditiſſimus habetur, qui libros ipſius quam „ maxime intelligit, ac lingua verſat, auribusque „ inſtillat. Unus enim omnium loco ſtudioſis ad „ eruditionem comparandam ſufficit. „ Ita Na- zianzenus: atque exin ad ſingulares Baſilii ſcri- ptiones tranſitum facit.

S. GREGORIUS NYSSENUS frater ejus, & ipſe inter magnos oratores minime poſtremus, Baſilium *os Chriſti*, & iterum *ſublimem vita*, *& ſermone* * appellat.

S. AMPHILOCHIUS, *orat. in circumciſ. D. N.* inter alias laudes Baſilium dicit *timoris Dei*, *dominicique præcepti*, *ac virtutis enarratorem*, *doctoremque magnum*, *regiam divini verbi tubam*, *orbis fines excellenti*, *& magnifica voce complexam.* Et mox: „ Tonanti ejus lingua ceu fulmine ictum eſſe Arium, „ atque peremptum affirmat: Eunomium profli- „ gatum, ac velut fulmineo turbine in favillas ce- „ dentem, abſumptum eo confutante: Macedoni- „ um vero, furioſum illum in Spiritum Sanctum, Ba- „ ſilii abactum eſſe ſpiritu, & internecioni datum: „ Apollinarium etiam amentem illum, & inſipien- „ tiſſimum divinis ejus coargutum ſermonibus, pro-

* *Oratione* de eo dicta. Et in *Vita S. Ephræm*, ubi hunc veniſſe ad Baſilium narrat, divinam hominis eloquentiam rurſus extollit.

„ probroque ſempiterno traditum.„ Et iterum proprius etiam de eloquentia ſermonem inſtituens: „ A gentili, & profana ſapientia ad Chriſtianam „ Religionem transgreſſum, tum probatiſſimis mo„ ribus, tum venuſtiſſimo eloquio Philoſophos ſu„ peraviſſe, quotquot fere ipſum aut anteceſſerunt, „ aut ſecuti ſunt. Denique velut lucernam to„ tam ſplendidam Eccleſiæ candelabro impoſitam „ orbem univerſum ſermonibus ſacris, & ad mo„ res compoſitis efficaciter colluſtraſſe.„

S. Ambrosius tanti fecit Baſilii eloquentiam, ut eum non legeret tantum, ſed etiam, ubi poterat, imitaretur, ac tantum non latinum faceret. Id quod ex *libris Hexameron, in Pſalmos, in Nabuth*, & aliis pluribus manifeſtum eſt.

Hesychius *Centuria* 65. *hæc* de Baſilio: *os Chriſti, columna Eccleſiæ, magnus pater noſter Baſilius.*

Joannes Cassianus in *Præfat. Inſtitut.* vocat *virum & vita nobilem, & ſermone, ſcientiaque præclarum &c.*

Non plura ex Patribus. Recte enim Cardinalis Baronius in *Notat. ad Martyrolog. Roman. die* 1. *Januar.* velut re deſperata: *Omittimus hic*, inquit, *coacervare innumera Patrum elogia de S. Baſilio, quæ vix volumine comprehendi poſſent.* Sufficit inter ipſos Patres, tamque excellentes vitæ ſcriptores nactum. *Scripſerunt ejus vitam*, ait Sixtus Senenſis, *diſertiſſimo ſtylo quatuor divini Epiſcopi, Gregorius Nyſſenæ, Amphilochius Iconienſis, Gregorius Nazianzenæ Ecceeſiarum Antiſtites, & Helladius Cæſareenſis Epiſcopus, diſcipulus, & in Epiſcopatu ſucceſſor.* Igitur a Patribus ad ceteros convertimur, & ipſos non ſine delectu ex omni genere Scriptorum allegandos.

Sozomenus *Libro III. Hiſtor. Eccl. cap.* 16. de Baſilio audacter pronuntiat, *omnium ſui temporis eloquentiſſimum fuiſſe.* Nullum autem tempus tot,

ac tantos oratores tulit, ſive ſacros ſumere velis, ſive profanos; ut profecto neſcire nemo poteſt, niſi ille, qui in hiſtoria omnia neſcit.

S. THEODOSIUS Abbas *apud Bollandum II. Januarii pag.* 693: *Magni Baſilii vitam imitans & ejus orationis magno captus amore ſtudebat animum quidem illius moribus, linguam autem ejus ornare eloquentia* &c.

PHOTIUS *codice* 141. *Præſtantiſſimus*, inquit, *eſt* (Baſilius) *in libris omnibus.*

JOANNES EUCHAITA *de communi feſto SS. Baſilii, Nazianz. & Chryſoſt.* de Baſilio ſic loquitur. *Anteivit ingenio non tantum iis, qui ſuo, verum etiam, qui multis ante ſæculis floruere; quippe cum per omnes pulchras iviſſet artes, in unaquaque principatum tenuit.*

SUIDAS in *Lexico: Baſilius*, ait, *Cæſareæ cappadocum Epiſcopus, quæ olim Macaza dicebatur, Gregorii Nazianzeni amicus, parentibus antiqua nobilitate claris ortus, Baſilio, & Emmelia, vir præſtantiſſimus, & in omni doctrinæ genere ſummus.* Quanti porro Suidæ judicia fieri debeant, quoties ille ſcripta recenſet, per ſe manifeſtum eſt, cum ex elegantia, tum cognitione maxima antiquitatis.

Inter Recentiores celeberrimum eſt ERASMI judicium, qui in *Præfat. operum* ita de Baſilio habet: „Prorſus obfirmaveram animum hujus ævi „ decus Sadolete! ſtatueramque typographorum „ quamlibet importunis flagitationibus obſequium „ præfandi in alienas lucubrationes impoſterum „ omnino pernegare: ſed ab hac adamantina, ut „ mihi quidem videbatur, ſententia, me transverſum abripuit divus Baſilius, vir optimo jure „ dictus Magnus, ſed *Maximi* cognomine dignior. „ Ex his, quæ verſa legeram, veluti per nebulam „ ſuſpiciebam ingenii dotes plane divinas, ac pectus humana conditione majus: verum ſimul,

„ atque

,, atque contigit audire chriſtianum Demoſthenem,
,, imo cœleſtem Oratorem ſua lingua loquentem,
,, ſic animum meum totum perculit, inflammavit-
,, que vere flexamima divinitus afflati Præſulis elo-
,, quentia, ut mihi nihil prius curandum duxerim,
,, quam ut inæſtimabilis hic theſaurus in publicam
,, utilitatem typis evulgaretur. Etenim ſi me lu-
,, ſcioſum, ac frigidulum ſic ad pietatis amorem
,, accendit, quanto magis rapiet eos, qui pro in-
,, genii felicitate, proque copioſiore doctrina cum
,, perſpicaciores habent oculos, tum ad pietatis
,, ſtudium ſuapte ſponte ſunt propenſiores? Neque
,, enim hunc, ut arbitror, affectum in me genuit
,, arcana quædam ingeniorum cognatio, quemad-
,, modum puerum rapuit olim Horatius, cum ipſe
,, nondum ſcirem, quæ res me tantopere delecta-
,, ret. Quid enim affinitatis huic mortalium in-
,, fimo cum incomparabili heröe? Sed omnipotens
,, ille Spiritus, per organum electum ſuam exer-
,, cens ἐνέργειαν ſic afficit animos noſtros. Hæc
,, eſt enim illa, cujus ſomnium modo vidit Plato,
,, vere pulcherrima rerum Sapientia, quæ ſpiritua-
,, libus oculis conſpecta, incredibiles excitat amo-
,, res ſui. Equidem contumeliam eſſe judico Ba-
,, ſilii facundiam cum quoquam eorum compara-
,, re, quorum eloquentiam ſupra modum admirata
,, eſt Græcia, juxta modum æmulata Italia. Quis
,, enim inter illos ſic omnibus dicendi virtutibus
,, excelluit: ut in eo non aliquid vel deſideretur,
,, vel offendat? Tonat, ac fulgurat Pericles, ſed
,, ſine arte: attica ſubtilitate propemodum friget
,, Lyſias: Phalereo ſuavitatem tribuunt, gravita-
,, tem adimunt: Iſocrates umbratilis orator, affe-
,, ctatis ſtructuræ numeris, ac periodis orationis,
,, perdidit illam nativæ dictionis gratiam. Demo-
,, ſtheni, quem velut omnibus numeris abſolutum
,, eloquentiæ exemplum producit M. Tullius, ob-

„ jectum eſt, quod orationes illius olerent lucernam; nec deſunt, qui in eo affectus, & urbanitatem requirunt. Sed ut maxime aliquis extiterit, in quo neque naturam, neque artem, neque exercitationem deſideres, quem mihi dabis, qui divi Baſilii pectus numine plenum, non dicam æquarit, ſed vel mediocri conſequatur intervallo? quem mihi, qui tantum philoſophiæ, qui omnium diſciplinarum circulum cum ſumma dicendi facilitate conjunxerit? Sed, ut dixi, contumeliæ genus eſt virum divinitus afflatum cum profanis, ac nihil aliud quam hominibus conferre. Decentius eſt Divum cum Divis componere. Tulit eadem ferme ætas aliquot ſumma facundia, parique doctrina, ac pietate viros Athanaſium Alexandrinum Epiſcopum, Gregorium Nazianzenum, Baſilii Pyladem, ac ſtudiorum ſodalem, Joannem Chryſoſtomum, & ipſum Baſilio familiarem *, ac Fratrem Gregorium Nyſſenum Epiſcopum. Horum ſuis quisque dotibus ſummus erat. Athanaſius ad docendum accomodatiſſimus: Nazianzenus floridum, & argutum orationis genus amplexus videtur: Chryſoſtomus licet pulchre ſuo cognomini reſpondens, alicubi verbis redundat, & in digreſſionibus videtur immodicus. Nyſſeno placuit pia ſimplicitas. At Philoſtorgius in tantum prætulit Athanaſio Baſilium, ut virum alioqui ſummum cum Baſilio collatum ſcripſerit, videri puerum. ** Nazianzenus videbatur cum Baſilio paria facturus, ni inter tot ornamenta nævos aliquot interdum haberet inſperſos. Argutiarum, & externæ ſapientiæ affectatio, dictionisque

* Sequitur ſententiam dudum profligatam, Chryſoſtomi amicum Baſilium eundem cum hoc noſtro eſſe.

** Qua mente id ille ſcribere potuerit, vide Diſſertat. præcedente.

„ que ſtructura ab Iſocratis exemplo non abhor-
„ rens, non nihil reſipiunt ſcholam Rhetoricam.
„ Cujus rei ſi quis fidem requirat, in Monodia,
„ quam ab ſe ſumma cura elaboratam non diſſimu-
„ lat ipſe, videbit multum fabularum e Poëtis aſci-
„ tum, videbit & Collationem, qua Baſilium cum
„ veteris Teſtamenti claris heroibus committit, du-
„ riuſculam eſſe. At in Baſilio neſcio quid moro-
„ ſulus etiam lector poſſit deſiderare. „ Ita Eraſmus ad eloquentiſſimum, & moderatiſſimum Cardinalem.

Idem confirmat *Libro XXIV. epiſt.* 17. *ad* Cardinalem alium, Sadoleto majorem, *Reginaldum Polum* ita ſcribens: *Hieronymus Frobenius meo ſuaſu excudet totum Baſilium græcum, qui mihi inter ejus ætatis Scriptores unice placet. Nam Chryſoſtomus habet neſcio quid ſubmoleſte πολυμυθίας; Gregorius Nazianzenus nonnihil affectatæ argutiæ, atque id magna ex parte ſitum in verbis: in Baſilio nihil eſt, quod offendat.*

Ludovicus Granatensis *Libro II. de Relig. Chriſtian. præſtantia cap.* 15. ex omnibus tam græcis, quam latinis Patribus, *qui eloquentiæ florem conſecuti ſunt*, primum nominat Baſilium.

Stanislaus Ilovius in *Editione Orat. Moral. Francofurt.* 1598. *Baſilius*, inquit, *omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum, qui extant, eloquentiſſimus.*

Hieronymus Brunellus, cum in uſum Scholarum noſtrarum quædam Græcorum opuſcula ederet, ita eſt præfatus: *Quis legendo Baſilii doctiſſimi, atque ſanctiſſimi gravitate, & elegantia ſatietur? qui Doctorum judicio, atque prudentum videtur cum Platone, Demoſthene, ceteriſque veteribus in hac ipſa oratoria facultate, græcique ſermonis ſcientia conferendus.*

Joannes Gillotius in *Nuncupatoria Editionis Pariſinæ anno* 1603. *Ex quibus* (Majoribus) inquit, *unus citra exceptionem Baſilius Magnus, Maximi co-*

gnomento dignior, ita excellit in omnibus, ut longe præcurrat in ſingulis. Quid enim habet eruditiſſima Græcia ſic in omni doctrinæ genere abſolutum? quid Romana eloquentia ſic in ſcientia ſacrarum Literarum perfectum, & in ſubtilitate ſermonis ſic elaboratum, ut cum Baſilio ſit conferendum? Poteſt hic unus pro cunctis ſufficere in iis, quæ ad vitæ pietatem, vel Theologicæ rei cognitionem pertinent.

Cardinalis Bellarminus *Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi rariſſime criſin aliquam recenſioni ſuæ adjungit, non potuit ſe tamen continere, quin Baſilio iſtuc adſcriberet: *Opera ejus præclariſſima ſunt.*

Didacus Nyssenus Abbas Baſilianus in *Phœnice Græciæ Libro I. cap.* 11. *eminentiſſimum Rhetorem* appellat.

Ludovicus Cresollius in *Theatro Rhetor.* plures habet locos, ubi mirifice Baſilianam facundiam extollit.

Cardinalis Bona in *Notitia Auctorum* Magnum dici Baſilium & ipſe haud contentus, *facundia, & ſcientia Maximum* appellat.

Julianus Garnier, Editor Baſilii, & ipſe elegantiſſimus Scriptor, in ampla, eruditaque *Præfatione* ad caput *Tomi I*, ſed & alias, quoties licet, Baſilii facundiam commendat: audiamus aliqua ſaltem, quando omnia non poſſumus: „ Mirabar, ait „ *numero* 2. *§. I.* eum vel præſtantiſſimis Græciæ „ oratoribus anteponi, Pericli, Lyſiæ, Iſocrati, „ Phalereo, Demoſtheni. Et certe Baſilio noſtro, „ cum ejus ſcripta ad poſteros transmiſſa ſunt, opti„ me conſultum fuiſſe arbitror; ea enim tantis lau„ dibus extulerant ex antiquis nonnulli, ut credi „ potuiſſent modum omnem excedere, & fide ma„ jora prædicare. Sed quod a fide abhorrere videri „ poterat, id lectitandis Patris graviſſimi libris, & „ veriſſimum eſſe, & ab omni adulatione alieniſſi-

„ mum

„ mum, ſuis quisque oculis cernit. *Et numero* 3.
„ Neque vero putandum eſt, res ſolas in Baſilii ſcriptis laudari. Laudatur & ipſa quoque orationis elegantia, ſuavitas, perſpicuitas, incredibilis vis perſuadendi, doctrinæ integritas, ars mirifice dicendi ſine ulla artis ſignificatione; ſumma in tractandis Religionis chriſtianæ myſteriis cura, atque diligentia, ſic ut nihil vel a faſtidioſis in ejus libris deſiderari poſſe videatur. „ *Iterum §. VI.* vocat *Oratorum præſtantiſſimum*, & *§.* 11. *Magnum illum Baſilium* appellat, *qui ſi eloquentia non omnes ſuperavit, certe a nullo unquam ſuperatus eſt.*

Egregie etiam Baſilii facundiam dilaudat Abbas Ladvocat in *Lexic. hiſt. portat.* Dicit enim *unum ſapientiſſimorum, & eloquentiſſimorum Eccleſiæ Doctorum*, atque, *homilias ejus facundiſſimas, Commentarios in Scripturam excellentes, epiſtolas demum quam maxime ad mores eſſe.*

Sed elogiorum plus quam ſatis; quare ad Characterem Sancti Doctoris progredimur.

CAPUT II.

Quem ſervet characterem?

Quam plurimi ſunt, qui jam fuſius, jam breviter illum explicarent: verum ex omni numero non niſi celebriores quosdam adducemus.

Suam ſcribendi rationem ipſe nobis Baſilius exponit *Libello de fide num.* 2. ubi ſic ait: „ Tunc quidem confutare hæreſim, & Diaboli inſidias ſubvertere conabamur: nunc vero ſimpliciter fidem ſanam confiteri, & declarare nobis proponimus. Itaque nunc nobis non idem congruit dicendi genus. Quemadmodum enim homo, qui præliaturus eſt, & qui operam agriculturæ daturus, non eadem in manus inſtrumenta ſumit (alia namque ſunt inſtrumenta eorum, qui in ſecuri-

„ tate

„ tate res ad victum neceſſarias ſibi ipſi labore parant, & aliæ ſunt armaturæ eorum, qui in bello „ ordinantur) ſic qui in ſana doctrina cohortatur, „ & qui contradicentes refutat, eodem dicendi genere non utatur. Aliud enim uſurpatur dicendi „ genus ad refellendum, aliud ad exhortandum: „ alia ſimplicitas eorum, qui in pace pietatem confitentur, alii ſudores eorum, qui ſe adverſus falſæ ſcientiæ diſcrepantiam opponunt. Quemadmodum nos quoque ſermones noſtros in judicio „ diſponentes utique ea, quæ ad cuſtodiendam, „ aut ædificandam fidem pertinent, modo apto, „ atque conſentaneo adhibeamus, ſic, ut modo „ iis, qui diabolico artificio eam deſtruere nituntur, „ reſiſtamus validius, modo vero iis, qui in ipſa „ ædificari volunt, ſimplicius, & familiarius ipſam „ exponamus, nihilque aliud peragamus, quam „ quod ab Apoſtolo dictum eſt, *ut ſciatis, quomodo* „ *oporteat vos unicuique reſpondere.* „ Quibus verbis iſtuc generatim dicere velle videtur, ſtylum ſe habere non eundem, ſed diverſum; quod illum rebus, non illi res accommodari debere intelligeret. Sic vero ſcopulum ipſe ſtatuit, ad quem non impingat tantum, ſed in fruſta diſſiliat regula Criticorum, ex ſola ſtyli diverſitate, eaque non raro ſatis dubia, continuo ſua ſibi opera abjudicantium.

Photius *Codice* 141. ita Baſilii calamum depingit. „ Pura dictione, ſignificante, propria, & omnino „ civili, ac panegyrica, ſi quis alius, uti novit, „ ſenſuumque ordine, ac puritate primus, & nemini „ ſecundus apparet. Jam perſuadendi quoque vim, „ ac jucunditatem cum perſpicuitate amat, atque „ ita ejus fluit oratio, quaſi ultro, tanquam e fonte „ rivulus ſcaturiret *. Veriſimilitudine autem us- „ que

* **Rurſum *Epiſt.* 207. ſuavitatem Baſilio, ſi cui alii, tribuit.**

„ que eo eſt uſus, ut ſi quis ejus ſermones pro civi-
„ lis orationis exemplo ſibi propoſuerit, in iisque
„ ſeſe exercuerit (modo ne eorum, quæ huc con-
„ ferunt, præceptionum rudis ſit) nullum alium
„ præterea, quantum quidem exiſtimo, deſideratu-
„ rus eſſe videatur, non ipſum quoque Platonem,
„ ſive Demoſthenem; quos tamen verſandos antiqui
„ præcipiunt iis, qui in oratores civiles, ac pane-
„ gyricos evadere cupiant. „

Philotheus Patriarcha, Schiſmaticus quondam, poſtea Catholicus, vir eruditus, atque facundus in *Laudat. trium Doctorum: Baſilii Magni*, inquit, *hoc peculiare ajunt eſſe, motiones animi ex Theologiæ rationibus ſubtiliſſime, & eruditiſſime perſpicere, & examinare: divini opificii, providentiæque modos expendere, mores, & habilitates animorum ingenioſe obſervare, atque ita de his ſingulis diſſerere, ut ſermoni inanimo inſpiraſſe animam, & ejus verba vivere videantur, ſicut ipſe de quodam Rhetore non chriſtiano teſtatur.*

Erasmus pluribus locis Baſilii notas in ſcribendo perſequitur. Sic *Libro XXVI. Epiſt.* 33. *ad Georgium Saxoniæ Ducem: Baſilius ſuavi quadam, & inaffectato dictionis fluxu & pietatem, & eruditionem, & acumen, ſicubi res poſtulat, & perſpicuitatem, & jucunditatem, & ſi quam aliam virtutem in oratore Chriſtiano quisquam deſiderare poſſit, complectitur.* Et iterum *ibid.* *Quem Baſilio* (in genere dicendi) *conferam, nondum invenio, niſi ſi quis ſcripturarum cognitionem, quam habuit Hieronymus, cum Lactantii felici facilitate copulet.* Et certe hic dixit aliquid ſingulariter notandum. Qui enim impenſe græcam norunt, ajunt, Baſilium ſibi videri ſua lingua loquentem, uti noſtra Lactantium, cujus lenitatem, & facilitatem impoſſibile ſit alieno idiomate ita exprimere, ut gratiam illam ſuam retineat. Idem *Nuncupatoria Libri de Spiritu S. ad Joannem Danti-*

ſcum

ſcum Epiſcopum Culmenſem ſic Baſilium a ceteris diſtinguit. *Baſilius ubique ſanus, ſimplex, & candidus, ſibi conſtans, atque etiam inſtans, nunquam ab eo, quod agitur, excurrens temere, nusquam divinis myſteriis admiſcens philoſophiam mundanam, niſi per adverſarios coactus, idque contemptim: ſed ubique placidus, ac virgineo quodam pudore incedit, ab omni oſtentatione alieniſſimus, ne in pugna quidem ab ingenii lenitate recedens.* Verum optime in *Præfatione* jam laudata ad Sadoletum: „ Manat, inquit, e ſanctiſſi-
„ mo pectore, cunctisque humanis cupiditatibus
„ defœcato, ſimplex, ac naturalis oratio. Præſtan-
„ tur omnia, quæ poteſt ars, nec ulla tamen us-
„ quam artis ſignificatio. Agnoſcas ibi ſummam
„ mundanæ philoſophiæ cognitionem, ſed nullam
„ prorſus oſtentationem. Sentias illum callere di-
„ ſciplinas liberales, & in his mathematicas omnes:
„ ſed ſic adhiberi, ut nihil aliud quam ancillentur
„ pietati. Divinarum Scripturarum teſtimonia tam
„ concinne admiſcet orationi perpetuæ, ut gemmas
„ purpuræ, non aſſutas, ſed ibi natas dicas. Nec
„ in uno tantum genere excellit. Tanta erat inge-
„ nii dexteritas, ut quocunque ſe intendiſſet, feli-
„ ciſſime rem gereret. In enarrandis ſacrorum Vo-
„ luminum myſteriis mire διλακτικὸς, diligens,
„ cautus, apertus, minimeque violentus. Ad ge-
„ nus panegyricum putatur maxime natura fuiſſe
„ compoſitus, in quo ſic orationem attemperat ad
„ animos, auresque multitudinis, ut & imperitis
„ ſit perſpicuus, & eruditis admirandus. In di-
„ ſputando adverſus Eunomium cum admirabilem
„ habet ſubtilitatem, nusquam tamen ab orationis
„ perſpicuitate recedit, atque intra catholici do-
„ gmatis defenſionem ſe continens, nusquam eva-
„ gatur in convitia, nihil ad cauſam facientia.
„ Nec ſui diſſimilis eſt in opere ad Amphilochium
„ de Spiritu Sancto: ſed quodcunque tractat argu-
„ men-

„ mentum, nuſquam illum deſtituit perpetua di-
„ ctionis ſanitas, ac jucunditas, eaque non aſcita,
„ ſed nativa. Adeſt ubique juxta nomen illius re-
„ gia quædam majeſtas cum admirabili quadam hu-
„ manitate conjuncta. Sic invehitur in mores ho-
„ minum, ut objurgantem etiam poſſis amare. . . .
„ In ſcriptis illius nihil uſquam obſtrepit humani
„ affectus, nuſquam ſuam agit cauſam. Poſtremo
„ ineſt quiddam, quod quo nomine ſit appellandum,
„ nondum inveni. Adeſt peculiaris gratia, quæ
„ nunquam ſatiat legentem, ſed ſemper ſitientem
„ dimittit. „

David Chytræus, quem ſupra memoravi, *ibid. Ex cujus*, ait, *ſanctiſſimo pectore, & omnium diſciplinarum cognitione inſtructo emanat naturali quodam, & ſuavi, & inaffectato fluxu oratio, omnibus fere numeris abſoluta, ſana, ſimplex, dilucida, gravis, & tamen ſuavis, & ſingulari figurarum, & ornamentorum delectu expolita, ut omnibus eruditis admiranda, & ſimul tamen imperitioribus perſpicua ſit, nec unquam ſatietatem afferat legenti.* Quibus verbis non tam tranſcripſiſſe, quam contraxiſſe Eraſmum mihi videtur.

Joannes Chriſtophorſonus Epiſcopus Ciceſtrenſis in laudatiſſima illa *Introductione*; quam hiſtoricis Eccleſiaſticis græcis præfixit. Hæc de Baſilii ratione dicendi: *Quis Baſilio Magno in polienda oratione exquiſitior, in amplificanda uberior. in toto dicendi artificio limatior? cum deterret a vitiis, nemo commotior, cum ad virtutem incitat, nemo ardentior, cum res ob oculos ponit, nemo, ut ita dicam, pictior. In eo & nervi ſunt ad convincendum, & mira ad leniendum ſuavitas. In quamcunque partem orationem ita facile torquet, ut in rebus gravioribus altius in dicendo ſe tollat, & incitatius feratur, in tenuioribus leniter, & placide fluat, & nonnihil de contentione remittat.* Id quod mihi idem ſignificat, ac in Baſilio omnes dicendi nume-

numeros impletos, nullumque ſic eminere, ut alteri officere poſſit.

Sixtus Senenſis in *Biblioth. Sanct. Hic in divinis exponendis Scripturis ſicut ſummopere adamavit lucidas hiſtorici ſenſus interpretationes, moralibus quibusdam, iisdemque fragrantibus exhortatiunculis intermiſtas, ita vehementer delectatus eſt exornare expoſitiones ſuas omnibus ſæcularis literaturæ ornamentis.*

Daniel Heinſius *Orat. III.* Baſilium rurſus cum Sodali Gregorio conjungens, ita ait: *Si ad Theologos venio, video delicias illas meas, Baſilium Magnum, & Gregorium, quorum in altero facilitatem cum cura, in altero ſingularem gravitatem, & ſplendorem, in utroque eruditam pietatem admirari ſatis non poſſum.*

Cardinalis Federicus Borromæus *Libro V. de Sacris Oratorib.* „ Magna inter ceteros fuit fama „ Baſilii, non modo, quæ venire poſt mortem ſo„ let admiratione librorum, ſed quæ perſequitur „ etiam viventes. Orator ſane vehemens, & ro„ buſtus, & argumentis abundans, denſus præter„ ea, compreſſus, & ſententiarum luminibus illu„ ſtris. Qua laude fortaſſe magis, quam ceteri de „ noſtris, Demoſthenem eſt aſſecutus. Candore „ fuit eximio, & quemdam illius linguæ florem „ cuſtodivit; qui tamen flos, & candor, ſicuti ce„ teræ virtutes in hunc diem minus apparent eorum „ oculis, qui donatum latinitate Baſilium legunt. „ Fecerunt autem, ut credere licet, aliæ ipſius oc„ cupationes, & cura, ne majorem nobis relin„ queret copiam eorum ſcriptorum, quæ ad com„ parandam hanc eloquentiam pertinerent. „ Eam videlicet, de qua ille loquitur, concionatorum.

Nicolaus Cauſſinus *Libro XV.* cum Baſilium, & cum eo Nazianzenum, & Chryſoſtomum ſupra omnem ingenii aleam eloquentes viros dixiſſet, conſummatæ in humanioribus literis peritiæ, grandes,

des, copioſos, ſuaves, altos ſenſibus, ſtylo uberes, omnibus orationis divitiis ad miraculum usque refertos, addit: *Baſilius medium quemdam orationis characterem ſecutus nec ſtrictior eſt, nec ſolutior: utrinque felix, & temperatus.*

Joannes Croiſet in *Exercit. pietat. In omnibus*, ait, *Baſilii ſcriptis claritatem ac vim ſpiritus videmus, atque eloquentiam miramur. Paucos inter Doctores Eccleſiæ, atque adeo ipſos Sanctos Patres reperire eſt, quorum libri utilius inſtruant, & magis in animos penetrent.* Et jam ante *ibid. Verum illud, in quo magis eminuit, erat ars dicendi, ſcientia movendi affectus, ac perſuadendi. Non erat eloquentia ejus aſiatica, & ſenſibus redundans, verum maſcula, ſublimis, gravis, ſucculenta, plenaque flammarum.*

Julianus Garnier *Præfat. in Tomum II. ſ. 7. Apud Baſilium*, inquit, *omnia propriis, & accomodatis ad id, quod agitur, vocibus exprimuntur, & ubi non expectes, aliquid plerumque reconditæ eruditionis latet. Nusquam Baſilius ſui diſſimilis eſt, ſed ubique ſe præſtat eum, qui jure oratorum optimus habitus ſit. Prætereaque illius oratio ita naturalis eſt, ut nihil præter expectationem audias: ſed omnia tam apte, tamque convenienter inter ſe connectuntur, ut fateare neceſſe ſit, nihil aut melius, aut convenientius dici potuiſſe.*

Ludovic. Anton. Muratorius *de dignit. eloq. popul. cap.* 8. pulchre de eodem charactere: *Quicunque porro in volvendis divi Baſilii ſermonibus operam poſuit, ubique in unum illud, de quo dixi, neceſſarium caput* (popularitatem) *incurret. Nullus hic dicendi faſtus, verum ſimplex potius, ac plana dictio eſt. Fortis tamen, atque adeo perſpicua, ut admirationem, & jucunditatem efficiat: tum maxime, quando venuſtis illis, minimeque affectatis deſcriptionibus argumentum exhilarat. Loci Scripturarum, quos affert, innati potius videntur, ac per ſe inſiti, non artificio, & in-*

duſtria conquiſiti. Quid multa? nuſquam non patet conſilium ejus ſic inſtituendi omnes, ut ſingulis opitularetur.

Abbas Ladvocat *loc. cit. Stylus S. Baſilii purus eſt, & elegans, ſignificationes grandes, atque ſublimes, ſenſa nobilia, & plena majeſtatis. . . . Ratiocinia ejus efficaciæ plurimum habent: doctrina profunda eſt, opera omnia eruditione redundant.*

Ex tam multis, atque etiam ſingularibus notis, ſi quid ego ſentio, primas haud dubie ferunt lenitas, & claritas, gravitati nativæ, & æquabili ſic commiſtæ, ut *dulcedinem* quamdam efficiant, haud abs re a Poſſino * unice S. Doctori tributam. Etſi autem hæc ratio ſcribendi, quæ propria eſt Atticorum, multo labore ſtetiſſe illi videatur, atque jam ab Aniano antiquiſſimo Scriptore *admirabilis illa cura loquendi* in Baſilio notetur **; plus tamen corroboratæ conſuetudinis prodit, quam anxiæ diligentiæ. Nam & præceptor Libanius ***, qui noſſet ſtylum ejus adhuc adoleſcentis, affirmavit Baſilio, fore, ut quamvis ornatum omnem fugere vellet, nihilominus ex veteri uſu cogeretur eloquens eſſe, & illecebræ orationis vel invitum ultro ſequerentur.

CAPUT III.

Ubi emineat præcipue?

Philoſtorgius *apud Suidam* Baſilii panegyricum dicendi genus longe præſtare exiſtimat ****: *Baſilius*, inquit, *in genere demonſtrativo erat ſplendidiſſimus*, ſcilicet præ Apollinari, & Gregorio Nazian-

* In *Præfat. ad Collationes Iſidorianas,*

** Ad Horontianum, cui *homilias* Chryſoſtomi *in Matthæum* latine redditas nuncupat.

*** *Epiſtola* inter Baſilianas 340. *alias* 147.

**** In *Apollinari.*

zianzeno, quos ibi inter ſe committit. Clarum eſt autem, quod ſcriptor Arianus, & catholicis Doctoribus, ſi quis alius infenſus, hoc animo id ſcribat, ut inferiori loco ponerentur, quæ Vir ſanctus in hæreſin ſuam tam acriter, tamque luculenter diſputavit. Vide Photium *Codice* 40. Etſi enim & Photius, quem allegavi, & nuperrime Abbas Ladvocat maxime Panegyricum hoc Baſilii genus extollant: necdum tamen impetrare a me potui, ut laudationes ejus nitidiſſimas abſolute omnibus præponam.

Suidas idoneus ſane æſtimator ita pronuntiat: *Scripſit plurima, inter quæ maxima in admiratione ſunt Commentarii in opificium ſex dierum* Antiquior multo Junilius, Epiſcopus Africanus (an Beda potius?) ait: *De Principio Libri Geneſis, in quo mundi hujus creatio deſcripta eſt, multi multa dixere, & multa poſteris ingenii ſui monumenta reliquere: ſed præcipue, quantum noſtra puſillitas* * *ediſcere potuit, Baſilius Cæſarienſis* **. Ex quo vides Hexameron Baſilii non propriis ejus tantum, ſed aliorum quoque hujus argumenti ſcriptis omnibus antecellere. Cardinalis Federicus Borromæus *loco* jam *dato*: *Ingenio*, inquit, *ſemper apparet eleganti, quantum eſſe quisquam poſſit: ſed in divino ſex dierum opere tum alios, tum vero ſe ipſum longo intervallo ſuperaſſe eſt viſus.* Sed nemo copioſius ſermones hos exornavit Sixto Senenſi, quem vel ea etiam de cauſa producere debemus, quod in elogio hoc ſuo Patrum ſimul ſummorum judicia complexus eſt. Cum enim affirmaſſet, familiare eſſe Baſilio, uti divinas Literas ſæcularibus quoque ornaret, ita ſermonem proſequitur: „ Quod & præcipue in novem illis celebratiſſimis „ Hexameron homiliis præſtitit; quas usque adeo „ admiranda elaboratæ dictionis cura, & orationis

F 2 „ maje-

* Alii legunt *puſillanimitas*.
** Præfat. Commentar. in Geneſin.

„ majeſtate illuſtravit, ut eloquentiſſimus, ac doctiſſimus Gregorius Theologus non immerito dixerit, tantum Baſilii orationem omnes hominum ſermones antecedere, quantum divina vox humanas voces. Tantis quoque diſciplinarum omnium, ac bonarum artium divitiis, e media potiſſimum Philoſophia Peripateticorum depromptis *, eaſdem homilias, ſicut & ceteras explanationes ſuas locupletavit, ut jure chriſtianorum Philoſophus, & Philoſophorum chriſtianiſſimus dictus ſit. Quantum vero exiſtimaverit hoc divinum Hexameron opus veneranda Patrum antiquitas, oſtendunt inter alios Gregorius Nazianzenus, cognomento Theologus, Gregorius Nyſſenus, & Ambroſius eruditiſſimi, ac ſanctiſſimi viri, quorum prior in Monodia ſua ſic loquitur: Magnus Baſilius, quo nemo ſacra Volumina nec eloquentius, nec verius, nec uberius enarravit, ſcripſit Hexameron, ubi de rerum principio divinitus diſſerit. Quem ego quoties lego, ita me in conditoris amore, charitate, atque cognitione confirmo, ut nulla re magis movear, aut oblecter. Cui ſubſcribens Gregorius Nyſſæ Epiſcopus in Præfatione Hexameri a ſe editi ſic ait: Qui legerunt divinam illam Patris noſtri Baſilii in magnum Moſem commentationem, non minus, quam ea, quæ ab ipſo Moſe perſcripta ſunt, admirantur. Et merito mea quidem ſententia. Nam quam rationem habet cum grano ſpica, quæ & ex illo provenit, & illud eſt: vel potius quæ cum illud ipſum inſit, magnitudine tamen ab eo, & pulchritudine & formæ differt varietate, eandem rationem habere dicas cum oratione magni Moſis, quæ a Magno Baſilio accuratiore ſtudio

„ ſunt

* Præcipue autem ex Plutarchi libellis de natura animantium hic profecit.

„ ſunt elaborata. Etenim, quæ paucis ille verbis „ complexus eſt, ea Doctor noſter ſublimi philo- „ ſophia ſic adauxit, & cumulavit, ut non ſpicam, „ ſed arborem effecerit; ad ſimilitudinem grani „ Sinapis, quod regno cœlorum comparatum eſt. „ Hæc Gregorius. Ambroſius vero hoc ipſum tan- „ to in pretio habuit, ut illud verſum e græco to- „ tum & iisdem ſententiis, ac verbis in Hexame- „ ron a ſe compoſitum transfuderit. „ Ita Sixtus.

Ex ceteris, quæ in divinos Libros Baſilius ſcripſit, præſtat *Proœmium in Pſalmos;* recteque de eo Garnerius ait: *Præclarum ſane, & imprimis elegans Proœmium in Pſalmos, quod qui legerit, miram illam in Baſilio dicendi artem mirabitur, qua, quacunque ſe intendiſſet, excellebat.* Mirum ergo non eſt, Ambroſium, qui in Pſalmos ipſos Baſilium ſæpe imitatur, ex hoc quoque Exordio plura in uſum ſuum excerpſiſſe. Inter ipſos *Sermones in Pſalmos*, quam maxime lectori arridebit is, qui *in Pſalmum XIV.* inſcribitur. Hunc attente, & ſumma cum delectatione legi non ſemel. Sed & Garnerius in *Præfat.* §. *VI.* non poteſt elegantiam illius ſatis dilaudare. Nam *elegantiſſimam illam quidem* (homiliam) vocat, *& rebus, ac verbis refertiſſimam.* Et jam ante dixerat: *Ea eſt orationis ſecundæ ubertas, varietas, copia, quam pauciſſimi oratores non dico ſuperare, ſed imitari poſſint* *.

Libros in Eunomium Hieronymus *de Scriptorib. Eccleſiaſt. egregios:* Suidas in *Lexico*, *eximias orationes:* Eraſmus *ad finem Præfationis* alias laudatæ *divinitus conſcriptos* appellant. Et certe abſolutum exemplar præbent impugnationis chriſtianæ haud ſecus ac Chryſoſtomi *in Anomœos homiliæ.* Ratio eſt, quam iam ſecundo capite ex Eraſmo dedimus,

F 3 quod

* Vocat *ſecundam* in eundem Pſalmum, etſi *primam* Baſilio abjudicarit.

quod omnem Metaphyſicæ ſubtilitatem cum facilitate & temperantia admirabili ille conjungeret. Neque tamen putes, vim idcirco, atque efficaciam abeſſe. Enimvero maxima adeſt, atque ita ſtringit, ut non poſſet validius. Id quod jam Nazianzenus ſæpe laudatus advertit, ſic ſcribens: *Cum libros eos, quibus hæreticorum ſcripta refutat, lego, ſodomiticum ignem cerno, quo improbæ ac ſceleratæ linguæ in cinerem rediguntur, aut chalanæ turrim, ut male conſtructam, ita recte interruptam, atque deletam*. Et Photius codice 137. *Libellum hunc, quod Eunomianis in admiratione eſſet *, de induſtria, ne ad alios perveniret, occultatum, vix tandem nactus Baſilius Magnus, fortiter eum, & ſplendide, omnemque adeo dicendo vim, ac facultatem pervadens, evertit, ac jugulavit. Diceres eum babylonicum infantem ad firmam fidei petram allidendo contudiſſe, ac putidi cadaveris inſtar riſu dignum oſtendiſſe, quod tantam antea ſui admirationem aliis concitarat.* Porro, quæ hic de libris in Eunomium diximus, de tribus prioribus intelligi debent; nam ultimi duo ponderatis utriusque partis rationibus mihi non tam dubii, quam plane ſuppoſiti videntur.

A libris contra Eunomium ordine progredior ad *Homilias de diverſis*, quas quidam præponere illis in Hexameron non audent; at poſtponi quoque minime patiuntur. *Cum orationes eas*, inquit Nazianzenus **, *quas de moribus, ac bene vivendi ratione ſcripſit, in manus accipio, animo & corpore purgor, templumque Dei capax efficior, atque inſtrumentum muſicum a Spiritu pulſatum, divinamque gloriam, & potentiam canens, per eas corrigor, & concinnor, atque divina quadam immutatione alius ex alio efficior.* Et Photius *codice* 142. *Legimus eiusdem & morales oratio-*

* Scilicet illum Eunomii.
** *Oratio.* 20. ſupra dicta.

orationes, *in quibus omnibus ſupradicta dicendi virtus maxime elucefcit* *. Card. Aug. Valerius *Libr. III. de Rhetor. Eccleſ. cap.* 41. vult eas præ aliis exemplaribus ab oratore ſacro præ manibus haberi. Continuator Garnerii, Prudentius Maranus in *Vita cap.* 41. *omnibus eloquentiæ numeris abſolutas eſſe* ait. Atque utinam plures haberemus; neque enim veriſimile eſt, cum tot annis eſſet Caſareæ, non niſi iſtas ab eo perſcriptas. Sed etiam ex Simeone Logotheta patet, quasdam deperditas nobis, quarum ille fragmenta allegat. Meam ſi quis ſententiam roget, orationes Baſilii *in gulam*, *&* *ebrietatem*, *in famem*, *&* *ſiccitatem*, *in divites*, *adverſus iratos*, *invidos*, in illud: *attende tibi.* &c. Homiliis in Hexameron prætulerim, quantum ad Eloquentiam attinet. Contra ſentiunt alii? imo ſi probe attendimus, non contra ſentiunt; quia ſimpliciter loquuntur, quin ad eloquentiam præciſe reſpiciant. In prioribus illis magis ſe Philoſophum, magis Theologum oſtenderit, non repugno; verum in his orator eminet. Ibi major eruditio, copioſior doctrina; hic locus affectui, & figuris. Quod ſi dubitas etiamnum, quid non obviam quamque in manus ſumis? Cape exempli gratia illam *in ebrioſos*. De qua Garnerius in *Præfat. §.* 6. ſic monet lectorem: *Legat imprimis orationem eam*, *quæ* 14. *eſt*, *quam ſi non imparatus*, *at non ita multum paratus ad populum habuit: quæ tamen Libanium*, *qui & ipſe erat dicendi optimus magiſter*, *tantum in admirationem rapuit*, *ut eam a Baſilio muneris eximii loco popoſcerit.* ** Scio totam non leges, quin in eandem mecum ſententiam ieris. Neque tamen iſtam omnibus præ-

 fero,

* Remittit lectorem ad ea, quæ *Codice* præcedenti 141. jam recitato pronuntiaverat.

** Vide *Epiſtolas* 145. 147. 150. 159. 161. 162. *nunc* 333. 340. 343 352. 354. 355.

fero, neque ut tumultuarie conſcriptam ceteri præferent. Confer igitur eandem cum illa, quæ eſt *in famem & ſiccitatem*, nunc octavam, vel cum ſexta in illud: *deſtruam horrea mea*, & ſeptima *in divites*. Illa, quam primo loco dicebam, Baſilius aperuit locupletum horrea *. Et certe initio ſtatim ſenties pertentari viſcera, teque totum intime commoveri. Scio oratorem ſacrum, qui, dum hæc ſcribimus, in ſumma annonæ caritate hanc ipſam orationem in rem ſuam verterat, ita inflammaſſe, fregiſſeque auditorem, cetera minime mollem, ut alii quidem lacrimas, pecunias alii largiter effunderent. Neque minus reliquæ duæ eo valent, ut de quibus Garnerii Continuator veriſſime dixit, quod Baſilius in *commendando eleemoſynæ præcepto omnes ingenii vires profudiſſet.* Porro homilia *ſecunda de Jejunio*, homilia *de Spiritu S.* homilia *in Lacizis dicta*, homilia *in humanam Chriſti generationem*, homilia *in pœnitentiam*, homilia *adverſus eos, qui calumniantur nos, quod tres Deos colamus:* homilia *de libero arbitrio*, itemque a Combefiſio, & Cotelerio edita in illud: *Ne dederis ſomnum oculis tuis*, & tertia *de Jejunio*, hæ, inquam, omnes neque ſunt pares ceteris, & ſola fors illa, quam primo dixi, excepta, haud immerito in dubium hodie revocantur.

Ab orationibus Ethicis convertimur ad Panegyricas: de quibus Nazianzenus *Orat. ead. Cum Martyrum encomia lego, corpus contemno, & cum iis, qui laudibus efferuntur, animo verſor, atque ad certamen excitor.* De iisdem cum laude maxima paſſim meminit Martyrologium Romanum, & Cardinalis Baronius in *Notat.* ad idem Martyrologium. *Nihil diſertius, & elegantius duabus* Baſilii orationibus *in S. Gordium, & 40. Martyres*, ait Maranus in *Vita cap.* 43. Et iſta quidem in 40. Martyres jam apud veteres

* Teſte Nazianzeno in oratione toties citata.

teres celebratiſſima fuit, ut quam nominatim non Gregorius ſolum Nyſſenus, ſed S. Gaudentius quoque, hic *orat.* 2. in eosdem, ille *hom.* 17. dilaudarunt. * Illa in *S. Barlaam Martyrem* ex plurium hodie judicio non Baſilii, ſed Chryſoſtomi opus eſt. Garnerius *Præfat. in Tomum II. §.* 1. *Hæc*, inquit, *oratio, in qua præconium Martyris Barlaam continetur, brevis quidem eſt, ſed ita elegans, & ornata, ut ejus auctor, quicunque ille fuit, præſtantiſſimum locum inter Oratores mereri videatur.* Eandem iterum laudat in *Monito prævio ad Homilias.* Laudant & alii, ſed nunquam ultra meritum. Quantam gratiam haberemus, ſi plures ejusmodi merces Patribus ſupponerentur. De nomine, atque auctore modica, certe minor cura foret. Porro de Orationibus Baſilii univerſe Ruffinus *Libro II. Hiſtor. cap.* 9. honorificentiſſime ſcribit; ut quas *ingenii monimenta magnifica* appellat. Quod vero ex tempore dictas aſſerit, non eſt meo judicio tam ſtricte ſumendum; cum fors aliud ille non velit, quam breviſſimo tempore, & ſine ullo apparatu confectas eſſe. Sed Garnerii illuſtrem locum comittere haud poſſum, ut hic prætercam. Nam & ille in *Monito* generatim de orationibus mentione facta, „ Neminem, „ inquit, inficias iturum ſpero, ſi in omnibus pari- „ ter omnes dicendi virtutes, quas antiqui in Ba- „ ſilio laudarunt, ſplendeſcere, ac micare affirmem. „ Et vero miras illas ingenii dotes, quibus excel- „ luiſſe a veteribus dicitur, in iis, quas dixi, oratio- „ nibus videre cuique licet, eloquentiam incredibi- „ lem, rerum, & verborum copiam, ſummam

* Venerab. Ludov. Granatenſis *Eccleſiaſt. Rhetor. Libr. VI. cap.* 10. ſuadens eloquentiæ candidato, uti in aliquot Patrum elegantiſſimis ſcriptis vertendis ſtylum exerceat, duas has Baſilii orationes primo loco proponit. Sic enim ſimul & uſum linguæ, & orationis ornamenta præclara, & denique etiam exemplar aliquod habiturum.

„ mundanæ ſapientiæ cognitionem, ab omni oſten-
„ tatione alieniſſimam, eruditionem, pietatem, ar-
„ tis ornamenta omnia ſine ulla ſignificatione ar-
„ tis, in explicandis myſteriis, tradendisque mo-
„ rum præceptis diligentiam maximam, perſpicui-
„ tatem, perfectiſſimam liberalium diſciplinarum in-
„ telligentiam, vim perſuadendi ſingularem, & ut
„ verbo dicam, felicem quamdam naturam cum
„ ad cetera, tum ad panegyricum dicendi genus
„ accomodatiſſimam. Neque mihi hoc credi po-
„ ſtulo, imo meis verbis fidem facile adhiberi
„ ægre ferrem. Ita enim ſentio, quo attentius,
„ diligentiusque hæ conciones legentur, eo mi-
„ nus ſuſpectas fore. Et alioquin digniſſimæ
„ ſunt, quæ ſæpius ab omnibus legantur, cum
„ eorum lectio cuivis & utiliſſima, & jucundiſſima
„ futura ſit. Doctiſſimi quique mirabuntur ora-
„ tiones, in quibus nihil otioſum, nihil redun-
„ dans reperitur, in quibus denſa ſunt, & com-
„ pacta omnia, nervorumque, ac virium plena,
„ cum omnibus condita dicendi feſtivitatibus, tum
„ præclariſſimis, ſaluberrimisque præceptis refer-
„ tiſſima. „

Inter opuſcula S. Doctoris, ut omnia laudem maximam habent, ſic fere nullum eſt, quod eloquentia ceteris valde præcellat. *Liber de Spiritu S.* non erat ejusmodi, in quo eloquentia expatiaretur. Quam injuria eum Baſilio Eraſmus abjudicaſſet, præclare oſtendit Billius *Sacrar. obſervat. Libro I. cap. 9.* Cardinalis Perronius in *Examine Libri Philippi Mornæi, adverſus Euchariſtiæ Sacramentum:* Fronto Ducæus ante *Notas in hunc Librum,* atque alii paſſim maximo numero. Mirum eſt autem, quam ſibi ipſe Eraſmus contradicat. Nam in *Præfat.* dicta ad Sadoletum hæc verba habet, ſupra jam recitata: *Nec ſui diſſimilis eſt in opere ad Amphilochium de Spiritu Sancto.* Utique ſui diſſi-

milis

milis nunquam eſt Baſilius: verum eo diſſimilior ſibi ſæpe Eraſmus, hic vero maxime, ut qui poſt in epiſtola, interpretationi ejus Libri præfixa idem temerarie negat, quod ante non rogatus ultro conceſſit. Nempe Criticum, ne dicam mendacem, oportet eſſe memorem. Sed revocavit prius judicium? At ſui diſſimilis ſemper manet, ut qui cum alias emunctiſſimis ſit naribus, ſeu ante, ſeu nunc in re graviſſima ſententiam præcipitavit. Equidem in ſtylo dijudicando multum tribuere ei viro ſoleo, id quod ſæpe oſtendi; verum ubi de operis fide pronuntiat, nec latum unguem ultra id credo, quo oculis ipſe meis pertingere poſſim. Quod vero ſtylum hic maxime cauſatur, nihil aliud evincit, quam quod initio ſecundi capitis ex ipſo Auctore Criticis omnibus veluti fræenum quoddam injecimus. Etſi enim eloquentia non admodum valet inter ceteros Baſilii libros, tamen in iis viro tam diſerto indignum quid, præter Eraſmi læſos ſubinde oculos, nemo vidit.

Aſcetica fuſe, etiam eloquentiæ cauſa, laudat Photius *codice* 191. ubi hæc habet. „Legimus B. „ Baſilii Epiſcopi Cæſareæ Cappadociæ, qui vo„ cantur, aſceticorum libros duos. Utile ſane „ hoc opus, ſi quod aliud pietatis ſtudioſis, qui„ que æterna illa bona conſectantur: maxime vero „ iis, qui in monaſteriis ad pietatem veram exer„ centur. Continet autem cum e ſacra Scriptura, „ variarum quæſtionum, quæ ad mores compo„ nendos faciant, breviarium: tum his ſolutiones „ additas, atque explanationes. Eminet porro „ hujus in libris egregie non ille modo, ſolennis „ adeo ipſi, affectus lenior; ſed pura etiam per„ ſpicuitas; niſi quod in quæſtionibus quibusdam „ emphaſeos aliquid ab eo aſperſum appareat: „ non id adeo vocabulis minus uſitatis juveniliter „ adhibitis, neque compoſitione per circumductio-

nes

„ nes obſcurata: quin nec aliqua peregrina, & a
„ privato uſu, civilique ſermone remotiore curio-
„ ſitate, aut acrimonia: ſed quod hiſce de more
„ ſervatis, emphaſin veluti interjiciat; nullo inte-
„ rim (lectori) indito inſtituti ſui ſenſu. Quam-
„ quam ea, quæ breviter propoſuit, plurimum
„ non pertractat; eo quod ſumma capita duntaxat
„ oratione perſequi propoſitum habens, clarioris
„ explicationis opportunitatem nullam reperiat.
„ Et adhibet ille quidem ſuum ad perſuadendum
„ accomodatum acumen multis quæſtionum ſolu-
„ tionibus: ſed animæ ſalus, atque utilitas plane
„ ubique ſpectatur. Quamquam non ſola brevi-
„ tate violetur apud eum perſpicuitas: verum &
„ ex eo, quod ſolutionis indigentem orationem
„ claudat, nulla concludendi forma adhibita, ut
„ inter diſjectas propoſitiones, & inferendi, atque
„ concludendi vi deſtitutas probationes mens aber-
„ ret. Harum autem rerum cauſa in variam pro-
„ videntiæ methodum diſſecatur, quam ſapientiæ
„ tuæ * conſiderandam permitto. In his (ta-
„ men) duobus libris non ſemper ad emphaſim
„ recurrit. Statim enim primus liber nihil præ
„ ſe fert tale, niſi quod ſemel alicubi per Reticen-
„ tiam malum omnem avertat: Nam ad cetera
„ quod attinet, valde ibi eſt firmus, & æque pu-
„ rus, atque dilucidus: perque duos hoſce li-
„ bros decurrit ſimplicior quidam, & perfamiliaris
„ ſermo, ac compoſitio, ad vulgi aures comparata,
„ atque demiſſa, & ad ſolam demum auditorum
„ ſalutem intenta. &c.„

Eorumdem aſceticorum laudem, & anatomiam quam longam, tam facundam dat Præfatio *Editionis Venetæ* 1535. *ad Gaſparem Contarenum Cardinalem.* Sed & Andreas Schottus *Præfat. ad Iſidor. Peluſ.*

* Taraſium fratrem compellat.

Peluſ. Supra cetera omnia ſcripta ad pietatem, & animi domandas paſſiones, & a vitiis vi ſumma deterrendum, atque ad virtutem inſtillandam illos valere vult. Quantum vero eos æſtimarit, quantumque ex iis vita, & ſermone profecerit S. Theodoſius Abbas, ſupra jam ex Bollando eſt commemoratum. Quamquam, ut verum fatear, hæ, ſimilesque Aſceticorum laudes ad eloquentiam proprie non pertinent, ut cui in hoc genere tantum, quantum in aliis ſcriptionibus minime licebat. Vide Garnerium, *Præfat. in Tomum II.* §. 11. ubi Libelli duo *de Judicio Dei*, & *de fide* a puritate, copia, varietateque commendantur.

Librum *de Virginitate* quod attinet, Ambroſius Camaldulenſis, qui vertit, atque in eundem præfatus eſt, ita dilaudat. „ Tanta diligentia Patro-„ nus ille pudicitiæ adeo inſigne virginitatis decus „ componit, ornat, inſtruit, tanta cura, tuetur, „ armat, munit, denique vigilantia inſidias om-„ nes præcavet, detegit, aperit; ut meo quidem „ judicio nemo unquam eam rem egerit diligen-„ tius. Licet enim permulti, imo fere omnes „ Eccleſiæ magiſtri tum latini, tum græci virgini-„ tatis inſigne ſummis extulerint laudibus, atque „ ad eam ſervandam plurimis ingenii ſui, præcla-„ riſque monumentis hortati ſint, nullus tamen „ ita examuſſim cuncta perſequitur. „ Neque hæc ſine ratione Ambroſius; quia liber iſte uſum quam maxime ſpectat, experientia nititur, miraque & claritate & copia orationis ſcriptus eſt. Primus, quod ſciam, Alexander Natalis velut decretoria ſententia id operis divo Baſilio eripuit, diffuſiorem quam in ceteris ſtylum cauſatus, & neſcio quæ parum verecunde ibi dicta. Riſum vix tenui ad alteram rationem. Ut enim demus ſtyli diverſitatem, in quo ipſo alios præ Natali judices adhibuimus

buimus *: ergo pudorem, ac verecundiam exuerint, oportet, qui lucubrationem hanc Baſilio tam conſtanter tribuerant? An vero Vir ſanctus ad puellam ſcribit? Nihil minus, ſed Epiſcopum informat, qui poſt, ubi e re fore videretur, puellis quoque communicaret. ** Præteriit Natalis ſplendidam excuſationem, quæ ad calcem eſt poſita: quod avertere hominum inſaniam debeat, & quibusdam ad exſectionem ſui ruentibus veluti cultrum e manibus extorquere. Hoc enim præcipue Auctor obtendit, non illud ſolum, quod Virgo, ſi modo pubertatem attigerit, nihil eorum, quæ ad maſculi naturam pertinent, ignoret***. Vix ſum ferendo, cum librum quinto ſæculo antiquiorem, eumque adeo utilem & elegantem ſic deprimi video. At Baſilii non eſt? Ergo abjicendus, petendusque calumnia! ergo dicendum, quod Auctor multa pertractet incaute, quod virgineum pudorem inquinare poſſit, quod & legentes, & ſe ipſum in periculum conjiciat? Uſque adeo verum eſt, quo inquinatior nunc vita, eo delicatiores aures eſſe. Non profecto, non debemus ſæculi genio tantum dare: neque nimis cavendum eſt, ne veſtem, aut calceum ipſi maculemus, quando tam profunde in luto defixi, quidam ſunt, ut aliter extrahi inde nequaquam poſſint.

Sed tandem, quæ primo loco recenſeri poterant, etiam Epiſtolæ recenſendæ ſunt, multæ omnino,

* Suidas ſtylo nihil motus eſt, quo minus Baſilio tribueret.

** Uti in ipſius Scripturæ lectione moris eſt, in qua ſane plura ſunt, quæ longe magis poſſunt venerem irritare.

*** Legerit Natalis *Convivium Virginum* S. Methodii, ubi ipſis adeo puellis rem matrimonii tam vivis coloribus depingit, ut nihil ſimile apud hunc noſtrum ſit invenire.

nino, & ex quibus viri ſapientiam, pietatem, atque facundiam agnoſcas. *Leguntur*, inquit Photius *codice* 143, *ejusdem Epiſtolæ cum Canonicæ, tum reliquæ, ſane multæ, ad varios miſſæ. Ex his & viri mores quam admirandi fuerint, facile apparet, & norma eſſe queant (ſi alia nulla ſuppetat) conſcribendarum epiſtolarum.* Idem *Epiſt.* 207. *Quodſi unacum epiſtolari charactere rerum multarum, & magnarum utilitatem acquirere cupias, ſufficiat ſuavis ille, ſi quis alius, Baſilius* &c. Suidas vero in *Lexico*. *Scripſit Epiſtolas, quibus nihil melius, cum ad Libanium Sophiſtam, tum ad Gregorium Amicum, & alios complures.* De his Joannes Croiſet in *Exercit. piet. Epiſtolarum ejus*, ait, *quas eruditas, & admirabiles ſcripſit, tantus eſt numerus, ut ſi opera ab illo alia non haberemus, ſatis eſſet ad ſtuporem, virum valetudine tam tenera, mirisque auſteritatibus abſumpta, negotiis præterea diu noctuque obrutum tam multa literis conſignare potuiſſe.* Laudat easdem Poſſevinus ad calcem *Bibliothecæ*, & auctores alii complures. Præ ceteris epiſtolis excellere mihi videntur Conſolatoriæ quædam, de quibus alibi mentio recurret. Caſaubonus * maxime notari vult datas ad Nazianzenum, *in quibus* (ſic enim ait) *ſuaviſſime jocatur cum altera animæ ſuæ parte, Gregorio Nazianzeno.* Croiſet, quem modo dixi, in iis, quas ad Amphilochium ſcripſiſſet, morum omnem doctrinam contineri affirmat. Suidas vero illas præcipue videtur laudare, quæ Libanio, & Nazianzeno eſſent inſcriptæ. Huic ergo litem intendat Maranus, qui omnes ſive a Libanio ad Baſilium, ſive viciſſim a Baſilio ad Libanium datas, ſuſpectas reddidit. Dicet utique, quas Suidas vidiſſet, diverſas eſſe ab iſtis, quas modo nos habemus. Verum ut hoc dictu ipſi quidem

* In *Not. ad Epiſtolam Nyſſeni de peregrinat. Hieroſol.*

quidem facillimum ſit, ita aliis difficile auditu, ſi quidem dicenti fidem debeant adhibere. Sed de hoc, ut ante ajebam, Maranus viderit.

Qui pluribus Baſilii eloquentiam illuſtrare volet, præter ea, quæ Libro noſtro I. Diſſertat. ult. diximus, adeat S. Ephræmi *Encomium Baſilii:* S. Gregorii Nazianzeni *Orationem vigeſimam*, item initium *Orationis in funere Patris ſui*, S. Gregorii Nyſſeni *Orationem de Baſilio fratre:* S. Amphilochii non *vitam Baſilii*, quæ ſuppoſititia eſt, *ſed orationem in circumciſione*, quam Theophilus Raynaudus *vernantiſſimam* appellat: Ruffini *Præfationem in octo Homilias S. Baſilii* nunc primum editas a Garnerio *ad calcem Tomi II.* Socratis *Hiſtoriam Eccleſiaſticam Libro IV. cap. nunc* 26. *olim* 21. & Sozomeni *Libro VI. cap.* 15. S. Andreæ Cretenſis *Orationem in circumciſionem*. *Canonem de S. Baſilio ex Menæis Græcorum ad finem Tomi II. Junii in Actis Sanctorum*. Joannis Bapt. Mantuani *Baſilium Cappadocem ad Laurentium Puccium Cardinalem* Libris duobus. Denique omnes fere, quotquot de Hiſtoria Eccleſiæ, & de Sacris auctoribus accurate ſcripſerunt. Præ ceteris autem Godefredi Hermant *Vitæ Librum XI. cap.* 3. Julianum Garnerium in *Præfationibus*, & *Monitis* paſſim, & PrudentiumMaran, qui ab obitu hujus& *Vitam* S. Doctoris perſcripſit, & *Tomum* ejusdem *tertium* vulgavit. Nec omittendi Franciſcus Combefis in variis opuſculis, ubi ex profeſſo agit de hoc Sancto: & Joan. Bapt. Maſculus qui ejusdem Scripta omnia concionibus aptavit. Franciſcus Baërtius in *Actis SS. ad diem XIV. Junii* nihil habet in rem noſtram, ut qui dimiſſis fere ſcriptis, & eloquentia Baſilii, unice geſtis inhæreat.

DISSER-

DISSERTATIO V.

De Eloquentia S. Gregorii *Nazianzeni.*

CAPUT I.

Eloquentiſſimum eſſe Gregorium.

Vix ullus eſt omnium Eccleſiæ Scriptorum, qui in Eloquentia paranda tantum operæ, & laboris poſuerit, quantum Gregorius Nazianzenus. Cum enim ob ingenii præſtantiam, quidquid domi literarum fuit, celerrime arripuiſſet: quod tamen ſingulari ardore in Rhetoricam raperetur, tum Cæſareæ, tum in Palæſtinæ academiis, tum Alexandriæ, atque ipſis Athenis * ſummos ejus artis præceptores veſtigavit: quibus per annos complures auditis eam invenit celebritatem, ut Athenienſes non precibus tantum, ſed pene vi hominem retinerent, ad Oratoriam in luce illa, ac ſede literarum profitendam. Ex quo ſane conjectura capi poteſt, quantum & dicendo & ſcribendo ille valeret; præſertim ubi tot profanis artibus divinas inſuper adjecit. Eruditiſſimus Ludovicus Thomaſſinus *Tom. II. de veter. & nov. Eccl. Diſcipl. Libro* 3. *cap.* 83. *n.* 6. *Qui artem*, inquit, *qui ornamenta, qui pigmenta eloquentiæ homiliis ſuis addiderit, primus fuit Gregorius Nazianzenus, aut inter primos. Ideo nec ambigere quiſquam poteſt, quin ante illæ ab eo & meditato, & operoſe ſcriptitarentur, quam pronuntiarentur.* Et mox: *Nec diſſimulat ipſe, ſtudere ſe eloquentiæ inter concionandum, ut, quo poſſet cunque modo, æmularetur apoſtolicas conciones*

* Nam hæ tum maxime ſummis oratoribus florebant, quos ipſe *Epiſt.* 3. *communes eloquentiæ Patres* appellat.

ciones, non verbis, ſed factis, & miraculis cæleſtem quamdam vim, & eloquentiam oſtentantes. Non ergo mirum ingentes ad eum concurſus factos, Imperatorem ipſum Julianum hominis eloquentiam extimuiſſe, nullumque aptiorem habitum, qui collapſam Conſtantinopoli Eccleſiam ab interitu vindicaret. Hic vero, ſi unquam alias, qua voce, qua ſtylo Arianos, Macedonianos, Photinianos, Marcellianos, Sabellianos, Apollinariſtas, Novatianos ita exagitavit, & profligavit, ut innumeris ad Eccleſiam revocatis ab Imperatore, & II. Synodo Urbis principis Cathedram, a ceteris Catholicis nomen Theologi, unaque gloriam referret immortalem. Habebat autem vim miram tenendi animos, & delectandi: tantoque ſtudio ab ore ejus pendebant auditores, ut ipſimet Gregorio admirationi eſſent. *Cum enim*, ut Julius Nigronius Orat. III. ait, *in ampliſſima Urbe Conſtantinopolitana, maximo ac refertiſſimo templo, celeberrimis concionibus ad populum peroraret, mirabatur aliquando, unde attentio tanta naſceretur, & omnes in ſe dicentem aures, mentem, oculos converſos haberent, unde ſilentium tam magnum, ut nec vox, nec oſcitatio, nec ſuſurrus, nec reſpiratio exaudiretur, unde patientia tam inſignis tamdiu vel ſedendi, vel ſtandi ſine defatigationis ſenſu proveniret?* * Nihil jam dico de fama apud externos, quæ Hieronymum quoque attraxit: nihil de operibus vivente auctore in Latium tranſlatis: nihil de doctis hominibus, qui in eadem commentati ſunt, & ex ſolis Græcis minimum tredecim numerantur. Itaque cum ſua ætate, tum deinceps inter præcipuos eloquentiæ magiſtros numeratus eſt Gregorius, Patreſque omnes tam latini quam græci in explicandis Scripturis, in aſtruendis

* Videetiam *Oratione* ipſius *nona*, *quo* deſiderio, qua impatientia vox Gregorii expeteretur.

dis dogmatibus, in hæreticis refellendis, Gregorium veluti ducem adhibuerunt, Gregorium allegarunt, Gregorium pro ſuggeſtu, & in ipſis adeo Eccleſiæ Conciliis velut redivivum e Throno ſuo loquentem ſemper intuiti, reveriti, imitati ſunt: denique Eccleſia græca univerſa natalem ejus ſolenniſſimum habuit ſemper, primum inter Doctores coluit, ſtatuas ejus, atque imagines inter præcipua Religionis monumenta in omnibus baſilicis reponi juſſit.

His generatim præmiſſis nunc laudes, quas ſive antiqui, ſive recentiores facundiæ huic detulerunt, recenſendæ ſunt.

S. Basilius Magnus, quo nemo melius Gregorium noverat, omnium ejus rerum incorruptiſſimus teſtis, ut oſtenderet ſuadam, qua ille pollebat, *puteum profundum*, & *os Chriſti* nominavit *. Idem alibi, quando maxime cum hoſtibus ſuis conflictabatur, auxilium Gregorii imploravit, certus, ut ait, quod ſi manus ille confereret, aut ſolum conſpectus fuiſſet, fundendos continuo, & diſſipandos; quod ſcilicet eum velut catholici cœtus ducem reſpicerent, omne os loquentium iniqua obſtruentem **.

S. Hieronymus, *Libro I. adverſus Ruffinum* gloriari ſe eo magiſtro dicit, & exultare. Imo quoties Gregorii nomen occurrit, toties de ſumma viri eloquentia commemorat. Cum autem Ruffinus quædam ejus latina feciſſet, *imparem ſui* Gregorium dixit, ut qui verſione illa plurimum facundiæ atque elegantiæ ſuæ deperdidiſſet ***. Et alibi, *cur*, exclamat, *ſcribere aliqua auſus es, & virum diſertiſſimum Gregorium pari eloquii ſplendore*

 trans-

* *Epiſt.* 8. *alias* 141. *ad Cæſarienſes.*
** *Epiſt.* 71. *alias* 33.
*** *Libro eodem adverſ. Ruffinum.*

transferre? Unde tibi tanta verborum copia? Scientiarum lumen? translationum varietas?

RUFFINUS in *Prolog. operum a ſe translatorum, Virum* vocat *per omnia incomparabilem, qui verbo, & operibus clarus ſplendiſſimum lumen ſcientiæ chriſti eccleſiis præbuerit.* Addit: *Hujus neque vita aliquid probabilius, & ſanctius, neque eloquentia clarius, & illuſtrius, neque fide purius & rectius, neque ſcientia plenius, & perfectius inveniri poteſt.* De libris autem Gregorii loquens: *Tractatus* ejus *in Eccleſiis declamatos ingenii monumenta magnifica* *: et iterum orationes ejus univerſe *magnificum opus* appellat, quibus *infinitas quotidie pene multitudines ab hæreticis ad fidem veram converteret* **. Denique de verſione ſua ipſe fatetur, *eloquentiæ hujus præfulgidum in græco lumen non parum neceſſitate interpretationis obſcurari.*

S. AUGUSTINUS *Libro I. contr. Julian. cap.* 5. ſic de Gregorio. *Magni nominis, & fama celeberrima illuſtris Epiſcopus de partibus Orientis; cujus eloquia ingenti merito gratiæ etiam in linguam latinam translata uſquequaque claruerunt.* Aliaque addit de ſumma viri fama, quæ legi apud ipſummet poſſunt.

S. ISIDORUS PELUSIOTA, S. JOANNES DAMASCENUS, atque etiam THEODORETUS Gregorii non ſententias ſolum, ſed verba ipſa propter elegantiam quam plurimis in locis in libros ſuos tranſtulerunt.

JOANNES CASSIANUS *de Incarnat cap.* 28. Gregorium vocat *admirabilem fidei doctorem.* Et iterum *ſplendidiſſimum ſcientiæ, ac doctrinæ jubar, qui cum olim vita functus ſit, etiam nunc tamen auctoritate, ac fide vivat, & cum olim jam corpore abſit ab Eccleſiis, tamen voce, ac magiſterio non recedat.*

Atque

* *Libro II. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 9.
** In *Prologo paulo ante dicto.*

Atque iſti Patres ſufficiant, tum quod multa alia reſtant, tum quod *innumera fere ſunt*, ut Baronius ait *, *de Sanctiſſimo, & diſertiſſimo viro Patrum elogia, quæ nec quiſvis facile colligere queat.* Patrum autem verbis recte ſubjungas illa BREVIARII ROM. ad diem *IX. Maji.* quæ ſic habent; *Scripſit autem multa & ſoluta oratione, & verſibus mirabili pietate, & eloquentia.* Et rurſum: *ut autem vitæ laude nemo ei præpoſitus eſt: ſic & orationis gravitate omnes facile ſuperavit.* Nunc ceteros Scriptores audiamus.

SOCRATES *Libro IV. Hiſtor. Eccl. cap.* 7. *Gregorius*, inquit, *vir diſertiſſimus.*

CYRUS NICETAS in *Argument. Sententiar. Naz.* Gregorium aſſerit *omnem ab extraneis oratoribus utilitatem, quantum ſat eſſet, decerpſiſſe, in eorum arte, & diſciplina feliciſſime verſatum fuiſſe, omnem ſermonis vim, omneque ingenii humani faſtigium ad ſummum uſque excoluiſſe.*

PHOTIUS *epiſt.* 207. *Inter omnes*, inquit, *præcipuus, pulchritudinis artifex Gregorius.*

JOANNES EUCHAITARUM EPISCOPUS Sæculi XI. Scriptor *orat. ad commune feſtum Baſilii, Nazianz. & Chryſoſt.* ſic de *Magno*, ut ait, *Gregorio: In theologia tantum profecit, ut omnes habuerit inferiores & elegantia ſermonis & ſententiarum gravitate; unde & Theologi cognomen invenit.*

SUIDAS in *Lexico, Gregorius Nazianzenus Epiſcopus in Cappadocia, vir clariſſimus, Baſilii cæſarienſis in eadem Cappadocia Epiſcopi neceſſarius, non ſolum grammaticus, & ingenioſus poëta, ſed multo magis etiam in philoſophia exercitatus, & orator ſolers* &c. Et in *Appollinari* vocat *Cappadocem illum admirabilem*, addens ex *Philoſtorgio* **, longo inter-

* Ad calcem vitæ.

** Hunc locum etiam ſupra in Baſilio Magno recitavimus.

intervallo ſuperiorem iis omnibus, qui & prius, & poſt ad ejus uſque ætatem cauſam homouſii egerint. Nam & in profanis hunc literis maximos progreſſus, & ſacræ Scripturæ lectione, expromptaque memoria magnum habuiſſe uſum, atque, etſi Baſilius quoque & Apollinaris in ſuo genere plurimum ſtylo valuiſſent, Gregorii tamen cum utroque comparatam orationem, altiorem tenuiſſe locum. Quod Teſtimonium tanto pluris faciendum eſt in Philoſtorgio, quod homo Arianus ille, & quam maxime maledicus eſſet, qui nemini fere Catholicorum, ne quidem Athanaſio, ſciret parcere. Id quod jam Photius *cod.* 40. ſapienter adnotavit. *Quantumvis autem*, inquit, *Philoſtorgius hic in orthodoxos fureret, in Gregorium tamen, Theologi cognomento, incurrere non eſt auſus; cujus doctrinam vel invitus prædicat &c.*

Joan. Bapt. Platina *in Anaſtaſio I.* Gregorium affirmat qua rationibus, qua *ſuo elegantiſſimo dicendi genere* Conſtantinopolim ab hæreſi levaviſſe.

Joannes Trithemius *Libro de Scriptorib. Eccleſ. Gregorius ex monacho Epiſcopus vir tantæ doctrinæ, integritatis, & eloquentiæ, ut nec adverſarii quidem ejus his, quæ ab illo dicebantur, ullatenus contradicere auderent, ita ut ad confirmationem auctoritatis Gregorium tantum aliquid dixiſſe ſufficeret.*

Joannes Cono Dominicanus, Rhenani præceptor in *Nuncupator.* quorumdam Nazianzeni Scriptorum *ad Thomam Truchеſſ.* loquens de eruditione, & virtutibus Gregorii Nyſſeni ſic habet: *Satis ſuperque ſit vel unius teſtimonium pro mille, Gregorii videlicet Nazianzeni, qui ſi hunc unus laudaverit, quamvis ceteri taceant, univerſam eum laudaſſe Græciam absque omni dubio affirmare poteris. Tanto enim majus eſt hujus viri Sancti graviſſimum, & fideliſſimum teſtimonium, quanto vir ille apud univerſam*

verſam Græciam ſuo tempore usque in hodiernum diem in maxima auctoritate, & reverentia habetur, non tam doctrina irrefragabili, quam vitæ ſanctitate. Et poſt alia de eleganti ejus, & grandiloquo dicendi genere loquens, quod tamen *ſe tralatore neſcio quid humilius ſonaret: Quis enim*, exclamat, *illius phraſin, niſi vel alter Hieronymus, expreſſerit?*

Erasmus Roterodamus Libr. XXVI. *Epiſt. ad Ducem Saxoniæ Georgium* jam alias citata, Nazianzenum vocat *eximium illum chriſtianæ Philoſophiæ præconem.*

Bilibaldus Birckeimerus Nazianzeni interpres, de quo ibidem Eraſmus ſermonem exorſus erat *, *De viri ſanctitate*, inquit, *eruditione, ac eloquentia nil ſcribere attinet; cum omni ævo ob virtutes innumeras major ſit habitus, quam cui invidia nocere poſſet humana.*

Julius Gabrielius *Præfat. orat. quarumdam,* a ſe verſarum, inter alia *ſummum dicendi, & vivendi præceptorem* Gregorium vocat.

Sixtus Senensis in *Biblioth. Sanct.* verbo *Baſilius, eloquentiſſimum, ac doctiſſimum Gregorium Theologum* appellat: *hic* vero: *Gregorius*, ait, *primum Saſimæ vilis Cappadocum civitatulæ, deinde Nazianzi, & demum Conſtantinopoleos Epiſcopus, qui ab omnibus Græcis ob ſingularem auctoritatis ſuæ excellentiam primus poſt divum Joannem Evangeliſtam Theologi, & Magni cognomentis illuſtratus eſt, vir fuit tam philoſophiæ, quam Theologiæ opibus affluens, & omnium ſui temporis ſoluta, ac pedeſtri oratione eloquentiſſimus.*

Guilielmus Canterus *Novar. Lect. Libro III. cap.* 30. eo inter græcos Theologos loco Nazianzenum

* *Præfat. ad orationes quasdam Venzeslao Linco* inſcriptas. Quantum vero vir doctus alias deferre Gregorio ſoleret, vide in *Nuncupatoria Joannis Straubii*, verſioni illi præfixa.

zenum Gregorium ponit, quem inter Latinos fere Firmianum Lactantium: et jam ante *cap.* 29. *Virum* vocat *pietate ſimul, & eloquentia præſtantiſſimum.*

Jacobus Billius celeberrimus Nazianzeni interpres, vir, in quo ſumma omnia fuerunt, & quo nemo magis cognitum habuit auctoris ſtylum, in *Præfatione græca Gregorium palmam ceteris omnibus præripuiſſe* affirmat *orationis gravitate, ſublimitate, vi, atque etiam ipſa venuſtate numerorum.* Idem inter cetera, *ad Cardinalem Lotharingum* hæc præfatur: „Ex quo factum eſt, ut Græcos Latinis „ conjungens, in nobile illud amicorum par tan„ dem inciderem, Baſilium Magnum, & Grego„ rium Nazianzenum dico: in quorum ſcriptis „ tantum veræ pietatis, tantum doctrinæ, at„ que eloquentiæ lucet, ut neſciam, an apud „ Græcos, Latinosque inveniri poſſint, qui „ plus eruditionis cum majori dicendi facultate „ copularint. Me certe Nazianzenus gravi illo, „ ac ſublimi ſcribendi genere ita affecit, ut in„ credibilem quamdam oblectationem ex ejus le„ ctione ſemper ceperim. Quocirca mihi jam pri„ dem haud mediocriter dolebat, tantum virum „ minus frequenter hominum manibus teri, quam „ ſingularis ipſius facundia, atque doctrina mere„ batur.„ Et ſane ſumma Billii de Nazianzeno exiſtimatio fuerit, neceſſe eſt, quando eandem & alii æquales ejus obſervarunt. Sic Joannes chatardus in *Iſidoro Peluſiota*, cujus a Billio adornatam editionem poſt illius fata ipſe curavit: „Cupie„ bat & ipſe, inquit, impenſe, dum ſuperſtes „ erat, ut græcus ſanctorum illorum Patrum, quos „ tranſtulit, contextus ab ipſo recognitus, & ab „ innumeris mendis vindicatus recuderetur, ma„ ximeque divi Gregorii Nazianzeni, quem ipſe „ ob ſummam ejus pietatem, & elegantiam in „ primis coluit, & in quo caſtigando, convertendo,

„ & illu-

„ & illuſtrando diu, multumque ſe torſit. Pu-
„ debat enim eum, quod Græcia (ex qua tot
„ opes, & ornamenta hauſit) tam doctum, tam
„ diſertum, tamque facundum auctorem, & ora-
„ torem ſuum haberet tam mutilum, ac lacerum,
„ totque plagis confoſſum, ut ſemivivus relictus
„ videretur: cujus ipſe, ut Samarites alter, miſer-
„ tus eſt, curamque ejus diligentem egit.

Card. Augustin. Valerius in *Rhetoric. Eccleſ. Libro I. cap.* 21. Gregorium memorans: *Quem nobis*, ait, *Theologum eloquentiſſimum, & Demoſthenem chriſtianum licet appellare.*

Isaacus Casaubonus in *Nuncupator. epiſtolæ Nyſſeni de peregrinat. hieroſol.* Gregorium Nazianzenum *virum* dicit, *ſine controverſia maximum, & qui ob exquiſitam rerum divinarum notitiam pari facundia, eruditioneque junctam glorioſiſſimum Theologi cognomen tuliſſet.*

De Daniele Heinsio, quantum ille Gregorii eruditioni ac facundiæ tribueret, jam in priori Diſſertatione de Baſilio dictum eſt.

Cardinalis Baronius in *Annalib. ad ann.* 250. *num. XII. Græcorum*, ait, *Gregorius Nazianzenus eloquentiſſimus.*

Julius Nigronius *Orat. III.* ſic loquitur de Nazianzeno: *Inter græcos magiſtros chriſtianorum a doctrinæ Theologicæ præſtantia Theologi nomen eſt adeptus, & propter eloquentiam inter primarios oratores connumeratus eſt.*

Cardinalis Bellarminus *Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis: Multa ſcripſit, in quibus ſapientiam cum eloquentia mirifice copulavit. Quæ* ipſa verba Balthaſar Corderius in Patribus omnibus, præſertim græcis, verſatiſſimus, cum *Indicem Patrum Catenæ* ſuæ texeret, adoptanda ſibi putavit.

Ludovicus Cresollius in *Theatr. Rhetor.* plurimis locis eloquentiam Gregorii notat, neque ſcio, an unquam ſine ſuperlatione.

Joannes Paulus Oliva, Societatis noſtræ Præpoſitus Generalis, ſtudioſiſſimus Patrum lector, præſertim Nazianzeni, cujus & characterem in ſe expreſſiſſe mihi videtur in *XL. Oration. Dominic. XVIII. poſt Pentecoſt.* ait: Gregorius Nazianzenus *eminentiſſimus Orator.*

Guilielmus Cave ad annum 370. inquit: *Vir erat* (Gregorius) *in quovis diſciplinarum genere præſtantiſſimus, in Theologia ſummus.*

Auctor Anonymus Compendii Chronologici *Hiſtor. Eccl. gallice ſcripti ad annum* 389. ait: *Mors S. Gregorii Nazianzeni, qui per Antonomaſiam Theologus eſt dictus; tam ſublimis, tam accuratus eſt in myſteriis explicandis. Pariter inter omnes alios ejus ævi palma eloquentiæ illi debetur. Modus, quo ſcribit, elegantiam, & ſoliditatem quam perfectiſſime inter ſe ſociavit.*

Laurentius Berti nuperrimus auctor in *Eccleſiaſt. hiſtor. breviario Sæcul. IV. cap.* 4. *Gregorius,* inquit, *Epiſcopus Nazianzenus admodum valuit metro, ac ſoluta oratione, quemadmodum illius ſcripta cedro digna teſtantur. Vita defunctus eſt Orator, & Theologus præſtantiſſimus anno* 399.

Fuſiores fuimus in Nazianzeni laudibus recenſendis. Quid ſi alios quoque Scriptores, quorum eſt ingens multitudo, recenſere voluiſſem? Igitur ad characterem progrediamur.

CAPUT II.

Gregorium habere varia in dicendo uni ſibi propria.

Characterem, & notas ſibi tam peculiares habet Gregorius, ut S. Baſilius *Epiſt.* 2. *alias* 1. eleganter profecto, & argute ad eum perſcriberet: *Agnovi*

Agnovi Epiſtolam tuam, velut qui amicorum liberos ex apparente in ipſis ſimilitudine cum parentibus cognoſcunt. Idem confirmat *Epiſt.* 19. *alias* 3. Quis vero hic character, qualesque illæ notæ ſunt? Hic enimvero velut in labyrinthum aliquem delatus neque initium neque finem reperio; tot, tamque diverſi ſunt, qui explicandum illum, ornandumque ſuſceperunt.

Et primo quidem cum Aniano Sæculi V. Scriptore * *Sublimem illum Gregorii Cothurnum* plurimi notavere: nempe Hieronymus in *Catalogo*, Suidas in *Lexico*, Sixtus Senenſis *loc.* jam *dato*, & ex his alii docent, Nazianzenum ſecutum eſſe genus dicendi Polemonis Laodiceni, qui Smyrnæ docuit, & Ariſtidis Rhetoris præceptor fuit. Hic cum ſublimi quodam velut *cothurno* attollatur, miraque ſit puritate & elegantia, Gregorio noſtro præ ceteris placuit; quare in ſuccum, ut ſic loquar, & ſanguinem ſuum convertit, digniſſimum ratus, qui ſi paulum moribus noſtris aptatus eſſet, ſumma illa religionis myſteria oratione grandiori proſequeretur **.

Secundo advertendum eſt Philoſtorgii, quam mali, tam diſerti viri judicium, qui loco ſupra allegato ita genera dicendi diverſa hujus noſtri, Baſilii item, atque Apollinaris inter ſe componit: *Atque etiam quilibet eorum in ſuo genere plurimum ſtylo valebat. Apollinaris ſcribendis commentariis longe præſtabat: Baſilius in genere demonſtrativo erat ſplendidiſſimus: Gregorii autem cum utroque comparata oratio, altiorem tenebat locum; nam & Apollinari dicendo uberior, & Baſilio gravior erat.*

Tertio

---

* In *Præfat.* ad verſas a ſe Chryſoſtomi homilias in Matthæum.

** Scholiaſtes græcus, Eraſmus non ſemel, & Cave Polemonis cothurno Iſocratis ſtructuram addidiſſe volunt.

Tertio loco Philotheum Patriarcham Conſtantinopolitanum audire debemus, qui *Laudat. trium Doctor.* alibi jam memorata fuſe Gregorii characterem deſcribit: „ Gregorii quodammodo peculiare „ ajunt eſſe Theologiam, & genus orationis recon„ ditum in rebus Theologicis, ſublimes intelligen„ tias, verba, compoſitionem, & elocutionem „ ſublimia. Quocirca commune Theologorum „ nomen quodammodo ſuum unius effecit, quando „ ipſum ſolum & peculiariter Theologum poſt „ *filium tonitrui*, primumque Theologum, & Evan„ geliſtam, fidelium eccleſia nominat. Ejus eſt „ etiam brevitas, & acrimonia, & paucis verbis, „ ac ſyllabis magna illa, & eximia valde compre„ hendere, ut argumentorum præſtantiæ, & ad„ mirabilitati adſtrictior dictio non modo nihil of„ ficiat, ſed cum ſingulari quadam ſublimitate per„ ſpicuitas quoque & novus quidam ornatus, ſen„ tentiarumque perpetuitas, & perfectio adſit, & „ præclarus vir inſuper ſecundum omnia Rhetoricæ „ cauſarum genera commendationem mereatur: & „ ſive ſuadeat, ſive laudet, ſive judicialem contro„ verſiam diſceptet, ubique ſibi ſimilis ac ſummus „ ſit, & nihil interim a gravitate, & ſublimitate „ ſua vel tantillum diſcedat. Et quoniam ornatus, „ & gravitatis, ſeu granditatis, & quaſi roboris cu„ jusdam ejus in dicendo mentionem habuimus, „ hoc quoque neceſſario adjungendum duco: Gre„ gorium ſolum ex Græcis omnibus in græca, atti„ caque ſapientia & lingua, ſi quiſquam alius, exer„ citatum fuiſſe, nec neceſſe habuiſſe, illorum item „ legibus, & moribus ſervitutem ſervire, ſed atti„ cæ quidem dictionis fucum, & curioſitatem, ut „ inane, & ſupervacaneum quiddam, aliis reliquiſſe: „ de græca autem ſapientia, quod purum, hone„ ſtum, ac ſimplex eſt, aſſumentem, antea non „ viſam orationis ideam, ſeu formam compoſitio-

nem-

„ nemque & phraſin veluti legiſlatorem ipſum, &
„ dicendi magiſtrum inſignem invexiſſe. Ex quo
„ in admiratione, & nimium quantum clarus fuit,
„ apud eos præſertim univerſos, qui ſupra ceteros
„ eloquentiam colerent, & amarent, & adhibere
„ in ſcribendo artificium ſcirent: ut animis & auri-
„ bus a ſubtilitate, feſtivitate, & nobilitate, incre-
„ dibilique & divina jucunditate, & melle oratio-
„ num illius ſuſpenſi penderent, torperent autem
„ omnes ſimul ad hanc minime communem, & ini-
„ mitabilem ideam: cum ſtupore mirantes, quæ-
„ nam, & unde extitiſſet, naturalemque ornatum
„ illum, & ad deſcribendum difficilem, ambro-
„ ſiam quamdam, & nectar, ſeu ut ex divina Scri-
„ ptura potius dicam, orationes ejus panem Ange-
„ lorum, & ſacrum manna exiſtimarent; quibus
„ ſapientiſſima, & humana ſuperior mens, atque
„ lingua tam ſacroſancta illa de Theologia & Divini-
„ tate tam mirifice edidiſſet. Illa præterea de rerum
„ fabricatione, procuratione que, & magnum illud
„ magnæ circa nos Oeconomiæ Chriſti Sacramen-
„ tum, quam ſancte, & divine tractaverit, quis
„ dicendo conſequatur? Et veteri Scripturæ novam
„ conciliavit, &, quemadmodum figuræ, & um-
„ bræ legis ad evangelicam perfectionem, verita-
„ temque tranſierint, completæque fuerint, omni-
„ bus patefecit, tam ingenioſe, ac dextre, ſapien-
„ terque, tanta perſuaſionis vi, adeo perſpicue, &
„ quantum dici non poteſt, dulciter, & modo tam
„ mirifico, ut & hinc potius Eccleſia Chriſti vene-
„ randa myſteria non ſolum ſublimiter videre, ac
„ intueri, ſed multo etiam ſublimius pati; ac ſen-
„ tire, & percipere, & ad illam œconomiam, ſa-
„ lutemque evehi, pulcherrimaque, & altiſſima
„ mutatione immutari queat. Quare iiſdem pene
„ laudibus, quibus Patres doctiſſimi & Martyres,
„ condecoratus eſt, qui ſcilicet propter eximia li-

bro-

„ brorum monumenta, quæ reliquerunt, non mi-
„ nus, quam propter ſacras actiones, & apoſtoli-
„ cam vitæ rationem, certaminaque ab Eccleſia de-
„ cantati, & honorati ſunt. „

Horum ut antiquiorum criſi nunc expoſita, ceteris quoque, & poſterioribus aurem commodemus.

Eraſmus *Epiſt.* ſupra dicta: *In Gregorio*, inquit, *Nazianzeno pietas propemodum ex æquo certat cum facundia: ſed amat ſignificantes argutias, quas eo difficilius eſt latine reddere, quod pleræque ſunt in verbis ſitæ. Tota vero phraſis nonnihil accedit ad ſtructuram Iſocraticam. Adde, quod de rebus divinis, quæ vix ullis verbis humanis explicari poſſunt, libenter, ac frequenter philoſophatur.* Et *infra: Non diſſimilis eſt* (ſi cum noſtro aliquo conferre velis) *Gregorius Ambroſio, qui ſi græce ſcripſiſſet, plurimum negotii fuiſſet exhibiturus Interpreti . . . Me avertendo Gregorio ſemper deterruit dictionis argutia, & rerum ſublimitas, & alluſiones ſubobſcuræ.*

Joannes Chriſtophorſonus Epiſcopus Ciceſtrenſis *Præfat. ad Hiſtoricos Eccleſiaſticos græcos:* „ Quid
„ Gregorium Nazianzenum hoc loco commemo-
„ rem? Quis aliquando pungit acutius? quis oratio-
„ nem arctius colligat? quem in oratione ſoluta
„ Thucydidis imitatorem, in Carmine Homeri
„ æmulum rectiſſime dixeris. Nam in oratione
„ brevis, & compreſſus eſt. Verborum numerum
„ (ſic Tullius de Thucydide) ſententiarum numero
„ conſequitur. Non vagum in eo orationis genus,
„ ſed conſtrictum numeris: non longius excurrens,
„ ſed brevi circuitu definitum apparet. Carmen
„ plenum, & grande fundit, ſententiis Chriſti lo-
„ cuples, verbis Homeri diſertum. Quare ſive
„ ſolutum orationis genus, & liberum, ſive ut
„ poëtarum mos eſt, numeris paulo adſtrictius ſe-

„ qui-

„ quitur, ſemper magnus, ſemper in dicendo ex-
„ cellens videtur. „

Jacobus Billius *Præfat. ad Lectorem.* „ Haud
„ ſcio, an quisquam ſit tanta dicendi facultate, ac
„ verborum copia præditus, qui tam uberes, &
„ profuſas eloquentiæ opes ita e Græcia in Latium
„ aſportare poſſit, ut non multum illis gratiæ, pre-
„ tiique ex hujusmodi transvectione decedat, co-
„ gaturque tandem hoc Homeri verſu uti :

δυςήνων δέ τε παῖδες ἐῷ μένει ἀντίοωσι.

„ Nam cum nulla lingua tam inops atque jejuna
„ ſit, quin permultas voces habeat, quæ in aliam
„ linguam ſine moleſto verborum circuitu, atque
„ elegantiæ diſpendio transferri nequeant: quid hic
„ cum eo auctore interpres faciet, qui in copioſiſſi-
„ ma, ac ſine dubio omnium locupletiſſima lingua
„ verborum argutias undecunque captat: ut quot
„ ejusmodi voces orationi aſperſerit, tot pene cru-
„ ces interpreti fixiſſe videatur ? Quid de prolixis
„ illis periodis dicam, quæ ut græco ſermoni ob
„ connectendi facilitatem non parum gratiæ, atque
„ ornamenti afferunt : ita cum latine efferuntur,
„ nimium diu ſuſpenſum lectoris animum tenent,
„ nec ſine quodam faſtidio transmittuntur. Jam
„ vero breviſſimæ illæ alluſiones, quæ toto opere
„ undique ſparſæ ſunt, quam attentum, ac dili-
„ gentem, quam non modo multæ lectionis, ſed
„ etiam felicis cujusdam memoriæ interpretem re-
„ quirunt: utpote quæ vel ignoratæ, vel neglectim
„ transcurſæ, tantas nonnunquam interpreti tene-
„ bras offundunt, ut Pſittaci more, quid loquatur,
„ neſciat, atque ut Jobi verbis utar ἄλλοις νήχηται
„ λόγοις, ſeque velut in alieno cœlo eſſe arbitre-
„ tur? Ex quo ſatis apparet, quibus præſidiis in-
„ ſtructum eum eſſe oporteat, qui in hujusmodi
„ ſcriptis transferendis ſpecimen ſui præbere cu-
„ pit. Huc accedit, quod peculiarem quamdam
„ phra-

„ phraſim habet Gregorius, diſertiſſimam quidem „ illam, atque in primis eruditam: ſed quæ vel „ perſpicaciſſimos interpretis oculos ſæpenumero „ perſtringat, ut niſi ſummam curam, animadver- „ ſionemque adhibuerit, quemadmodum Ixion ille „ pro adamata Junone nubem, ſic ipſe pro vera au- „ ctoris ſententia non niſi levem quamdam, & in- „ anem verborum umbram amplectatur. Ut enim „ Dædali ſtatuas, niſi firmiſſimis vinculis adſtrin- „ gerentur, fugam corripere ſolitas eſſe ſcribit Pla- „ to: ita germanus Theologi ſenſus, niſi arctiſſima „ attentione, ac diligentia vinciatur, interpreti „ quaſi de manibus elabitur. „ Denique, quo eſt candore, & temperantia admirabili, ita concludit. *Ingenue enim, & ſine ullo verborum fuco fateor, tantum inter græcum Nazianzenum, & noſtram verſionem intereſſe, ut ſi res in contentionem veniat, non magis hæc ad illius ſplendorem, quam noctua ad meridianos ſolis radios conſiſtere poſſit* *.

Cardinalis Federicus Borromæus *Libro V. de Sacris Oratorib.* „ Florente Baſilio, inquit, meruit „ oratoris nomen alius, qui ſocietate ſtudiorum, „ & amicitiæ vinculo mirifice cum eo conjunctus „ fuit. Is omnia, quæ ſcriberet, exigebat ad no- „ minis illius officium, & normam, nec excidere „ ſibi quidquam patiebatur, quod non eſſet dignum „ oratore perfecto. Debuit in ſcribendo maxime „ accuratus eſſe, & quantum conjectura licet aſſe- „ qui, lentus etiam, paucisque verſiculis una ſcri- „ ptione contentus: planeque nullus e noſtris ma- „ jora ſigna præbuit diligentiæ, magisque viſus eſt „ examinare ſingula verba ſuis momentis, tædium- „ que lucernæ ferre libentius Gregorio Nazianzeno. „ Nihil reperias in tota librorum ejus varietate, „ quod

* **Eandem vertendi Gregorii difficultatem jam ante Birckeimerus conqueſtus eſt.**

„ quod temere, ac fortuito, & ſine magna ratione
„ eſſe poſitum videatur, nec unquam illius oratio
„ fertur inanis, & caſſa, contra quam inſuevere
„ multi, quorum verba ſunt deſtituta ſpiritu, &
„ ſenſu, neque ſubjectam ullam omnino ſententiam
„ habent. Hujus oratio, cum ſit plena rerum, &
„ artis, & ſucci, ſiſtit, atque moratur ſæpe legen-
„ tes, haud ſine faſtidio, licet poſtea faſtidium
„ iſtud ſecum ferat ſolatium, & voluptatem. Ora-
„ tionum principia ſunt ornata, mirifica, multum-
„ que ſpiritus, & vigoris habent. Digreditur ju-
„ ſto longius interdum, eſtque in parentheſi mul-
„ tis locis interponenda fortaſſe nimius *. Utitur
„ inductione libenter, optimeque omnium eloquen-
„ tiæ potuit artem ad noſtræ fidei myſteria transfer-
„ re. Viſus eſt imprimis eo genere delectari, quod
„ varios divinarum Literarum locos attingeret inter
„ dicendum; idque fecit ſumma venuſtate, & arte,
„ qua etiam utitur ſemetipſe revocando, poſtquam
„ aliquid exciderit. Summopere placuit item ei
„ argumentari e magnis minora, & e minoribus
„ magna viciſſim. Elucet in ſanctiſſimi Gregorii
„ monumentis incredibilis quædam humanarum
„ rerum ſcientia, profanorumque teſtimoniis utitur
„ adeo prudenter, & circumſpecte, tantaque diſſi-
„ mulatione, ut nemo fuerit adhuc, meo quidem
„ judicio, qui parem in eo locorum uſu laudem
„ mereretur. Non ille gentilitati pondus, & au-
„ ctoritatem addit extollendo, ſicut plerique ſo-
„ lent,

* Eminentiſſimus Auctor ſuſpicionem legentibus movet, quod Nazianzenum latinum potius legerit, quam græcum. Supra enim ex Billio audivimus, quid de prolixis ejus periodis ſentiendum. Sed & Plinius monet, ſuo tempore id Græcis familiare admodum extitiſſe, uti extento ſpiritu procurrerent longius, & immenſam verborum ſylvam ſtruerent uno ambitu.

„ lent, eorum dicta: ſed oblique carpit, ac nihilo-
„ minus inde petit tela, quæ torqueat in ipſos.
„ Hæc ego non arbitror aliunde proficiſci, quam
„ ex earum literarum uſu, quæ ab humanitate no-
„ men accepere. „

Præter hos auctores, alii quoque ſunt, nec pauci illi, qui brevius eundem Gregorii characterem complectuntur: ex quibus aliquos ſaltem adduxiſſe haud pœnitebit.

Hieronymus Platus *Libro III. de bon. Stat. Relig. cap.* 11. *Profundior ubique Nazianzenus, atque in altiſſima myſteria ſeſe ultro inferens cum magno verborum, ac rerum pondere.*

Daniel Heinſius *Orat. III,* Gregorium vocat *delicias ſuas, in quo ſingularem gravitatem, & ſplendorem admirari ſatis non poſſit.*

Nicolaus Cauſſinus *Libro V. de eloquent. ſacr. & hum. cap.* 36. cum fuſum ejus locum tranſcripſiſſet, *mirum* vocat *in græcis verborum delectum, & gravitatem: amplificationes autem ejus eſſe magis ad* δείνωσιν, *ſeu vehementiam, & majeſtatem, quam ad* χύσιν *verborum compoſitas,* Et *Libro XV. ante med.* Nazianzenum, uti Baſilium, & Chryſoſtomum, *ſupra omnem ingenii aleam eloquentem virum, conſummatæ in humanioribus literis peritiæ, grandem, copioſum, ſuavem, altum ſenſibus, ſtylo uberem, omnibus orationis divitiis ad miraculum usque refertum* dicit. *Quorum Gregorius*, addit, *multus in nervis, & ſententiis, aureæ mentis fœtum limatæ elocutionis ſtructura conſtringit.* Sed *Libro III. cap.* 14. omnino imitari velle videtur Gregorium in Gregorio deſcribendo. *Qualis*, exclamat, *& quantus Gregorius ille Nazianzenus, cum cœleſtis ingenii pennis ſubnixus in arcana Theologiæ myſteria penetrat, & quaſi Deus fulminans tonat e machina! Quam acer, quam velox, quam gravis, & ubique ſui ſimilis; ubi apoſtatam Cæſarem æterno mactat ſupplicio!*

Dio-

Dionyſius Petavius *Tom. I. Theolog. Dogm. Libr.* 2. *cap.* 6. §. 3. characterem ſermonis, quo ſcripta Nazianzeni diſcerni debeant, *eſſe elegantiam* ait, & *granditatem.*

Natalis Argonenſis *de optim. meth. legend. PP. Eccl. Gregorius*, ait, *Nazianzenus, cum ſummo polleat præſtantiſſimoque ingenio, in exponendis Fidei myſteriis dicendi veneres, atque lepores unacum argumenti firmitate, & excellentia aptiſſime conjungit.*

Abbas Ladvocat in *Lexic. hiſt. portat. Opera ejus*, inquit, *ſcripta ſunt eloquenter. Verba pura, phraſes nobiles, figuræ variæ, comparationes ad rem factæ, ratiocinia ſolida ſunt. Sublimiſſimus autem, & accuratiſſimus eſt Gregorius in myſteriis explicandis, id quod illi nomen Theologi per excellentiam comparavit.*

Hactenus de charactere Gregoriano. Cujus ſublimitate, non neſcio, præcipites quosdam haud parum offendi poſſe. Quid igitur cauſæ eſt, cur ita aſſurgeret, inquiunt, cur non demiſit ſe, & pluſculum populo dedit? Reſpondet Carolus Regius *Libro IV. Oratoris chriſtiani cap.* 8. id ea de cauſa feciſſe Gregorium, ut Juliani apoſtatæ conſilia everteret, id unice ſpectantis, ut chriſtianos literis interdiceret. Sed ut verum fatear, ſuam mihi ſententiam nunquam perſuadebit. Cothurno enim ſuo Gregorius jam ante eam Juliani legem aſſueverat; ſed & poſtea, quam abrogata illa erat, non dimiſit; quod palam eſt. In eo facilius Regio aſſenſerim, quod ibidem addidit, non ineleganter: *Poëticam Nazianzeni vim, quam in ſoluta quoque oratione retineret, adeo abeſſe a levitate, tantam & majeſtatem & ſanctitatem præſeferre, ut non poëticum tumorem, ſed ardorem propheticum, & afflatum pene divinum ſpiret.* Quibus ego verbis Eraſmum convenio, quando *Præfat. in Baſilium* de Gregorio ſic ait: *Argutiarum & externæ ſapientiæ affe-*

ſtatio, dictionisque ſtructura ab Iſocratis exemplo non abhorrens, nonnihil reſipiunt Scholam Rhetoricam. Equidem plenus eſt artificii, ſed quod virum hunc deceat quam maxime, & in naturam adeo ejus immigraſſe videatur. Sed ut hæc omnia ita ſint, rationem proximam, & interiorem, cur Gregorius altior ceteris incedat, necdum audivimus. Hæc vero iſta mihi videtur, haud gravate ex ſupra dictis eruenda; quod ſic ferret cum genius hominis, & mens excelſa, tum conditio materiæ, in qua verſari ut plurimum ille ſolebat. Morales enim Gregorii Conciones, quas eſſe innumeras oportuit, interciderunt; neque licet dubitare, quod dejiceret ſtylum, quoties promiſcue ad populum dicebat. Nam pauculæ, quæ ſuperſunt, hujus generis, & ipſæ quidem elaboratæ, at multo ſunt ceteris faciliores. Exemplum promamus ex prima ſtatim earum Orationum, quæ mores habent; ubi præſente Juliano tributorum exæquatore diuturnum ſuum ſilentium defendit, atque ex occaſione feſti Martyrum, & Natalis Domini admonet omnes, uti contemptis rebus fluxis, & caducis ad æterna aliquando ſtudium, animosque convertant. In hac, quæ haud dubie una ex ingenioſiſſimis eſt, inter alia hæc habet.

„ Videte, quid ſilentium noſtrum effecerit: ma-
„ jus in vobis ſermonum ipſorum deſiderium exci-
„ tavit. Videte, quem fructum mei nominis obſcu-
„ ritas pepererit, gloriæque contemptio. Utinam
„ quantum utilitatis ſilentium attulit, tantum ſer-
„ mones ipſi afferant. Quoniam igitur placet, at-
„ que invictum, ut ipſe quidem ſibi videbatur, vi-
„ ciſtis, ac de noſtra philoſophia trophæum ſtatui-
„ ſtis: age aliquid ad vos dicam ſilentio melius, ac
„ præſtabilius. Nihil itaque molle, ac remiſſum,
„ nihil numeroſa concinnitate multitudini jucun-
„ dum eloquar (malam quippe gratiam mei amanti-
„ bus

„ bus rependerem, hoc orationis genere utens)
„ verum admodum robuſta, & acri, & vehementi
„ dicendi ratione utar, & qua ipſi fortaſſe meliores
„ efficiemini, nimirum a carne ad ſpiritum translati,
„ animiſque in altum ſubvecti. *Filii hominum uſ-*
„ *quequo gravi corde* (initium enim a Davide ducam,
„ propheta in dicendo maxime ſublimi) *ut quid di-*
„ *ligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* hanc
„ ſcilicet vitam & delicias, & exiguam gloriolam,
„ & humilem potentiam, & falſam proſperitatem,
„ magnum aliquid & amplum eſſe exiſtimantes:
„ quæ quidem hanc rationem habent, ut non magis
„ eorum ſint, a quibus obtinentur, quam eorum,
„ qui habituros ſe ſperaverunt, neque horum rur-
„ ſus magis, quam illorum, apud quos ne in ex-
„ pectatione quidem unquam fuerunt: verum ut
„ pulvis a turbine, ſic ea ab aliis ad alios ſubinde
„ ventilentur, atque jactentur, & ſicut fumus dila-
„ bantur, & tanquam inſomnium homines delu-
„ dant, umbræque inſtar manibus teneri nequeant,
„ ac denique ita comparatæ ſint, ut nec, cum ab-
„ ſunt, de iis conſequendis deſperent, qui non ha-
„ bent; nec cum adſunt habentibus, fida, & certa
„ ſint. Non in cœlum ſuſpiciemus? non exper-
„ giſcemur? non lemas ex oculis detrahemus?
„ non, quænam veræ divitiæ ſunt, intelligemus?
„ qui verus ſplendor? ubi dignitas mutationis ex-
„ pers? quæ finem neſciens beatitudo? ubi bonum
„ illud nec fluctuans, nec alio migrans, nec inſidiis
„ obnoxium. Non hæc multis laboribus, ſudori-
„ buſque, ſi ita contingat, adipiſcemur? non, ſi
„ quid deliciis in hac vita dandum eſt, rerum fu-
„ turarum ſpes pro deliciis habebimus? Non anim-
„ advertemus, cum omnes Sanctos Martyres, qui
„ velut communes quidam nodi univerſum terra-
„ rum orbem complexi ſunt, tum hos etiam, quo-
„ rum nomine feſtum hunc diem agitamus? quam

 „ ob

„ ob cauſam vulnera, vincula, cruciatus, ignis „ minas, gladiorum aciem, belluarum furorem, „ tenebras, famem, voragines, pecuniarum direptiones, membrorum abjectiones, mortem denique, atque extrema omnia prompto, & alacri animo. tanquam in alienis corporibus dimicantes ſuſtinuerunt? ut, quid eſſent, ut, quid conſequerentur, omnibus utique in proſpectu eſſet, vel nobis tacentibus? Non igitur nos etiam cum eadem ſpe, ſub eodem certaminis deſignatore, atque arbitro, adverſus eundem Tyrannum aciem inſtruemus, truculentum, inquam, illum & tunc & nunc etiam animarum perſecutorem, inviſibilem hoſtem, & adverſarium? Non pari virtute in hoc mundo, quaſi in communi Theatro certabimus, ſi non periculi acie, & qua protinus defungi liceat: at in quotidianis ſaltem dimicationibus, ac palæſtris; ut easdem coronas, aut his proximas conſequamur? Equidem omnes tam viros, quam fœminas, tam ſenes, quam juvenes, tam urbanos, quam ruſticos, tam privatos, quam principes, tam divites, quam pauperes hortor (idem enim certamen omnibus propoſitum eſt) ut ad pugnam cum hoc hoſte conſerendam impigre ſe accingant, ac non ignavia laborent, aut moras nectant, atque occaſionem, quam nulla poſtea ratione nanciſci liceat, abjiciant. Laboris enim præſens hoc tempus eſt, futurum præmiorum. Audiſtis Servatorem dicentem: Surgite, abeamus hinc: quibus verbis non ſolum diſcipulos, quos tunc habebat, a Judeæ loco abducebat, ſed etiam omnes, qui poſtea ipſius diſcipuli futuri erant, hinc abſtrahebat, & ad ſeipſum in altum evectum, quemadmodum ſe facturum receperat, pertrahebat. Quocirca bonum Dominum ſequamur, terrenas cupiditates fugiamus, impoſtorem mundum, & mundi principem:

„ Crea-

„ Creatori nos totos addicamus, imaginem honore „ complectamur, vocationem noſtram vereamur, „ vitam in melius commutemus. „ Hæc, & ejus generis plura tam in hac, quam in ceteris ejusmodi ſermonibus reperire eſt. Quæ vero hic argutiarum, & externæ ſapientiæ affectatio? quid nonnihil reſipit Scholam Rhetoricam? an non omnia quam ſublimia, ſplendidaque, tam efficacia, perſpicua, atque in medio poſita? præſertim quod ille ſoleret perpetuo e re nata loqui, ſermonesque omnes tempori, loco, hominibus ipſis accomodare; id quod mirum quantum facit ad evidentiam, & perſpicuitatem *.

Quamquam & illud hic retractandum eſt, quod ſupra ex Borromæo gravate admodum audivimus; videlicet multum olei in ſermonibus Nazianzeni abſumptum. Tantus enim orator, atque a puero exercitatus in ſcribendo præferebat magis, quam adhibe-

* Percurrat lector obiter cum cetera Gregorii ſcripta, tum maxime orationes ejus: ubique videbit, *adjunctis rerum* mirabili artificio uſum, & jam exordia, jam ſimilia, jam cohortationes, & perorationes inde petiſſe. Quod vero popularitatem ipſius ſtyli attinet, volvat *orationem in novam Dominicam*, & *ſermonem in dictum Evangelii:* Cum conſummaſſet Jeſus hos ſermones. De illa ait Billius in *argumento*: *Hanc autem orationem in urbe quidem Nazianzena ſcripſit Gregorius, verum in S. Martyris Mamantis templo urbi vicino pronuntiavit: in quo & tunc & in hunc usque diem Dominica a Paſchate proxima mira incolarum frequentia conventus celebrantur. Atque hac de cauſa hæc oratio, ut ad promiſcuam, plebejamque multitudinem habita, magis ad perſpicuitatem, & facilitatem attemperata eſt* &c. Ad hunc vero monet: *Hanc unam Gregorii homiliam habemus, in qua concionatorio dicendi genere Evangelicum textum exponat. Utinam plura eodem argumento nobis ingenii ſui monumenta reliquiſſet: vel potius utinam ad nos perveniſſent. Nec enim veriſimile eſt, eum ex tot, tantisque ad populum ſermonibus hanc unam literis mandaſſe.*

hibebat eam anxiam diligentiam, quodque aliis ingenti labore ſtetiſſet, facile ipſi, & expeditum, ac quaſi ludus quidam erat. Nempe uti Baſilio incredibilis quædam cura loquendi tribuitur, etſi conſtet, quam minimam geſſiſſe; quia quamvis ornatum omnem aſpernaretur, tamen ipſa conſuetudine cogebatur eſſe eloquens *: ita & Gregorio accidit, ut qui & ipſe cothurnum ſuum longo uſu, & exercitatione perpetua familiarem jam haberet, artemque in naturam quodammodo vertiſſet.

CAPUT III.

Quasdam Scriptionum Gregorii præ ceteris facere ad facundiam parandam.

Tria ſunt genera ſcriptionum, quæ Gregorius reliquit. Primum genus ſunt *orationes diverſi generis*, ſecundum *Epiſtolæ*, tertium *Carmina.* Inter ſingula delectum faciemus.

Et quidem inter orationes per ipſam *generis*, in quo verſantur, diverſitatem ſat difficile fuerit, principem alicui locum aſſignare. Quare ex ipſo argumento nova diſtinctio facienda, & primo *panegyrici*, dein *morales*, denique *apologetici*, *& dogmatici* Sermones examinandi.

Inter *panegyres* haud dubie illa eminet, quam achati ſuo Baſilio ad ſepulcrum dixit. Cave de *Scriptorib. Eccleſ.* verbo *Baſilius* ita habet de Gregorio, ſermonem eum pronuntiante: *Viri optimi, & amici integerrimi memoriam diſertiſſima oratione æternitati conſecravit. Nam & hic ſupremus felicitati ejus cumulus acceſſit, laudator eloquentiſſimus*, ut Plinii junioris verba huc traham *Libro II. Epiſt.* 1. Magis etiam laudationem iſtam Billius commendavit. Ait enim in *argumento: Illuſtris eſt hæc oratio, & princeps inter eas,*

* Vide priorem Diſſertat. de S. Baſilio cap. 1.

eas, quæ in demonſtrativo genere verſantur: in qua, tanquam optimi artifices in pulcherrima materia, omnes ingenii & induſtriæ vires effudiſſe videtur Theologus, perſpicuumque omnibus facere voluiſſe, quantas ſecum opes ex Ægypto ad terram ſanctam deportaſſet. Adeo luculentum hic eloquentiæ ſpecimen edit, adeo ſcite, & feliciter externæ diſciplinæ inſtrumenta pio inſtituto ſervire cogit. Baronius ad *ann.* 378. *num. VI. Luculentam illam orationem funebrem* dicit, *dignum plane, atque nobile monumentum, vivæ inſtar ſtatuæ, in qua cum Baſilii egregia relucet imago, tum Gregorii excellens exprimitur artificium, utrumque ubique perſpicuum, & immortale.* Philippus Brietius *Sæculo IV. cap.* 8. ait: *In ejus* (Basilii) *laudibus recenſendis omnes eloquentiæ vires inſumpſit, adeo, ut dubitari queat, an melius Baſilius vixerit, an de eo melius dixerit Nazianzenus.* Breviſſime Theophilus Raynaudus: *Tom. VIII. In titulis cult. SS. Special. punct.* 5. *Tota oratio eſt encomium abſolutiſſimum præcellentis hujus Doctoris.* Ex quibus patet, quid Eraſmo faciendum ſit, quando *Præfat. in Baſilium* huic ipſi Monodiæ & Fabulas e Poëtis adſcitas, & collationem duriuſculam cum veteris teſtamenti heroibus objicit *.

Inter *Morales* maxime laudatur illa *de pauperum amore.* Laurentius a Villavincentio *Libr. III. de rat. ſtud. Theol. cap.* 4. (eandem iterum celebrat *cap.* 7. *ibid.*) *Gregorius,* inquit, *Nazianzenus quosdam locos communes egregie explanavit, in quibus excellit ille de cura pauperum.* Billius in *argumento* eandem *patheticam* appellat. Ludovicus Creſollius in *Theatro Rhetor. cap.* 9. cum dixiſſet, Patres quoque nonnulla ſtudio elegiſſe, quæ declamationum inſtar elabora-

 rent,

* Ceterarum Panegyrum laudes vide in *Martyrol. Romano,* & *Notationib.* ad illud: item apud eos, qui de laudatorum ibi hominum vita ſcribunt.

rent; *Tales meo judicio*, ſubdit; *fuerunt utriusque Gregorii, Nazianzeni, & Nyſſeni Orationes* de pauperum inopia ſublevanda, *in quibus amplificationes, deſcriptiones, hypotypoſes elegantiſſimæ, & divino quodam artificio politæ viſuntur.* Sed & illam *de plaga grandinis*, & tres *de pace* a quamplurimis celebrari video. Cardinali Aug. Valerio *Libro III. de Rhetor. Eccl. cap.* 41. maximo in pretio ſunt illæ *de amore erga pauperes*, & *de plaga grandinis.* Ego inter has maxime ſoleo tertiam *de pace* commendare, ad quam recte Billius: *Omnibus eloquentiæ viribus contentionis turpitudinem inſectatur* (Gregorius) *oſtenditque, quam indignum, atque a fidei chriſtianæ profeſſione alienum ſit ſimultates, & factiones exercere. Oratio hæc vehemens eſt, & concitata, atque ut in tali argumento, miris amplificationibus exornata, & affectibus ardens.*

Oratio quoque *in Sanctum Baptisma* inſignis eſt: & quoniam in illos parata, qui pro temporis ejus ratione Sacramentum hoc ſumme neceſſarium differebant, nobis hac tempeſtate haud parum contra iſtos fervit, qui alteram noxarum purgationem, pœnitentiam videlicet, identidem procraſtinant.

Inter *Apologeticas*, ceterasque ſimiles illam ego prætulerim, quam ad cives ſuos Nazianzenos gravi timore perculſos, & Principem ab iis offenſum, luculentiſſimam habuit. Magnopere eam extollit Billius, atque oratoribus commendat. *Inſignis autem*, ait, *eſt hic locus movendæ clementiæ, diligenterque legendus, ac memoriæ mandandus. Accidit enim ſæpenumero, ut idem argumentum tractare neceſſe habeamus. Porro illud te etiam obiter admonendum eſſe duxi, quisquis es rei Theologicæ ſtudioſus, ut ſedulo animadvertas, qua arte, & copia citatos orationis principio quosdam Scripturæ locos amplificet, luculentum certe operæ pretium facturus, ſi eam dilatandi rationem tibi imitandam propoſueris.* Baronius *cap.* 17. *vitæ, nobiliſſimam illam orationem* appellat.

Nec

Nec minus præclara eſt illa *ad Arianos*, *& de ſe ipſo*: item *ad CL. Epiſcopos*, quam Baronius *vitæ cap.* 16. *ornatiſſimam* vocat, *& ſane hujusmodi, quæ ſiccis oculis legi non poſſit, dignam quidem, quam hic integram intexeret, niſi brevitati conſuleret.* Denique alia, quæ inſcribitur *de ſe ipſo*, *& ad eos*, *qui ipſum cathedram Conſtantinopolitanam affectare dicebant &c.* ubi mirificus, & toties dilaudatus eſt locus, nihil curandum eſſe, quid homines dicant, vel cogitent de nobis.

Inter pugnaces, increpatorias, ac invectivas palmam reliquis præripiunt duæ in Julianum, quarum utraque admirabiles habet locos, neque unquam laudandos ſatis. *Stylus*, ut monet Billius, *altiſſime ſe effert*, *atque ut in illa ætate (nam aliquot annis antequam ad epiſcopatum provectus eſſet, conſcripſiſſe videtur) acer in primis*, *& vehemens*, καὶ πυρὸς μένος πνέων. Ibidem, uti rurſus monet, *omni eloquentiæ impetu in Ethnicismum fertur*, *illiusque fæditatem detegit*, *omnibusque deridendam proponit.* Sed & ea, quæ de funere Juliani habet, laudem ſane maximam merentur. In aliis orationibus, maxime contra Arianos, & ceteras ejus temporis peſtes graviſſimis etiam verbis invehitur, ut in illa, quæ eſt in laudem Heronis, ubi de Heliodoro, Lucio &c. atque in duabus aliis, ubi temeritatem de divinis rebus diſceptantium coarguit *: quarum priorem Caſaubonus *Præfat. in EpiſtolamNyſſeni*, *graviſſimum* vocat, *& vere gemmeum libellum.*

Inter *dogmaticas*, & quotquot de myſteriis agunt, longe eminent quinque illæ orationes de Theologia, omnium ſermonibus, atque encomiis celebratæ. Cardinalis Baronius in *vita cap.* 10. ſic de illis ait: „ Extat

* Scilicet de *moderatione in diſputat. ſervand.* ac *de dogmate*, *& ſtatu Epiſcoporum.* Porro *primæ duæ de Theologia* idem fere pertractant magnam partem.

„ Extat adhuc appenſus in Eccleſia, *pallio involutus* „ *poſt Ephod* gladius ille, quo noſter coryphæus „ manu fortis Philiſtinorum turmas in fugam vertit. „ Extant, inquam, ſublimes orationes illæ Grego- „ rii, pretioſiſſima Dei eccleſiæ ſuppellectilia, qui- „ bus prædictas hæreſes oppugnavit; inter quas illæ „ celebriores habentur, quæ de Theologia ſunt in- „ ſcriptæ, quibus, ſicut quinque myſticis lapidibus „ limpidiſſimis ille armatus David, parta victoria „ meruit fauſta acclamatione decem millia ſibi dari: „ ita ipſe proſtrato hoſte catholicæ fidei nomen ſibi „ Theologi comparavit, quod licet commune ſit „ multis, ipſi tamen præcipue debitum, Dei Eccle- „ ſia velut quoddam triumphale nomen, atque egre- „ gium ornamentum peculiariter tribuere ei con- „ ſuevit. „ Nulla autem harum facundior ſecunda, quæ mirifice afficit legentes. De hac M. Muſurus, cum *anno* 1516. ſedecim Gregorii orationes *Aldinis typis* græce ederet, in *Nuncupatoria* ſic ſcribit: „ In- „ ter has primæ proximam equidem legendo ſatiari „ non poſſum; tanta in ea eſt rerum ſcitu pulcherri- „ marum, ad quas ſtudioſi cognoſcendas invitantur, „ varietas. Quoties eam præ manibus habeo, non „ me hercle orationem abſolutiſſimam lectitare, ſed „ prati planitiem verſicoloribus floribus vernantem „ aſpicere videor. Principio illa me cernendi divi- „ ni vultus in ſpem maximam adducens, in vertice „ montis Sinaitici ſiſtit, alacri pede juga ſuperan- „ tem. Deinde præſtringente meos oculos inacceſ- „ ſæ lucis fulgentiſſimo ſplendore, commonet, & „ hortatur, ut imiter ſyderum ſpeculatores, qui „ ſolis jubar inſpecturi, non firma nec minime con- „ niventi obtutus acie contra diſci jubar ſtare audent „ ritu generoſarum aquilarum, ſed in pelvi tremu- „ lis aquis redundanti, radiisque ſolaribus expoſita, „ phœbeæ lampadis imaginem e refracta luminis „ alternatione conformatam aſpiciunt; nam divinæ

„ ſub-

„ ſubſtantiæ penitiſſimam & intimam ſcientiam, „ ipſi Trinitati duntaxat innoteſcere, imbelli vero „ mortalitati ſatis eſſe, ſi conſiderandis iis, quæ „ producta ſunt, providentiam, bonitatem, æter- „ nitatem Creatoris admiretur. „ Quæ vero præcipue his in orationibus commendantur, ſunt ordo, ſoliditas, brevitas cum admirabili delectu, claritate, elegantiaque conjuncta, quæ in ejusmodi argumento, cum ſingula magnam laudem habeant, ſimul omnia maximam, & ſummam merentur.

De *Epiſtolis* Nazianzeni illud univerſe dicendum, ſapientia, & elegantia ex æquo refertas eſſe. Breviter eas Photius *epiſt. cit.* ſic laudavit, ut ibi præcipue *inter omnes præcipuum pulchritudinis artificem Gregorium* ſignificaret.

Joannes Cono *Epiſt. ad Rhenan.* non ſemel laudata, de Gregorio Theologo loquens: *Quo*, ſubjicit, *nihil in epiſtolis elegantius*, *aut eruditius vidi.* Hujus Diſcipulus Beatus Rhenanus ad *Jodocum Clichtoveum* eas *attica venuſtate præcellere* aſſerit. Fuſius easdem laudat, & ſtudioſis humaniorum literarum commendat Antonius Poſſevinus *ad calcem Bibliothecæ.* Et forte huic ejus præconio tribuendum eſt, quod hunc in uſum ſæpe prælo ſubjectæ ſint a noſtris, atque in Germaniæ ſcholis pluribus annis explicatæ. Quare neſcio, quid Combefiſio acciderit, quidque ſe ipſum adeo offenderit in Bibliotheca ſua Concionatoria, ut pag. 250. has ipſas epiſtolas tumidi, elati, tragicique ſtyli accuſaret. Sublimes ſunt, ut Gregorii omnia, Laconicæ ſunt, ſed citra vitium impactum, quod usque ad eum Criticum nemo hactenus notaverat. S. Baſilius *Epiſt.* 19. *alias* 3. nihil in iis præter brevitatem, & ſolennem Laconiſmum accuſat, quod ipſum pretium earum accendere debet; neque enim alia mente id fecit, quam quod quam longiſſimas optaret eſſe; ut haberet, quo diutius animum recrearet. Sic autem ait: *Literæ vene-*

runt

runt mihi non ita pridem a te, plane tuæ, non tam indiciis manus, quam propriis epiſtolæ notis. Pauca enim erant verba, ſententiam uberem exhibentia. . . . Omnino autem nullus labor eſt epiſtolæ Laconicæ, quales ſunt, quæ a te ſubinde ad nos perveniunt. Porro inter ceteras Nazianzeni epiſtolas 104. eſt *de epiſtolis*, ſeu quæ rationem doceat literarum ſcribendarum: atque hæc jam *anno* 1608. *Vitembergæ* edita eſt cum commentario Ad. Theodor. Siberi, quem non vidimus. Laudavit eam nuper Walchius in *Hiſtor. Critic. Linguæ lat. cap.* 15. & nuperrime Gellertus *de ratione Epiſtolæ conſcribendæ.*

Carmina Nazianzeni & ipſa elegantiſſimi ingenii partus ſunt, & quia ubique mores habent, ac ſaluberrimis documentis plena ſunt, plurimum ſane conducere ſacris oratoribus poſſunt. Philotheus Patriarcha *loc. dat.* „ In Poëſi autem, ait, & verſibus, varioque metrorum genere, quæ de compluribus argumentis, & pleraque ad communem chriſtianam inſtitutionem diverſe compoſuit: in poëticæ demum orationis, & diſciplinæ exercitatione quis græcorum poëtarum ei ſe oppoſuerit, nec illi in his artis perfectionem, facultatemque conceſſerit? De quibus etiam non nemo noſtrorum ſapientum in ejus laudatione non citra ſtuporem dixit: tantum in iſtis & facultate, & doctrina, & artificio valuiſſe, ut etiamſi aliorum literarum rudis fuiſſet, nec ad tantum in illis faſtigium, præſtantiamque perveniſſet, in carminibus iſtis, & poëtica ſola prædicari ubique, & apud omnes eruditos pro magno, & ſingulari viro haberi potuiſſe. „ Eadem Carmina Petrus Ribadeneira in *Vit. SS. IX. Maji, adeo exquiſita verborum elegantia, & ſententiarum gravitate inſtructa* dicit, *ut lectoribus omnibus moveant admirationem.* Verum nemo magis Nazianzeni carmina extulit, quam David Chytræus Melanchtonis diſcipulus, *de ſtudio Theologiæ recte inchoan-*

inchoando, ubi ita ait: *Poëmata eruditiſſima & dulciſſima reliquit, quæ ab omnibus ſapientiæ, & eloquentiæ græcæ ſtudioſis ſumma cum voluptate legentur.* Neque hoc contentus, in *Regulis ſtudiorum*, ubi de poëtarum lectione, adeo in iis *eloquentiam*, & *vim movendi*, *ſelectum* item *verborum*, *graviſſimas*, *ſapientiſſimasque*, & *nectare*, *ac melle dulciores ſententias*: adeo *narrationes quasdam ſplendidiſſimas*, & *dulciſſimas hypotypoſes*, & *efficaces illas ad pœnitentiam*, & *veram pietatem adhortationes* celebrat, ut denique affirmet, non immerito venam ejus cum homerica comparatam: addens, quod *in ſuo pectore Spiritum Dei*, *omniumque virtutum*, *graviſſimis*, & *ad permovendum*, & *aculeos piorum affectuum in legentium animis relinquendum efficaciſſimis*, & *nervoſiſſimis verſibus declaret.* Quod vero maxime in illis mirere, iſtuc eſt, quod pleraque non ſunt valde ſublimia, præterquam in ſenſibus. *Carminum ipſius*, ait Billius in *admonitione*, *tale argumentum eſt*, *ut non minus commode proſa*, *quam verſibus tractari poſſit. Nam ſi numeros ipſos*, *carminisque leges exceperis*, *nihil hic omnino poëticum invenies*, *hoc eſt*, *nihil vanum & inane*, *nihil abſurdum*, *ac fabuloſum. Omnia gravitatis*, *pietatis*, *philoſophiæque chriſtianæ plena ſunt. Nunc hominis naturam fragilem*, & *inconſtantem graphice depingit*, *nunc ardentiſſimas ad Deum preces mittit*, *nunc optima*, & *ſaluberrima vitæ præcepta regulasque tradit.*

Porro ex his carminibus fere præſtant fuſiora, ut quæ agunt

De rebus ſuis plura.

De præſente vita, & conditione hominis.

De Virginitate, & præceptis ad eam pertinentibus,

Inſomnium de Anaſtaſiæ Eccleſia.

De vitæ differentia, & contra falſos Sacerdotes.

Ad Epiſcopos.

Ad

Ad Hellenium de Monachis.
Ad Nicobulum Patrem, Nicobuli filii nomine.
Nicobuli ad filium. *
Ad Vitalianum filiorum ipſius nomine.
In quadrageſimi jejunii ſilentium.
Paræneticum ad olympiadem.
Ad Nemeſium.
Adverſus mulieres ambitioſius ſeſe ornantes.

Ex brevioribus autem

Ad Conſtantinopolitanos Sacerdotes, & urbem ipſam.
Ad Julianum.
In nobilem male moratum.
A reditu ſuo Conſtantinopoli in patriam.
In Monachos hypocritas.

Maxime vero Baſilii Magni Epitaphium, quod cum ipſe Billius, tum alii plures celebrant: Jacobus vero Pontanus *Libro III. Philocaliæ cap.* 24. *nobiliſſimum, & glorioſiſſimum epitaphium* dicit.

Iſta ad laudem eloquentiſſimi Doctoris noſtri ſufficiant, quæ ut magno nobis labore ſteterunt, ſic propter ſumma ejusdem merita haud ſane injucundo. Qui porro plura addere voluerit, videat Nazianzenum ipſum in *Carmine de vita ſua*, a Cardono ſoluto ſtylo eleganter reddito, item *Orat. in Baſilium, Cæſarium &c.* Socratem, qui *Hiſtor. Eccl. Libro IV. cap.* 26. ſimul de Gregorii & Baſilii eloquentia fuſius agit. Menologium Baſilii Imperatoris *ad diem XXV. Januarii.* Gregorium Presbyterum ſæculi X. Scriptorem, *Oratione de laudibus Nazianzeni*, operibus præfigi ſolita. Joannem Euchaitam *in feſtum trium Doctorum, una cum Hiſtoria inſtitutionis ejus*, quæ Nicolaus Rayæus latina fecit. Nicephorum Blemmidam *Encomio in Nazianzenum.* Thomam Magiſtrum in *Laude Nazianzeni*, quam Laurentius Norman Upſaliæ anno 1693. in lucem emiſit. Nicephorum Paphlagonem *Encomio ejusdem apud Combefis. Tom. VI.* Nicephorum Calliſtum, & ceteros Antiquiores Hiſtoriæ Eccle-

* Erat hic Nicobulus Sororius Nazianzeni.

Eccleſiaſticæ Scriptores Græcos. Theodorum Metochitam ſub Andronico Paleologo ſeniore magnum Logothetam ſæculo XIII. & Nicolaum Cabaſilam, Theodorum Prodromum, Matthæum Camariottam, Gregorium Polydorum in *Gregoriano* ſeu de Sanctis hujus nominis. Editores Billium, & Morellum in *Prolegom.* & *Nuncupat.* & his antiquorem M. Muſurum in *Nuncupatoria ſedecim Orationum* ſupra laudata. Petrum Galeſinium in *Nuncupatoria Salviani, & aliorum PP. ad S. Carolum Borromæum.* Cardinalem Baronium in *Libro ſingulari de Vita S. Gregorii Nazianzeni*, quem ad translationem ſacri corporis ejus Gregorio XIII. offerre conſtituerat: item in *Annalibus* ſæpe. Joannem Baptiſtam Maſculum in Argumentis concionum, quæ ex Scriptis SS. Gregorii Nazianzeni & Baſilii Magni extraxit. Godefridum Hermant in egregio opere, quod de SS. Gregorii Nazianzeni, & Baſilii rebus communiter ſcripſit. præſertim *Libr. XI. cap.* 3. Danielem Papebrochium in *Actis SS. ad diem IX. Maji.* Joannem Croiſet in *Exercitiis pietatis ad eundem diem.* Claudium Fleury in *Hiſtor. Eccleſ.* præſertim *Libro XVII.* §. 52. Joannem Gottfriedum Schupartum *Orat. inaugurali*: Gregorius Nazianzenus cognomine Theologus, Theologis ad imitandum propoſitus *Gieſſæ anno* 1721. Trivultienſes anno 1747. menſe Octobri. Librum noſtrum primum *de Eloquentia Patrum Diſſertat. VI. cap.* 2. Taceo recentiores hiſtoricos Eccleſiaſticos, qui ſunt plurimi, item eos, qui de Auctoribus Sacris ſcripſerunt, Dupinum, Tillemontium, Ceillierium &c. Hos enim omnes allaturus finem nullum reperiſſem.

DISSERTATIO VI.

De Eloquentia S. GREGORII *Nyſſeni.*

CAPUT I.

Quanta ſit, & quæ ejus apud auctores encomia?

Gregorius Baſilii Magni frater, natu minor, primis annis cum bonis literis omnibus, tum maxime Rhetoricæ ſtudio deditus fuit. Neque ſolum eam artem accuratiſſime didicit, ſed aliquamdiu publice profeſſus eſt magna nominis celebritate, & fama eloquentiæ ſingulari. Quo minus mirum eſt, hominem ad cathedram poſt eccleſiaſticam tranſlatum, tantum & dicendo, & ſcribendo excelluiſſe. Quæ vero turbæ, quo concurſu ad audiendum eum venirent, ex *Oratione in Baptiſmum Chriſti* colligi poteſt, cujus initio populum intra ſacra adita penetraſſe ait, & irrupiſſe: reliquos, aditu excluſos, apum inſtar juxta templi fores ſeſe conſtipaſſe. *Oratione* vero *in quadraginta Martyres* tumultu certatim influentis, & comprimentis ſe multitudinis exaudiri, præterquam a proxime aſtantibus, non potuit. Quare vocem tuba clariorem, quæ ſono, atque tinnitu fremitum populi ſuperaret, nequicquam ſibi precatus, abrumpere debuit concionem, atque in alterum minus feſtum diem differre *. Ad magnas quoque res, oratione proſequendas, huc illuc evocatus Gregorius, Pulcheriam Theodoſii filiam, ſummæ ſpei principem, & mox ipſam conjugem Placillam, cum funus efferretur, approbatione, aſſenſuque communi dilaudavit. Idem præſtitit in Syno-

* Equidem noſtra ætate nihil novi, ut oratoris gratia concurſus ingentes fiant, & oratoris ad plebem auctoritas tanta ſit, quæ fidem pene excedat: iſtuc tamen, præſertim in magnis, & baſilicis ædibus, quales tum erant, accidiſſe nusquam videmus.

Synodo Oecumenica II, ubi poſt alios facundiſſimos Patres, Magnum Meletium, id temporis defunctum meritis laudibus extulit. Maximam vero gloriam ex palma de Eunomio relata ſibi paravit, ut qui opere contra Baſilium ſcripto in admiratione quam plurimis fuerat. Cum enim in hoc parturiendo multos annos ædiculæ ſuæ incluſus abſumpſiſſet, atque ita abortiendo prodigioſum fœtum, quem furtivis congreſſibus conceperat, in lucem tandem ejeciſſet, vel tum partum ita fovebat, ut ipſis ſectæ aſſeclis non promiſcue exhiberet; veritus ſcilicet, ne ſi in orthodoxorum manus veniret, mox a Baſilio in cunis ſuffocaretur. Cum vero divinus ille vir fato conceſſiſſet, diſcuſſo tantiſper metu, licentius divulgavit. Itaque factum eſt, ut Nyſſenus in illum incideret; qui uti Baſilius fecerat, multis verborum plagis enectum confecit penitus, & informe cadaver, quod terrorem ante moverat, in contemptum adduxit. Atque hæc eſt cauſa, cur græca Eccleſia eximie eum ſemper coluerit, ſummisque honoribus proſecuta ſit. Nam in ſeptima Synodo *Action. VI. partit.* 5. habetur, eum ab omnibus *Patrum Patrem* vocari: & in *Vitis Patrum Libro VIII. n.* 136. honor illi inter Apoſtolos datur. Rurſum in Codice Theodoſiano *Libr. III. Conſtitut. de fide catholica* inter præcipuos catholicæ fidei patronos recenſetur, ac ſanctione imperiali celebratur. Denique *Conſtitut.* 88. *Leonis Philoſophi* cavetur, ut dies illi ſacer inter præcipuas anni ferias feſtus, & ſolennis agatur. Sequentibus dein ſæculis latini quoque Theologi ad confirmanda fidei dogmata Nyſſeno ſæpiſſime ſunt uſi, & teſtem graviſſimum, certiſſimumque adhibuerunt *. Sed ad teſtimonia eloquentiæ ejus convertamur.

I 2 RUF-

* Vide Cononem infra allegandum, qui Damaſceno, Eliæ Cretenſi, Thomæ Aquinati, Alberto Magno familiarem

RUFFINUS *Libro II. hiſt. Eccl. cap.* 9. Opuſcula ait Gregorii junioris *luculenta* extare.

PALLADIUS in *Hiſtoria Lauſiaca cap.* 86. *ſapientiſſimum* dicit, *& omni doctrina clarum.*

SOCRATES *Libro IV. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 21. *vel* 26. ait: *Baſilius duos habuit fratres, Petrum & Gregorium; ſed Petrus quidem monaſticam Baſilii vitam æmulatus eſt; Gregorius vero ejus in dicendo eloquentiam.*

SOPHRONIUS HIEROSOLYMITA in *Epiſtola Synodica apud Photium cod.* 231. *verborum flumen* Nyſſenum appellat.

MENÆA GRÆCA X. Januarii prolixo hymno Gregorium inter alia vocant:

Calamum Sancti Spiritus voce plenum,
Linguam pietatis diſertiſſimam,
Divini ſplendoris lucentiſſimam lampadem,
Veritatis præconem,
Theologiæ apicem,
Fontem ſublimium doctrinarum,
Torrentem mellifluæ eruditionis,
Deiſonam lyram,
Securim hæreticorum conatus præſcindentem,
Gladium ancipitem Spiritus Paracleti.

Et poſt, velut ſedato æſtro ad elogium hiſtorico propius digreſſa, *omni orationis genere exercitatum* dicunt, & *virtutis gloria illuſtrem vim ac robur obtinuiſſe: eloquentia præclarum* affirmant, *qui contra impias hæreſes tunc exurgentes invictum ſe pugilem præbuerit, atque adverſarios dicendi potentia, & ſcripturarum demonſtrationibus profligarit.*

GER-

---

rem fuiſſe oſtendit; ut qui omnes ex ſcriptis ejus quam maxime profeciſſent. Atqui iſtis Vincentium Lirinenſem, Euthymium aliosque plures addere poterat. De modernis nihil dico; quoties enim vel ſolus Petavius Nyſſenum in medium producit? quoties in difficillimis etiam, & impeditiſſimis argumentis ducem, atque auctorem ſequitur?

GERMANUS Patriarcha Conſtantinopolitanus lucubrationem pro Nyſſeno edidit, qua docet, *Origeniſtas aggreſſos claris, & ſalutaribus ejus ſcriptis obſcura, & pernicioſa Origeniani ſomni venena admiſcere, virtutique hominis, & doctrinæ celebri hæreticam occulte amentiam ſubjicere.* Cauſam addit, quæ quam maxime ſit in rem noſtram, iſtam videlicet; *quod virum doctrina ſingularem, & eloquentia inſignem eum agnoſcerent, claramque ſanctitatis exiſtimationem per omnium ora decantatam viderent.* *

SUIDAS in *Lexico: Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, frater Baſilii Cæſarienſis, vir & ipſe clariſſimus, omnique doctrina refertus, magis tamen eloquentiæ ſtudioſus: itaque in ea multum profecit, & illuſtris evaſit, ut quiſquam veterum.*

MARTYROLOGIA LATINA omnia, Uſuardum ſecuta, *die IX. Martii* iisdem fere verbis *tam vita, quam ſermone clariſſimum* appellant.

Ex Recentioribus JOANNES CONO Dominicanus *Epiſt. ad Beatum Rhenanum* diſcipulum ſuum, a quo rogatus multa Sancti Doctoris latina fecerat: *Gregorius Nyſſæ Epiſcopus, frater germanus Baſilii Magni, vir fuit eloquentiſſimus, & omnifaria eruditione refertus, aptus potiſſimum, & accomodus his, qui rhetorica venuſtate oblectantur. Summus enim, & illuſtris evaſit orator, nec priſcis oratoribus inferior.* Et iterum: *Non minus ſanctitatem illi, quam fratri ejus S. Baſilio tribuamus (quem etiam huic vitæ integritate, ac doctrina Ruffinus adæquat) quamvis mira ejus opera non legamus. Non enim inferior ceteris ſui ſæculi Epiſcopis chriſtianæ fidei contra Arianos, & Eunomianos propugnator extitit.* **

ANTONIUS POSSEVINUS in *Apparatu. Dicendi artem ſic exercuit, ut & Rhetor illuſtris evaſerit, &* I 3 *poſt-*

* Apud Photium *cod.* 233.

** Ex eodem Conone locus huc faciens ſupra in Nazianzeno allatus eſt.

poſtquam Theologiam hauſiſſet, ac Epiſcopus fuiſſet renuntiatus, adhuc erga eandem Rhetoricæ facultatem afficiebatur. Ita hinc conjici poteſt, quinam lepos, & charites in Scriptis illius inveniantur ab eo, qui græcas literas altius calleat.

PETRUS RIBADENEIRA in *Vit. Sanctor. IX. Mart. S. Gregorius Nyſſenus fuit omnino præſtantis ingenii, eximiæ eruditionis, miraque eloquentia, cujus & egit magiſtrum. Qua facultate multos ſibi coævos vicit, utpote cum clarioribus, & eloquentioribus oratoribus, quos unquam habuit Eccleſia, comparandus; ut ejus opera ſatis, abundeque teſtantur.*

ISAACUS CASAUBONUS *Præfat.* & *Not. ad epiſtolam Nyſſeni de peregrinat. Hieroſol.* eundem jam *graviſſimum Patrem*, jam *elegantiſſimum, & nobiliſſimum Scriptorem*, jam *eum dicit, quem inter præcipuos antiquæ fidei teſtes & Doctores Eccleſia veneretur.*

JOANNES A S. FRANCISCO Generalis Fulienſium, editor ejus *ad Cardinalem Perronium* vocat *facundiſſimum oratorem, & hæreſeon acerrimum expugnatorem.*

CARDINALIS BARONIUS in *Notat. ad Martyrol. Rom.* 1. *Januar.* Nyſſenum noſtrum, uti Nazianzenum, *præſtantiſſimum* dicit *Theologorum, & Oratorum clariſſimum.*

JACOBUS GRETSERUS, qui appendicem editioni Pariſinæ adjecit, in *Nuucupatoriis ad eundem Cardinalem Perronium, & Ducem Bavariæ*, inter alia *libros* Nyſſeni *aureos*, ipſum vero *virum eruditiſſimum, eloquentiſſimum, acutiſſimum* vocat, *qui ſingulari providentia exortus eſſet, cum variæ hæreſes, nominatim Eunomiana, adverſus Eccleſiam catholicam furerent.*

NICOLAUS CAUSSINUS *Libro III. de eloq. ſacr. & hum. c.* 14. *Gregorium,* ait, *Nyſſenum & ipſum Gregoriorum fato aureum flumen orationis fundere.*

JACO-

Jacobus Tirinus in *Ind. Auctor. S. Gregorius Nyſſenus Epiſcopus, S. Baſilii frater multa ſcripſit præclariſſime* &c.

Ludovicus Cresollius in *Theatro Rhetorum*, ut alia mittam, Gregorium noſtrum jam *eloquentiſſimum Nyſſenum;* jam *haud majorem vitæ Sanctimonia, quam eloquentia & humanitate:* jam *non facundia minus, quam ſapientia nobilem:* jam *eloquentia maximum* appellat, videturque inter omnes Patres, quorum meminit, nullius facundiam tantum extollere, quantum iſtius.

Petrus Blanchottus in *Elencho ad Biblioth. Concionat. PP. S. Gregorius Nyſſenus &c. vir eloquentiſſimus, Eccleſiæ lux, & ornamentum.*

Cardinalis Bona in *Notitia Auctorum* virum vocat *eloquentiſſimum, & omni doctrina refertum.*

Guilielmus Cave *de Scriptorib. Eccleſiaſt. ad ann.* 370. *Vir erat*, inquit, *qui egregia morum ſanctitate, ac omnigenæ eruditionis laude inter primos facile enituit, eloquentiæ adhæc, & dicendi ubertate nulli ſecundus.*

Natalis Argonensis de *optima Methodo legend. Eccl. PP. Part. III. cap.* 2. *Gregorius Nyſſenus una ſimul Oratoris, Philoſophi, atque Theologi munere fungitur.*

Casimirus Oudinus in *Supplement. Bellarmini* de variis Scriptoribus illud affirmat, quod *honorificentiſſime* de Nyſſeni *vita, doctrina, eloquentia, tanquam patris aliorum Patrum loquantur.*

Ignatius Hyacinthus Amat. de Graveson *Hiſtor. Eccl. Libr. I. pag. mihi* 99. Gregorium ante *celeberrimum Rhetorices profeſſorem*, poſt *Eccleſiæ græcæ in quarto Sæculo ſplendidiſſimum lumen & ornamentum* dicit.

De aliis, qui hoc primum Sæculo ſcripſere, ne evadam longior, nihil addo. Ex veteribus adhuc ſupereſt locus, illuſtris ille, & ſtudio huc reſervatus.

tus, quem ſane nefas ſit præterire; quod præ aliis oſtendit, quo eloquentiæ amore Nyſſenus noſter teneretur, quantaque contentione ad perficiendam eam incumbere ſoleret. Nazianzenus, qui & ipſe Rhetoricam profeſſus erat, tantumque in eam operæ per omnem vitam contulerat, ſatis clare oſtendit, nimium ſibi ea in re amicum ſuum videri. Quare nec reprehenſionem ipſius effugit, quaſi *ſacris, illis ſuaviſſimiſque libris, quos quondam populo lectitabat, calcatis, atque projectis, aut etiam ad fumum ſuſpenſis (non ſecus atque navium gubernaculis, & ligonibus hyemis tempore) ſalſos, & amarulentos in manus ſumpſerit, ac Rhetor vocari, quam chriſtianus maluerit.* Quæ tota reprehenſio, quam libere, & graviter, tam amice, ac ſapienter perſcripta eſt. Sed Ribadeneiram ſupra laudatum in eam rem audiamus. *Ceterum*, inquit, *cum præſtaret eloquentia, & politioribus literis, & ſubinde pluſculum operæ his daret, quam ſtatum ejus deceret: Sanctus Gregorius Nazianzenus, ut erat ſanctus, ſapiens, fidusque ejus amicus, eloquentiſſimo epiſtolio eum perſtrinxit: credibileque eſt, eum conſilio amici obſecutum, deinceps animum gravioribus intendiſſe ſtudiis, totumque divinis literis, & officio ſancti paſtoris vacaſſe.* Eſt autem præclara ea, & elegans Gregorii Epiſtola ordine 43. Nunc ad characterem Oratoris noſtri gradum facimus.

CAPUT II.

Agitur de charactere, & notis ejuſdem eloquentiæ.

Sixtus Senenſis in *Biblioth. Sanct.* eloquentiam Nyſſeni *nervoſam, ac preſſam* dicit. Et profecto nullus eſt, qui, cum eum legerit, duas has dotes non continuo ſit deprehenſurus, cum ex numerorum adſtrictione perpetua, tum ex vi, ac copia argumentorum,

rum, quæ philoſophum ubique prodit, nihil gratis, nihil temere proloquentem, ſed diſciplinis omnibus magnopere, intimeque imbutum.

Verum iſtuc minime ſufficit ad ſtylum Gregorii dignoſcendum: & multa alia reſtant, ut notas ejus, ductusque omnes cognitos habeamus, ac perſpectos. Quædam ſuppeditat Cardinalis Fredericus Borromæus *Libro* 5. *de Sacr. Orat.* ubi characteres Patrum plurium examinat. Quamquam in hoc noſtro minus diligentem ſe præbuit, quam in ceteris. Obiter enim eundem verſans, ac pene tranſcurrens, tamen *ſoliditatem* tribuit eloquentiæ ejus, *vere oratorios ornatus, non inanes phaleras, tinnitumque verborum, dilatationem item prudentem ſermonis, ita ut tramites calcet, quibus ad veram perveniri eloquentiam poſſit, & perfectæ amplificationis via oſtendatur.* Omiſit autem vir ſummus *pulchritudinem*, quæ ipſi juxta Poſſinum * propria eſt, & mea opinione in proportione partium, ac numerorum, ſplendore item, & amœnitate ejus quadam conſiſtit. Utitur enim fere oratoria quadam planitie, quæ multum habeat gravitatis, ſuccique virilis; & ſicubi aſſurgit, ac genio indulget, ingenti gratia, & ſummo robore id facit. Exemplo ſunt plura, quæ infra in ſpeciminibus occurrent: verbi gratia illud de cæde infantium, *orat. in diem Nativ. Chriſti*, quæ ſane pictura eſt, quam nemo niſi attonitus reſpicere, aut ſatis celebrare poſſit. Hanc vero dotem, ne mihi ipſus ſumpſiſſe quid videar, non uno loco ipſe Photius diſerte notavit. *Stylus illi*, ait *cod.* 6. *ſi cui Rhetorum, illuſtris, & jucunditatem auribus inſtillans. . . . Et Theodoro conciſior eſt, & Sophronio latior* **; *abundat enim enthymematis, atque exem-*

* *Præfat. ad collat. Iſidorian.*

** Hi duo idem argumentum tractarunt, Baſiliumque contra Eunomium defenderunt.

exemplis. Illud autem vere pronuntiaverim, quantum Gregorius venuſtate, ſplendore, & mirifica jucunditate antecellit Theodoro, tantum etiam argumentorum copia, & ubertate eundem vincere connititur. Quod ipſum confirmat *cod.* 7. ubi alterum Nyſſeni opus dijudicat. Ait enim: *Venuſtas orationis, & ſplendor, jucunditate mixtus, etiam in hoc opere decenter ſe oſtendit.* Leo item Philoſophus Orientis Imperator *Conſtit.* 88. Nyſſenum *dulcem, & illuſtrem Eccleſiæ fontem* appellat.

Critico veteri novum adjungamus, qui pauciſſimis verbis omnia complexus eſt, Ignatium Weitenauer. Hic *Libro XI. Subſidiorum* ſic habet: *In ſtylo* (Nyſſeni) *multum eſt artis, plus majeſtatis.* Artis enim nomine, ut ego exiſtimo, illam ipſam, de qua dictum eſt, venuſtatem, gratiam, atque ſplendorem intelligit: majeſtatis vero, greſſus illos viriles, firmos, grandes, ſtatos, & quam maxime decentes ſignificat.

Unum habet nævum Nyſſenus, qui tum forte inter virtutes computabatur, etſi apud fratrem ejus Baſilium minime reperitur. Eſt vero non frequens ille quidem, ſed nec obſcurus, & quem alteri cuicunque facilius, quam tanto viro condonaverimus. Tropos videlicet ſectatur, & alluſiones, jam audaces nimium, jam ſubtiles, jam longius accerſitas: quod, ſi quid ego video, vel Origenes, quem lectitabat, illi affricuit, vel conſuetudo, uſusque Græcorum; hi enim præ ceteris gentibus allegoria, & translatione, afficiebantur. Porro obſcuritas, quam aliqui deprehendiſſe ſe in eo putant, non illi, ſed interpreti, aut linguarum potius diverſitati tribuenda eſt. Ut enim alias oſtendimus, græca, præſertim numeroſa, & jucunde fluentia latina facere, multum per ſe habet operis, ac difficultatis: quanto magis torquere ſe transferentes debent in hoc ſcriptore exprimendo, qui peculiares quasdam munditias

ditias ſectatur, & toto facundiæ apparatu ornatus incedit? Nempe proniſſimum eſt, ut dum ejus ſingula in alieno habitu exhibent, compreſſione rerum caliginem offundant legentibus, ſplendorem obtundant, curſum ſufflaminent, denique venuſtatem ipſam hinc inde deforment. Illud certum, Nyſſenum græce ſcienti clariſſimum eſſe, explicatamque ejus, & apertam faciem inter ceteras viri dotes numerari. Caſaubonus * cum in locum aliquem incidiſſet, ubi orationem nonnihil ille obſcuraverat, continuo adjecit: *Sed non multos huic ſimiles locos in hoc nobiliſſimo Scriptore invenias, cui familiaris virtus perſpicuitas, & τὸ λευκὸν τȢ λογου.*

CAPUT III.

Scripta præſtantiora Nyſſeni.

Delectum inter Nyſſeni ſcriptiones habere, non tam facile, & expeditum eſt, ac prima ſpecie videri poſſit; non enim multa ſolum, & varia, ſed quam maxime diverſa Sanctus Doctor conſcripſit. Quare ut ordinem teneamus principio illa, quæ in Scripturas commentatus eſt, dein polemica, demum moralia, & moralibus affinia expendemus.

In *Hexamero*, quod hortante fratre altero, Petro Sebaſtenſi Antiſtite aggreſſus eſt, ubique eminet illud, quod ipſe ad initium, & finem, cum de hoc, tum de ſequenti libro admonuit, Baſilii videlicet continuationem quamdam eſſe. Neque vero ſcio, an dignius quiſquam id in ſe oneris ſuſciperet, ut tantum oratorem in tam eximio, tam decantato opere proſequeretur, niſi qui, non dico ſanguine,

* In notis ſupra memoratis. Addit autem vir eruditus eodem loco: *Verum de ſtylo Gregorii alibi, ut ſpero, pluribus diſſeremus*: quod utrum, & ubi reapſe præſtiterit, ego, qui ejus pauca admodum legi, plane ignoro.

guine, ſed eloquentia, & doctrina proxime conjunctus illi eſſet, uti Gregorius fuit. Itaque palmam ſic fratri concedit Gregorius, ut primo ſit multo ſimilior, quam tertio. Certe Franciſcus Combeſis acerrimus græcus in *Baſilio recenſito Tom. I. pag.* 558. *opus hoc pene illi æmulum* affirmat, *in quo ejus plurimum opera deſudarit.* Et jam Socrates *Libro IV. cap.* 30. cumulate ab eo expletum, quod imperfectum Baſilius reliquiſſet,

Librum de hominis opificio multo magis veteres commendarunt: ſed & moderni. Suidas *admirandum* appellat. Joannes Cono & ipſe *volumen admirandum* vocat, planeque indignum ducit, *tam doctam, tamque præclaram tanti viri philoſophiam, attico lepore defluentem, peregrina, gothicaque barbarie offundi, ut neque legentibus ſenſa elucere poſſint, imo faſtidium illa barbaro-latina ſtructura, & vocum extorta, affectataque fictio ingerat.* Quibus verbis, quantum Burgundionis Piſani verſionem deprimit (neque enim aliud meretur) tantum auctoris archetypon extollere adlaborat. Combeſiſius paulo ante dictus, ejusdemque cum Conone inſtituti *ibidem*, *omnem*, ait, *phyſiologiam hominis mirabili arte, ac conatu eximie expreſſit, ipſaque Baſilii ejusdem vota feliciter implevit.*

Sed & Liber *de Vita Moyſis*, *in Eccleſiaſten*, *in Cantica*, *in orationem Dominicam*, *in Beatitudines* locos admirabiles habent, atque a Criticis omnibus laudem tulerunt. Sunt vero ſacris oratoribus eo accomodatiores, quo frequentius ad doctrinas morales divertunt, ibique velut patenti in campo liberrime exſpatiantur. De Homiliis in Eccleſiaſten Cornelius *argumento* in *eundem* ait, *octo Homilias diſertas ſane, & doctas in Eccleſiaſten elaboravit, quibus ipſe Eccleſiaſten agit, ac Lectorem ad vanitatis mundi contemptum velut orator Chriſtianus extimulat.*

Inter

Inter *Polemica*, imo inter omnia Nyſſeni opera quam maxime excellunt *Libri adverſus Eunomium*, teterrimum hominem, atque blaſphemiis ſuis Arianos ceteros longe ſuperantem. In his libris (ut quidem nobis dicuntur) XII. priores primum, decimus tertius vero ſecundum hæreſiarchæ librum confutat; id quod oculos aperienti, ipſe ingreſſus, imo inſcriptio operis ſat clare oſtendit. Suidas eos *egregiam orationem* vocat. Cono Suidam rurſum ſecutus *orationem luculentiſſimam, & eximiam in acutiſſimum hæreticum* dicit. Ludovicus Creſollius in *Theatro Rhetor. Libr. V. cap.* 12. graviſſimis verbis de Nyſſeno dicit, *in Sophiſtam Eunomium diſputaſſe eloquentia plane divina.* Sed nec Gretſerus *ad Duc. Bavar.* veretur *divinos* illos *libros* nominare. Et ſane in tam difficili, tamque implexo argumento ſupra omnem laudem ſunt, nec quemquam ſcio modernorum, qui non ultro, & effuſis adeo ſtudiis principatum iis deferat. Id operis primum in ſchedulas ſine ordine conjecerat, dein ut fit, aliquantum otii nactus ita paulatim protulit, atque amplificavit, ut juſtum in volumen excreſceret. Quod tanto magis mirandum, quia librum Eunomii non niſi obiter vidit, non excuſſit, non contulit cum aliis, non ad rationis, religionisque leges lente, & ſtudioſe revocavit. Nam ille, a quo commodatum acceperat, nec ad tranſcribendum, nec ad perlegendum ſat temporis indulſit: ſed, ut tantiſper luſtraſſet, continuo repetiit magna importunitate, & tantum non e manibus eripuit. Atque inde eſt, quod Photius ait, Gregorium *non reprehendere ordine Eunomii ſcriptum*, id eſt, non ad verbum congredi cum adverſario, ejusque argumenta argumentis ſubſequi, uti Theodorus fecerat: verum Sophronii more ſolum potiſſima capita exagitare. Porro in his libris eminet pars poſterior, uti omnes fatentur, & ipſe jam, quem dixi, Photius annotavit. Nempe hic

aliud

aliud exemplar nactus videtur, quod attentius & per otium licebat evolvere. Certe Photius *cod* illo 7. *Lectum eſt*, inquit, *alterum ejuſdem Gregorii Nyſſeni opus de eadem ipſa re, in quo rationibus validioribus cum eodem Eunomio manus conſerens, eum vi expugnat, omnia impietatis fundamenta labefactans* *. Et ſane Eunomius ex eo tempore conticuit, & certamini ſe penitus ſubduxit: haud ſecus, atque impuræ illæ, & veneno turgentes belluæ ſolent, quæ lethali accepta plaga, proripiunt ſeſe, & inquirunt latebras, ubi extra conſpectum conficiantur ſenſim, atque extabeſcant, ut ne odoris gravitate ac fœditate teterrimam peſtem inhalent. Sic autem de eo Gretſerus ad *Cardinalem Perron. Licet ingens thraſo, & popularis auræ devotiſſimum mancipium, editis tamen Nyſſeni noſtri antirrheticis, & apologeticis libris ſiluit, & quievit, nec eandem aleam denuo tentare, vel ſubire voluit; abſterritus, opinor, partim propria ſua infantia, atque inſcitia, partim adverſarii ſecum commiſſi doctrina uberrima, & facundia diſertiſſima.*

Cetera quoque Polemica laudem habent univerſa, & eo auctore digniſſima ſunt, nominatim *Catecheſis*, quam Caſaubonus *opus plane eximium* dicit, *ſi paucos nævos excipias, quos ex lectione ſcriptorum Ori-*

* Ut vero intelligat Lector, quid hoc loco Photius ſignificet, notandum eſt, opus totum nequaquam in plures libros, quos nunc videmus, ab auctore diſtributum: ſed una, atque perpetua ſerie perſcriptum eſſe, id quod cum ex aliis Nyſſeni ſcriptis apparet, tum ex ipſis partibus, quæ abſque ullo exordiorum apparatu aptiſſime inter ſeſe colligantur. Reapſe autem tres ſunt operis partes, quarum I. conſtat ex iis, quæ Gretſerus, II. ex his, quæ Gulonius reperit, III. denique ex reliquis undecim orationibus, quas Photius alterum contra Eunomium opus ideo potuit nominare, quia duas Eunomii reſponſiones explodit, & mole æqualis eſt prioribus illis tractatibus, etiam ſimul ſumptis.

Origenis contraxit. * Atqui hic ipſe liber catecheticus eſt, quem Germanus uti *Dialogum cum Macrina*, & *de perfecta vita narrationem*, ab hæreticis interpolatum oſtendit. Iſtuc autem, ex Photio ſumptum, virum omniſcium, qualis eſt Caſaubonus, latere tanto minus debebat, quanto impenſius Photium laudat, atque in eadem ſua ſcriptione teſtem adducit.

Inter *Moralia* maxime placent *Liber de virginitate* **, *de vita hominis*, *de profeſſione hominis chriſtiani*, quem Caſaubonus *ibid. libellum pulcherrimum* appellat. Item orationes quædam de rebus ſingularibus, ſane graves, ac luculentæ, uti illa *contra uſurarios*, *de pauperibus ſecunda* dicta, *de mortuis*, & ſimiles. Et ſecundæ quidem elogium dedimus ſupra in Nazianzeno.

Moralibus ſubjungo *panegyrica*, inter quæ Nicephorus *Libro XI. cap.* 19. maxime extollit ſermonem in S. Gregorium: *Oſtendunt autem*, inquit, *verum talem cum alia, tum præcipue in Gregorium illum, miraculis celebrem oratio ab eo edita.* Ego quantum mihi, cum eum perlegerem, dignitate illa ſua, ac facilitate arriſerit, vix ſum dicendo. *Sermonem* quoque *de S. Stephano* Suidas *nunquam ſatis prædicatam laudationem* vocat. Præclara item, ac valde delicata eſt panegyris, quam in *funere Placillæ* Auguſtæ expromſit, neque miror, quod cum ab aliis ſcriptoribus, tum maxime ab hiſtoricis ſæpius celebrata eſt.

Poſt hæc vero potiſſimum me rapuit *Encomium S. Ephræm*, in quo ſane omnia quam plana, & naturalia, tam diſerta etiam, atque amœna ſunt. Vide ejus laudem apud Petr. Franciſcum Zinum in *Epiſt.*

* In *Notis* ſupradictis.

** De quo vide infra cap. 3. Diſſertat. de Chryſoſtomo; cum hujus enim libro ejuſdem argumenti Gregorianum ibi comparat Livinejus.

Epiſt. ad Hieronymum Triviſanum, & apud eos, qui de rebus S. Ephræmi commemorant.

Neque tacere debemus *Dialogum ad Macrinam*, *epiſtolam contra fatum*, & alia quædam ejus generis. Etſi enim multum philoſophiæ admiſtum habent, & neque ad Moralia, neque ad Polemica commode referuntur; admirabili tamen nitore, & ſolidiſſima quadam facundia perſcripta ſunt. Dialogum certe Suidas, quo nemo locupletior teſtis, *prolixam*, & *perelegantem orationem*: Bollandiani *librum inſignem* appellant.

Atque ex iſtis luculenter nunc patet, Nyſſenum, quamcunque rem aggrederetur, ſive ſcripturas explicaret populo, ſive religionem veram tueretur adverſus hæreticos, ſive illuſtres ſanctimonia & dignitate homines laudibus ornaret, ſemper magnum oratorem eſſe, atque ſpecimina in omni genere ſingularia ſuppeditare: id quod volebant Menæa ſupra laudata, quando diſerte affirmant, *omni orationis genere* Gregorium *fuiſſe exercitatum.*

Epiſtolas Nyſſeni a Joanne Bapt. Caracciolo vulgatas *Florentiæ* 1731. nondum vidimus. Quid vero! an nihil de *Epiſtola ad Euſtathiam*, *Ambroſiam*, & *Baſiliſſam*? num ſtudio præterire eam volumus, aut velut alienam, atque officientem rebus noſtris omnino abjicere? Nihil minus; elegans eſt, & Nyſſeno non indigna. Quod vero Caſaubonus tantopere eam celebrat, & jam *pulcherrimam*, jam *aureolam* nominat, habet ille quidem rationem, non nos; quorum minus ſcilicet intereſt peregrinationes ſacras criminari. Ut autem demus eximium prorſus, ac genuinum Nyſſeni fœtum eſſe: nihil inde extuderit Caſaubonus, ut a noſtris pluribus, qui rem in medio relinquunt, eſt ſolide, & frequenter demonſtratum, quibus nos profecto minime ingerimus;

mus; quid enim hæc ad Sacras Conciones? quid ad eloquentiam, quam unice ſpectamus? *

Librum de Homine quod attinet, quem Nyſſeno complures adſcribunt, Nemeſii eſt, Philoſophi Chriſtiani & Emeſeni poſt Epiſcopi; opus præclarum, Nyſſeno digniſſimum, ejusque ſermonibus in Hexameron opportune ſubjungendum. Infinitus ſim, ſi omnes ejus laudatores recenſere hic loci inſtituam. Unum nolo omittere, Jacobum Bruckerum, diligentiſſime nuper hoc in argumento verſatum, **. „ Non omittendus quoque, inquit,
„ in hac Philoſophorum chriſtianorum ſerie Neme-
„ ſius ex Philoſopho Epiſcopus, ut volunt, Emeſe-
„ nus, eleganti libello de *natura hominis* clarus &c.
„ Certe inter elegantiſſima Philoſophiæ inter vete-
„ res chriſtianos florentis ſpecimina Tractatio hæc
„ de natura hominis Nemeſiana referenda eſt. Nam
„ & corporis, & animæ conſiderationem inſtituit
„ luculentam, multaque affert non ex trivio hau-
„ ſta, quæ fruſtra apud alios quæſiveris, quæque
„ inſignem veteris Philoſophiæ peritiam produnt.
„ In plerisque etiam capitibus græcorum Philoſo-
„ phorum opiniones eleganter, & perſpicue reci-
„ tat, & nonnunquam examinat; pleraque autem
„ ad divinorum dogmatum illuſtrationem refert.
„ Præcipue magnam & inſolitam inter Chriſtianos
„ Doctores rerum naturalium ad hominem perti-
„ nentium notitiam oſtendit, cujus exempla eſſe poſ-

* His ipſis diebus, dum quosdam Bibliothecæ angulos excutio, in MS. Epiſtolam Marci Velſeri incidi, qua Davidi Hœſchelio, judicium ſuum de illa Caſauboni editione requirenti, ſumma eruditione, ſapientia, humanitate reſpondet. Digniſſima eſt, quæ, ſi quando nova Nyſſeni editio prodeat, inter ceteras appendices illi ſubjiceretur.

** Hiſtor. Critic. Philoſoph. Tom. 3. pag. 5[illegible]. & 531.

„ poſſunt, quæ de uſu bilis, de ſplene, renibus, „ glandulis, aliiſque humani corporis partibus diſ- „ ſerit, quæ in ſummam lucem poſuit noſtræ ætatis „ virorum doctorum curioſitas &c. Sane inter „ omnes, qui inter Chriſtianos philoſophati ſunt, „ Nemeſio, ſi non primas, certe potiores partes tri- „ buendas eſſe &c. non inviti fatemur. „ Præter iſta Laurentius Alexander Zacagnius Præfectus Bibliothecæ Vaticanæ *Antirrheticum* Nyſſeni *adverſus Apollinarem*: *Laudationem alteram S. Stephani*: *Orationem de Spiritu Sancto*: *Epiſtolas decem & quatuor* in lucem protraxit: ſed & *Librum teſtimoniorum adverſus Judæos*, qui ante latinus tantum legebatur, græcum denique repræſentavit: Omnia in *Collectaneis Monumentorum veterum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ Romæ* 1698. Nova item Epiſtolarum acceſſio facta eſt *Florentiæ* 1731. Septem enim novas vulgavit Joann. Bapt. Caracciolus, Profeſſor Piſanus ex Ordine Clericorum Regularium. De utroque hoc ſupplemento pronuntiare minime poſſum; neque enim hactenus venerunt ad manus meas. De poſteriori potes videre Diarium Trivultienſe ad annum 1738.

Itaque finem facimus, & complementi loco auctores ceteros oſtendimus, quos Gregorianæ facundiæ ſtudioſi adire, & legere per ſe ipſi poſſint. Tales ſunt S. Gregorius Naz. *orat.* 6. Theodoretus *Lib. IV. hiſtoriæ cap.* 30. Nicetas in *Epigrammate* ad ejus librum *de hominis opificio*. Cyrus Theodorus Prodromus in *Elegia* græca *de laudibus Gregorii Nyſſeni*. Nicephorus *loc. jam citat.* Raphaël Volaterranus *Libro XVI. Anthrop.* Gregorius Polydorus in *Gregoriano*. Card. Baronius cum in *Annalib.* & *Vita Nazianzeni cap.* 6. tum in *Notat. ad Martyrolog. Roman. IX. Mart.* Gretſerus in *Prolegomenis ad appendicem Nyſſeni*. Præfatio *editionis Pariſinæ anni* 1638. Joann. Alb. Fabricius *Bibliothecæ græcæ volumine VIII.* Bollandiani *ad diem IX. Mart.* Petrus Annatus in *Apparat.* ubi de SS. Patribus. Dupinus in *Bibliotheca nova*. Ceillier in *Hiſtor. auctorum Eccleſ.* Tillemontius *Tomo IX. Monument. Eccl.* ubi de ſolo Nyſſeno viginti articulos habet. Denique Scriptores

ptores hiſtoriæ Eccleſiaſticæ complures, maxime moderni, qui de libris, & eloquentia Gregorii honorificentiſſime omnes commemorant.

DISSERTATIO VII.

De Eloquentia Asterii *Amaſeni.*

CAPUT I.

Magni facienda eſſe, quæ ille ſcripſit.

Quod inter Latinos Patres Paciano accidit, id ipſum inter Græcos Aſterio Amaſeno eſt factum. Quod enim pauca ejus ad poſteros pervenerunt, rariſſima hujus Doctoris mentio vel in ipſo Oriente: in Occidente autem, ubi a ducentis primum annis cœpit comparere, tantum non incognitus fuit. Forte & illud in cauſa eſt, cur minus celebritatis inveniret, quia de vita, & rebus geſtis præter titulum Sacerdotii, & Sanctitatis * vix quidquam aliud compertum habetur. Si quid ergo nunc dicere de eo oportet, unice ex ſcriptis ejus eſt eruendum. Ex his autem tria habemus. *Primo*, vixiſſe eum poſt Julianum Apoſtatam. *Secundo*, Diſcipulum fuiſſe Scythæ ſervi, qui a Domino ad ſcholas miſſus, excellens plerisque in artibus evaſiſſet. Et vero præclarus fuerit magiſter, neceſſe eſt, quando eum potuit diſcipulum formare, qui eruditione cederet paucis, eloquentia autem fere omnes anteiret. Certe homiliæ viri ſingulæ tan-

* Sed & hunc, qui hucusque illi vel a Criticis tribuebatur, nuperrime abrogatum videmus in *Actis SS. ad diem XVI. Septembr.* ubi de S. Euphemia, *num.* 58. Forte autem Stiltinghus non incidit in Notas, quas Cotelerius *homiliis* quibusdam Aſterii *in Pſalmos* ſubjecit; ubi plane haberet, quod deeſſe ſibi queritur. Sed quis ego ſum, qui his immiſcere me, & ei viro dicam auſum impingere in foro ſuo?

tam vel profanorum cognitionem oſtendunt, quæ minime ſiſteret in exterioribus, verum ad intima etiam, atque recondita penetraret. *Tertio* colligimus, Rhetoricam maxime ab Aſterio adamatam. Deſcriptionem enim imaginis divæ Euphemiæ juvenem adhuc, & Muſarum alumnum compoſuiſſe ſe innuit, ad ſtylum exercendum. Diſerte autem fatetur, quod eloquentiæ deditus principem dicendi Demoſthenem contentione maxima lectitarit. Nec vero abſimile eſt, Aſterium hac ipſa de cauſa, & quod probitatem facundiæ jungeret, denique ad ſummam Ponti ſedem Amaſeæ admotum, ubi etiam ſermones ſuos, quod frons ipſa præfert, *elegantiſſimos* pronuntiavit. Sed ad teſtimonia convertimur, quæ utut pauca, minime tamen contemnenda ſunt.

GENERALIS SYNODUS VII, ſeu *Nicæna II.* non ſemel Aſterii mentionem facit. Et Theodorus quidem Catanæ Epiſcopus ita *Actione IV.* de ſcriptis ejus locutus eſt: *Beatus, & Deifer Doctor Aſterius ſicut ſtella clariſſima omnium noſtrum corda illuſtravit.*

S. NICEPHORUS Patriarcha *Antirrhetico* 2. itemque Photius *codice* 271. & ipſi de ſermonibus, & eloquentia viri commemorant; ſed quod verba eorum characterem maxime reſpiciunt, ad caput ſecundum & tertium debemus reſervare.

PHILIPPUS RUBENIUS, celeberrimi pictoris Petri Pauli Rubenii frater, vir ſumma eruditione, & omnium fere literarum, qui primus aliquot Aſterii homilias protraxit, vertitque, cum morte præreptus edere per ſe ipſe, atque uti & ſua, & Aſterii eloquentia dignum erat, præfari non poſſet, amico, affinique ſuo JOANNI BRANTIO, & ipſi doctiſſimo, ac diſertiſſimo viro locum fecit ad auctorem noſtrum commendandum. Sic autem loquitur ad Lectorem: *Qui* φιλέλληνες *ſumus, aut haberi volumus, per illi multum merito debemus, & nobiſcum interiores literæ, cujus beneficio hic nobis Scriptor obvenit non minus venuſtus,*

nuſtus, doctus, elegans, quam pius, & ipſa antiquitate venerandus. Non equidem cenſendi munus mihi ſumo, qui cenſuram non gero, ſed hoc ſedulo aſſeverare poſſum, P. Andreæ Schotto, Petro Pantino, Theodoro Cantero (quibus, quantisque viris!) placuiſſe plurimum: & quisquis peritus arbiter eſt rerum, & ingeniorum, haud aliter ſentiet. Atque utinam horum locos Brantius indicaſſet; neque enim vana ſuſpicio eſt, inter ipſam verſionem plures jam a Rubenio ad illos, jam ab illis ad Rubenium epiſtolas datas ſuper iſto argumento. Addit in *Epitaphio*, Homilias Aſterianas, feliciter ab eo in latinum ſermonem e græco verſas, *perennaturas eſſe contra temporis invidiam, quamdiu aut uſus literis erit, aut eloquentiæ pretium.*

Theophilus Raynaudus quam plurimum videtur Aſterii facundiæ tribuiſſe, allegat enim eum, ubicunque licet, nec fere ſine honoris aliqua ſignificatione. Sic *Tomo V.* qui eſt de Theologia naturali, *Diſtinct. V. Quæſt.* I. *art.* 6. cum locum ejus celebrem de ſtructura oculi allegaret, in quo egregie omnino, & prudentiſſime, & ſe digna expenſione philoſophatus eſſet, iſtuc addit: *Aſterius Epiſcopus Amaſeæ, Scriptor perantiquus, & eloquentiſſimus.* Item in *Heptade Præſulum Chriſtiana, ſapientia, & facundia clariſſimorum* Aſterium præcipue videtur reſpicere, ut qui utraque facile ceteros antecellit.

Franciscus Combefis Dominicanus, quo nemo melius de Aſterio promeritus eſt, in *Auctario primo,* mox in *Nuncupatoria* gratulatur ſibi mirifice, quod eruditioris, pientiorisque antiquitatis nobile adeo, ac ſingulare opus, quod inter deſolata Græciæ rudera obſcurum hactenus latuerat, Scriptoremque eloquio clarum, velut theſaurum quemdam deprehenderit tandem & latio intulerit. In *Notis* dein *ad excerpta Photii* Homilias Aſterii ut magni adeo, ac chriſtiani Rhetoris, Theologique exuvias venera-

 tur,

tur, nihilque eſſe dicit, toto hoc homiliarum corpore, quod non plurimam eloquentiam cum pari pietate exhiberet. Mitto alia, quæ rurſum in *Auctario noviſſimo pag.* 538. & in *Bibliotheca Concionatoria* idem auctor adjecit.

Joannes Baptista Cotelier in *Limine Notarum Tomi II. Monumentor. Eccleſ. Græc. Amaſenorum*, inquit, *claræ metropoleos Epiſcopus Aſterius vir ſanctitate, doctrina, & eloquentia conſpicuus:* quæ ipſa verba Caſimirus Oudinus in *Supplementum* ſuum tranſcripſit.

Paulus Pelissonius opera Joannis Maucroix Aſterium gallice loqui fecit *Pariſiis* 1695. quod diceret, inter eloquentiſſimos græcorum Doctorum locum illi ſingularem tribui oportere *.

Ignat. Hyacinth. Amat de Graveson *Hiſtor. Eccl. Libro II. pag. mihi* 40. *Aſterium Amaſeæ in Ponto Epiſcopum eloquentiſſimos*, ait, *ad populum ſermones habuiſſe.*

Joannes Stiltinghus in *Actis SS. ad diem XXII. Septembr.* ubi de S. Phoca Hortulano Martyre: *Aſterium*, ait, *veneramur, ut Epiſcopum pium, & eloquentem.*

Hæc, non alia, ſuppetebant ad tanti oratoris elogium perſcribendum. Verum hæc pauca, ut ingenue dicam, non minore moleſtia ſteterunt, quam quæ de aliis magno numero ſunt addenſata. Quare grates habendæ mihi, non penuria objicienda. Quod ſi omnino indignari quis velit, ſuperiorum temporum incuriæ indignetur, aut certe ipſe eos adeat, qui omnibus proſtituti ſunt, Dupinum, Tillemontium, Ceillierium &c. hos enim, ut alias dictum, nos adire non ſolemus, quod malumus alios atque alios proferre, atque etiam inde haurire, unde ſua petere & ipſi debuerunt.

CAPUT

* Videatur *Journal des Savans* 1695. *edit. Amſtel.* Ipſam enim verſionem gallicam nanciſci minime potui.

CAPUT II.

Peculiarem eum habere dicendi rationem.

Equidem cogitanti mihi paucitatem eorum, qui de Aſterio literis aliquid conſignaſſent, magis etiam illud dolebat, quod ſic character ejus ægre admodum illuſtrari poſſet, idoneorum judicum velut ſuffragio quodam deſtituto. Verum ubi homilias ejus paulo attentius cœpi excutere, intellexi continuo non eſſe admodum ea de re conquerendum; tam claras enim, tamque conſpicuas notas Aſterius habet, ut & facile diſcernatur a reliquis, & nihil minus hac in parte, quam copia deſiderari a nobis poſſit. Photius *codice* 271 in *Fragment. de cæco a Nativitate*, *pulchritudinem*, ſeu ut Combefiſius vertit, *venuſtum characterem*, *cultamque orationem* illi tribuit, & hoc lydio lapide internoſcit, quæ ejusdem auctoris eſſent, quæ non. Dionyſio Petavio *Theologicorum Dogmatum de Incarnat. Libro XV. cap.* 13. *§.* 7. *Aſterius Amaſeæ in Ponto Epiſcopus ſuavis*, *&* *politus orator* dicitur. Cardinalis Bona in *Notitia Auctorum* homilias ejus vocat *dulciſſimi ſtyli*, *& ad affectus concitandos aptiſſimi.* Ignatius Weitenauer *Subſidior. Libro XI.* ita de Aſterio loquitur: *Nemo Græcorum in homiliis floridiorem ſtylum cum pontificia dignitate felicius conjunxit* *. *Neque obſtant viriles elegantiæ utiliſſimo affectui*, *quem ex intervallo tam apte prodit*, *quam perite ciet.* Ex horum ſententia duo in Aſterio notanda ſunt 1. Dictionis nitidæ, vernantis, delicatæ perpetua & ſingularis jucunditas. 2. Affectus quidam faciles, reique oblatæ quam maxime accomodati. De utroque ſpeciatim, ita tamen agemus, ut quæ omiſſa videntur, diligenter, & curioſe ſuppleamus.

* Idem rurſum *Libro XVII. pag.* 170. *floridiſſimum græcorum Patrum* appellat.

Nitorem quod attinet, & ſuavitatem, nihil eo gratius, atque jucundius. Non enim ita vernat, ac flores ſpargit, ut ſolent ceteri, qui ad Poëticam magis accedunt. Sed nec affectati quidquam habet, fluitque ſua ſponte ac admirabili candore: gemmas interſerit, velut domi prognatas: atque hac ratione pudicum, ut quis alius, ornatum habet, modeſtam pulchritudinem, munditias haud ſane muliebres, ne dicam, longius accerſitas. Nihilominus vel ſic vivacitas in eo tanta elucet, ut exultare quodammodo ipſe Scriptor, & picturæ ſuæ ſpectaculo delectari, res vero, quas depingit, velut oculis ſubjicere videatur; quemadmodum S. Nicephorus Patriarcha ſupra laudatus egregie admonuit. En exemplum hujus ſuavitatis cum lepore, quem dixi, puritate, nativisque coloribus ſic commiſtæ, ut attollat potius, quam deprimat argumentum. *Homilia* 3, *adverſus avaritiam*, deſcribens tenacitatem vitii ejus ita habet:

„ Quotidianam vitæ experientiam interrogemus, cujusmodi fera ſit avaritia, ac quam ægre, quos ſemel prehenderit, elabi ſinat: ut vegeta ſemper, atque valida, nunquam debilitetur, ac deficiat; ſed cum iis, quos ſibi ſubjecerit, conſeneſcat, ac perennet. Libidinoſus, ac corporum amator, tametſi longo inſanierit tempore, voluptatum æſtro percitus, ubi tamen vel ipſe ſeniles attigit annos, vel quam deperiit, exoletam, ac floris extincti videt, remiſſionem tandem, finemque morbi invenit. Guloſus & ipſe a ventris voluptatibus recedit, ſive quando jam eum ſatietas cœpit, ſive cum ſtomachus, ac partes illæ, quibus vis, ac munus concoquendi incumbit, imbecilliores factæ, hiantem illam appetentiam ſedarunt. Ambitioſus, poſtquam in multis ſe jactavit Theatris, ſpectari tandem velle, & inanes flare glorias deſinit. Verum ava-

„ ritiæ

„ ritiæ morbus ejusmodi malum eſt, ut vix unquam
„ eo liberari poſſis, ac ſicut perpetuo virens, atque
„ frondens hedera adſitas irrepens arbores valide
„ circumvolvitur, adhæretque, ac ne ramis quidem
„ fatiſcentibus, aut arefactis recedit, niſi quis fle-
„ xus iſtos, & anguineos quaſi gyros ferro ſecet:
„ ita nec avari mentem, ſive hic juvenis ſit, ſive
„ ſenex, in libertatem facile vindicaris, niſi ſobrio,
„ prudentique conſilio velut machæra morbum di-
„ ſcideris. „

Et *homilia* 5. *in illud:* an liceat homini dimittere uxorem &c. de affectu mariti erga defunctam conjugem ita habet: „ Vir probus, atque in affectu
„ conſtans demortuæ ipſam memoriam conjugis
„ ægre deponit; quin fovet liberos, ac amanter ha-
„ bet, tanquam commune depoſitum matris, ac
„ naturæ, ſpirantemque in eis defunctam ſibi vide-
„ tur conſpicere. Atque hic quidem liberorum
„ maternæ ſimilitudinem vocis præfert: ille de
„ forma, ac lineamentis plurimum hauſit: alius
„ mores, & ingenium parentis repræſentat. Atque
„ ita pater multas habens vivas, lucidasque conju-
„ gis imagines, perpetui conſortii, connubiique
„ ſpeciem animo ſuo informat, atque adeo nullam
„ deinceps voluptatis cogitationem admittit: nec
„ qui hodie ſtruxit defunctæ tumulum, paulo poſt
„ thalamum adornat, aut a lacrimis, ac gemitibus
„ ad nuptialem iterum choream feſtinat: nec ve-
„ ſtem atram, ac lugubrem feſta, ſponſalique ſtola
„ permutat: non in calentem etiamnum a priore
„ matrimonio lectum alteram inducit, autve liberis
„ novercam, odioſum illud nomen, ſuperinducit;
„ ſed turturum non illam quidem a ratione profe-
„ ctam, ſed inſitam a natura caſtitatem imitatur. „

Altera dos Aſterii, pii ſcilicet, facilesque motus ſic aptiſſime ab eo inſeruntur, ut nec vaſtus aliquando, aut tragicus fiat, & ſiccitatem tamen pe-

nitus tollat. Repente enim, cum nihil tale cogitaveris, velut alius comparet, immutat vultum, aſſurgit ſine labore; ſic tamen, ut ornatum, qui eſt in elocutione, ne tum quidem deponat, amœnus ſemper, concinnus, ſplendens; ut nec movere poſſit, quin delectet. Porro breves plerumque ſunt commotiones, ſed ſœcundæ, & quas nullo negotio diducat latius ſacer orator, nec ſecus atque aurea quædam fila longiſſime protendat. Talis eſt ex *homilia* 5. *in Pſalmum* 5. *apud Cotelerium* Proſopopœia ad eum, qui pellicem domi alat.

„ Quod ſi illum, ait, ſervum domina propria „ ſub ſervitutem peccati non redegit, neque te „ ſervum faciat meretrix, o recens illuminate! nec „ ancilla tibi libero concubina ſit meretrix. Pellex „ enim eſt domeſtica ancilla, quæ liberum ſervituti tradit. O oppoſitionem! Joſephum ſervum „ domina peccato non ſubjugavit: & liber dominus efficitur ancillæ ſervus propter animi morbum. Verum cum hujusmodi viro contendet Joſephus in die judicii, ac dicet: Ego in extera regione venditus, peccato venumdatus non ſum, „ nec me extraneum a Deo feci; idque cum non „ accepiſſem legem, Prophetas non didiciſſem, „ non legiſſem Evangelia, ante tamen illa ſcripta „ temperantiæ librum meipſum vitæ eleganter ſcripſi: tu vero nuper baptizate! poſt legem, poſt „ Prophetas, poſt Evangelia, poſt doctrinam, & „ catecheſim, poſt athleticam unctionem, poſt „ ſponſale lavacrum, poſt ſplendidum indumentum ſervus ſervæ factus es, animi perturbatione „ in ſervitutem redactus. Fuge ſervitutem peccati, „ & accipe hæreditatem adoptionis. „

Item *homil.* 11. *de Divite, & Lazaro*, ubi vehementius etiam in divites quosdam luxui addictos concitatur:

„ Hæc

„ Hæc ut habeantur, quot pauperes afficiendi
„ injuria? quot pugnis cædendi orphani? quot lugendum viduis? quot denique miſere dilaniantes
„ ſeipſos hoc reliquum habuerint, uti ad reſtim,
„ & laqueum decurrant? Ejusmodi profecto hominum anima, quaſi lethæa quadam deguſtata aqua,
„ ſui prorſus obliviſcitur, quæ & ipſa ſit, ac cui
„ conjuncta, utque copula hæc quandoque ſit ſolvenda, ipſaque iterum recreatum corpus, ac redivivum domicilium habitura. Ubi autem ſtatum
„ tempus advenerit, ac indeprecabili decreto corporis, ac animæ nexus diſſolvendus erit, prioris vitæ recogitatio animum ſubibit, ſeraque, ac
„ nihil profutura pœnitentia. Tunc enim demum
„ pœnitentia prodeſt, cum, qui mutat propoſitum,
„ emendandi facultatem habet: ſublata vero boni
„ operis copia, ac actione, inutilis dolor, & inanis pœnitudo eſt. „

Leniorem affectum, motusque tenerrimos ciet *homilia* 5, ante laudata, ubi variis ex capitibus maritum uxori conciliat. Loci ſunt plures, nec facile diſtrahi a ſe invicem poſſunt, unde ſatius in auctore ipſo legentur.

Præcipuus vero fons, unde affectum haurit, Ethopœia, ac Hypotypoſes ſunt, quibus ubique mirum quantum ille abundat. Atque hoc ita extollit Combefiſius in *Notis ad Homiliam* 11. de avaritia, ut affirmet: *Ubique Aſterius divinum quid, ac ſumme cultum præfert in deſcriptionibus ſuis.* Audiamus unum ſaltem exemplum, ſed quod ſit loco plurimorum ex *Homilia* 6. *in Danielem Prophetam, & Suſannam* de ſpurciſſimis illis ſenibus:

„ Ubi, inquam, obſecrarunt, nec fuerunt auditi; comminati ſunt, nec perterruerunt: deinceps jam malo œſtro perciti homines, conſilii inopes fiunt, ac utrinque duabus maximis rebus
„ anguntur, quod ſint fraudati deſiderio, quodque

„ ſce-

„ ſceleris argui poſſint. Suunt autem calumniam „ ſceleſta capita, ac mali ſolutionem aliud excogi- „ tant malum, velamenque mœchiæ necem in- „ ſtruunt. Peccator enim, poſtquam in prima de- „ licta inciderit, ceu fune primo peccato reliquas „ conſequenter iniquitates attrahit. Ac vero bona „ bonis oriuntur, malis autem procreantur ſimilia. „ Quocirca nunc quoque adulterii fructus cædes „ ſubgerminat, citoque ceu pro magno fœminæ „ ſcelere concilium ſedet, ac multitudo judicium „ ſpectatura in concionem vocatur. Porro iidem „ ipſi accuſatores, ac judices erant, fidemque ca- „ lumniam ſtruens canities habebat: juventus autem „ calumniam patiens ab obtinente opinione præju- „ dicium ferebat. Ad hæc excitatus populus, id- „ que patiens, quod ab ſtolido impetu populus pati „ ſolet, errore indignabatur, ſenumque impetum „ una ſequebatur. Reæ actæ fœminæ parentes la- „ mentabantur: lugebat maritus triſtem caſum: „ filii hinc inde matri in periculo verſanti hærentes, „ lugubre quid vociferabantur: genus univerſum „ præ pudore abſcondebatur. Præclari autem illi „ judices, ac caſtitatis vindices honeſte pallio ob- „ tectam (neque enim vel in malorum confuſione „ ſui ipſa obliviſcebatur, honeſtatis habitum ha- „ bens) honeſto ejusmodi tegumento nudari juſſe- „ re, quo pro mœchiæ tribunali mœchiam operan- „ tes judicandæ mulieris aſpectu turpem cupidita- „ tem ſedarent. Sed & manus capiti imponentes „ pro latæ ſymbolo damnationis, mundum illud „ corpus impudici homines contactu polluebant, „ ac contra eam belli veritatis præſides falſum pro „ concione orabant. Ubi porro perſuaſo populo „ jam ſententia lata eſſet, ac pœna inſtaret, tunc „ calumniam paſſa mulier ad judicum illum Judi- „ cem aſpexit, cauſæ remiſſionem ab hominibus „ in Deum tranſtulit, invocavit tribunal illud,

„ quod

„ quod falli nequit. Nec veritas quidquam tar-
„ davit. „

Dictis duabus Aſterii dotibus ego tertiam addo, Pompam videlicet, ac ſplendorem ſingularem, quem toties expromit, quoties ſeu conditio materiæ, ſeu ratio propoſiti poſtulare videntur. Quam enim magnifice *homilia* 10. *in SS. Martyres* de eorum præmiis, & perſecutorum exitu ſermonem inſtituit?

„ Ubique autem terrarum, ac maris decantan-
„ tur Martyres. Id plane congrue, atque merito.
„ Non enim communi ratione geſſerunt juſtitiam,
„ ſed ipſo corpore bajularunt crucem: non diſper-
„ ſerunt pecunias, ſed ſanguinem effuderunt: non
„ miſerati ſunt pauperum, ſed nec ſui ipſorum ſunt
„ miſerti: non inviſerunt afflictum in carcere, ſed
„ ipſi catenas portaverunt. Quamobrem eam glo-
„ riam, ac honorem conſecuti ſunt, qui æquis mo-
„ dis patientiæ ejusmodi, ac malis reſponderet. In
„ hunc itaque modum Martyres. At ubi eorum Ty-
„ ranni, ac occiſores, qui alta ſapiebant, ac ſuper-
„ ba comminabantur? qui ſuper excelſos thronos
„ ſederunt, nec ſuum principem agnoverunt? Ru-
„ gierunt Leonum inſtar, pardis velocius cucurre-
„ runt, urſis ferocius diſcerpſerunt, velut lupi ſan-
„ guinem effuderunt, tanquam vulpes dolum fe-
„ cerunt. Ii vero tales jacent ipſis mortuis abomi-
„ nabiliores, vitam ſuam oblivione obtexerunt,
„ infernum habent ſepulchrum, titulumque impie-
„ tatem, ac memoriam infamiam. Incaſſum eos
„ pœnitet, fruſtra gemunt. Eos autem, quos illi
„ dehoneſtarunt, ſempiterna excepit memoria, ac
„ laus ſenii expers. Quamdiu enim rerum geſta-
„ rum narrationem, atque honores ætate juniores
„ a ſenioribus ſuſcipiunt, avusque nepoti, ſive
„ etiam pater filio eorum tradunt cultum, immor-
„ talem laudem efficiunt, ac ceu inviolabilem quam-

„ dam

„ dam hæreditatem haſce ſæculo celebritates per „ ſucceſſiones conſervatas transmittunt, rem quo- „ que multis hæreditate chariorem. Nam hæredi- „ tatis bona vel fur abſtulerit, vel hoſtis acceperit „ ſpolii loco, vel rerum adverſus caſus evacuave- „ rit: virorum autem ſanctorum memoriæ feſtam „ lucem nullus exciderit annus. Quamdiu anni „ erunt, ac curret tempus, cœlumque habebit ſo- „ lem, ac terra paſcet ſuas animantes, mareque „ item proprias, quin imo, ut verius dicam, his „ quoque ceſſantibus elementis, tametſi putent ali- „ qui, nunquam tamen Martyrum, ac juſtorum „ gloria extinguetur, nec cum creato mundo viſi- „ bili morientur, quæ eorum celebris memoriæ „ ſunt, quin & majori tunc decore florebunt, trans- „ mutata in vitam incorruptam humana natura. „

Sed neque gravitas, atque ſublimitas pompæ, & ſplendori ſemper vicinæ, Aſterio defuerunt. Quam enim excelſa ſunt, quæ ſequuntur ex *homilia* 4. *in Feſtum Kalendarum*?

„ Et quis quæſo finis? utique vanitas. Poſt „ omnia exiguus tumulus, paucisque obolis com- „ parata veſtis, corpuſculum obtegens, ac paulo „ poſt neceſſarium temporis malum oblivio, quæ „ cuncta, circa quæ ſudaveris, tenebris involvat: „ adhæc denique divinum judicium, ac malæ vo- „ luntatis indeprecabilis pœna. Ubinam Conſules, „ & faſces? Eos enumera, ac recogita, qui heri, „ ac nudius tertius extitere, Nonne hic quidem, „ ut facinoroſus aliquis per repentinam armatæ mul- „ titudinis ſeditionem capite truncatus eſt, oſten- „ tatusque majore poſt necem pompa, quam cum „ in curru ſublimis pro magiſtratu, ac honore ge- „ ſtiret: alter vero, cum prætoris munere eundem „ ipſe adeptus honorem, in Ægypti, atque Lybiæ „ extremis finibus, in locis arenoſis, & humoris „ omnis, humanique cultus expertibus, damna-

„ tionis

„ tionis ſupplicium fugiens, miſerrime extinctus „ eſt? Quid de eo dicemus, qui & ipſe olim Conſul, ac Prætor, in terra nunc Colchide agens, „ ejusce regionis barbarorum humanitati vitam, ac „ ſpiritum debet? Illum autem Præfectum ante, „ invictum illum, ut putabatur, ac leonini pectoris,qualis vitæ cataſtrophe excepit? Primum quidem filium ſuum vidit capite truncatum: tum & „ ipſe poſtea capitali ſententia damnatus eſt, laqueoque jam gulæ admoto, clementia Principis „ manibus carnificis exemptus eſt, ut quantulum „ ætati ſupererat, ſenex in dolore, & calamitate, „ ſenſuque malorum exigens, ac plenus dedecoris, „ & ignominiæ, tali magni conſulatus exitu, vita decederet. Ille autem ſuperiori anno gigantea prorſus facinora, atque etiam majora molitus, cujus „ ſexus in dubium vocabatur, quique heriles (virgas) effugiens, faſces conſulares affectavit, ac „ tantum telluris poſſedit, quantum nec facile nominare: quique nunc exigua conditus humo, „ & quantulam ei nonnemo miſeratione motus impertiit. Non igitur vere juxta Sapientem illum „ Eccleſiaſtem, ſiqua talia, cuncta vanitas vanitatum, ac vel ampliſſimæ dignitates inania quædam „ viſa, & oſtenta ſunt ſomniorum? quæ cum ad „ breve oblectarint tempus, poſtmodum diffugiant, cumque aliquantum floruerint, ſubito „ marceſcant. „

Sed neque acrimoniam, & naſum deſideres in corpore iſto homiliarum. Quam enim *homilia 6.* quam diximus, mordet ſenes in Suſannæ pomarium irrepentes?

„ O ſceleſti ſenes, exclamat, ac populi principes, innumeros ad emendationem neceſſarios „ habentes pædagogos! legitimo fœdere junctarum „ nuptiarum inſidiatores, maligni caſtitatis aucupes, „ ſubtiles dolorum inſtructores, calumniæ prompti „ inven-

„ inventores! Scortationem labiorum tenus damna-
„ tis, & adornatis adulterium, aliorum medici,
„ plenique ipſi morbo. Sepulchra dealbata, intus
„ immunditie plena, externa vero ſuperficie orna-
„ ta: ſublimes, ac in judicum ſedibus præſidentes,
„ tumque cum ſcortari voluiſtis, inter arbuſtorum
„ denſa, ac dumeta adrepentes! Riſit, cum vide-
„ ret, prævaricationum doctor, ac malorum con-
„ ſiliarius, ut principes populi, ut viri proceres,
„ ac delecti, ceu ſepulchrorum effoſſores quidam,
„ ac latrones, impudico recreandi ſpectaculo, ventrem
„ traheretis, vulpiumque more latitaretis inter du-
„ meta, quæ nimirum e nemoroſis, ac umbroſis
„ locis domeſticis inſidiantes avibus, in eas, dum
„ incaute paſcuntur, inſiliunt. O ſimilem illi ma-
„ litiam, quam humanorum ille animorum lues
„ a principio in finem usque molitur! In horto
„ primum corruit ſublimis homo: nunc quoque in
„ horto viri ſenes a ſerpente acti a prima illa, ac
„ principali gloria excidunt, quique judices erant,
„ præjudicio damnati fiunt, alieni a vita, ac opera-
„ rii peccati. „

Multo etiam falſiora dat *homilia* 3. *in Avaritiam* cum ejusmodi ſilicernium: ſordidumque euclionem fuſe, atque ad vivum expingit.

Hæc exempla ſpectantibus nobis clara eloquentiæ hujus ſpecies offertur, nec deſiderabimus Photium, qui decerpſiſſe quædam Aſterii contentus, characterem in *Bibliotheca* ſua minime expinxit: ſed neque in *Amphilochianis*, ubi nova ſe dabat occaſio, quidquam de ejus ſtylo commemorat. Etſi ergo haud dubie gratiam a nobis majorem iniviſſet Criticum agendo potius, quam Notarium: cur, quæſo, iſtuc moremur, & ab alio expectemus, quod melius multo, atque etiam facilius ipſe auctor præſtitit? Forte autem (ut erat perſpicax Photius) ideo ferre judicium de Aſterio noluit, quod obviam ejus lectio-

lectionem ſufficere putabat ad diſcernendum eum a ceteris, guſtumque viri penitus combibendum. Hæc fuſius, cum quod a locis auctorum adducendis ſpatium eſſet, tum etiam, ut Aſterium deinceps melius norint, quorum intereſt, viſisque ejusdem locis quibusdam, hac velut promulſide ineſcati, facilius adduci ſe ad ſummi oratoris lectionem patiantur. Ita enim & in Paciano fecimus libro priore, & in Iſidoro Peluſiota, Georgio Nicomedienſi, & aliis quibusdam hoc ipſo libro iterum faciemus.

CAPUT III.

Quibus locis maxime placeat, & afficiat Lectorem.

Si Combefiſium audimus, nulla præſtantior inter homilias Aſterii, quam quæ numero octava ponitur *in Sanctos Principes Apoſtolos Petrum & Paulum.* Hanc enim & in *Præfatione Aſterii palmariam fere orationem* dicit, & in *Notis* ſic commendat, ut ambitióſius vix poſſet; ait enim: *Videatur merito oratio hæc inter Aſterianas palmam ferre, digna plane, ut tamdiu occultata, ac in Græcia latitans, in Occidente tandem, ubi Apoſtolorum Petri, & Pauli clarior gloria, lucem aſpiceret. . . . Plana ſunt, atque perſpicua, ſuisque abunde fulgoribus clara, in utriusque hic Apoſtoli, ac maxime Petri laudem, quam vere, tam culte, & ex arte ab Aſterio digeſta: vixque alius Petri primatum, ac excellentiam ſupra Apoſtolos reliquos, Chriſtique vicariam dignitatem ac officium fundandæ, regendæque Eccleſiæ illuſtrius illo explicaverit.* Sed forte pluſculum id loci officiis indulſit Editor, quam cenſorio rigori; quod enim a Galliæ Cancellario ſermonem acceperat, huncque eidem cum ceteris nuncupaverat, urbanitatis genus fuit, paulo expreſſius illum celebrare. Verum utcunque iſta ſe habeant, & reapſe ſic viſum ſit Combefiſio, nobis

ſecus videtur, ſiquidem de ſola, ut hactenus, eloquentia volumus pronuntiare. Eſt certe oratio hæc omnium fuſiſſima, ubi elegans habetur admiratio Petri, concione una tria virorum millia ad fidem chriſti adducentis: ubi egregie illuſtratur ejusdem confeſſio, & pulchrius etiam, nervoſiusque applicatur, Arium inde, atque Eunomium recta petendo: accedit mutatio Pauli vincientis ante, nunc vincti propter chriſtum, & turbatio ejus cauſa qua Damaſci, qua Hieroſolymis orta: præclare etiam conſtantia ejus, facundia, labores, raptusque in cœlum prædicantur. Verum ejusmodi locos, aut etiam pulchriores paſſim in aliis Aſterii ſermonibus reperias. Itaque ſi hanc in principes Apoſtolos æquare cum aliis quis velit, non contendam: ſi præferre illis, minime feram.

Porro mihi maxime ſemper arriſerunt homilia 3[tia], *adverſus avaritiam,* & ϛ[ta], *in illud Evangelii:* an liceat homini dimittere uxorem quacumque ex cauſa. Et puto mecum ſentiet, quisquis attente, & ſine præjudicio comparare illas cum ceteris inſtituerit.

Sequitur 2[da] *de œconomo inquitatis*, quæ iſtuc habet peculiare, quod præclare diviſa eſt, & ſcopo quam preſſiſſime inhæret.

Hanc excipit *homilia 6[ta], in Danielem Prophetam, & Suſannam,* quam mirifice in *Notis* Combefiſius extollit; ait enim: *Ut plura nobis Aſterius eo charactere reliquiſſet expoſita, quo hanc Danielis, ac Suſannæ hiſtoriam exponit, haud admodum neceſſarias haberemus aliorum* ἐκφράσεις *ac* μεταφράσεις; *cum unus ipſe omnium loco, eo in genere, ſatis videretur: ſic clare paucis omnia ediſſerit, illuſtratque.* Et iterum: *Sic terſa omnia hoc encomio, ut præſtet attentius legere, ac delectari, quam notas recenſere.*

Porro *Enarratio in Martyrium præclariſſimæ Mar-*

Martyris Euphemiæ, quæ breviuscula eſt, neque dicta ad populum, haudquaquam poni debet intra ordinem concionum. Ceterum admirandam dico, & numeris omnibus eo in genere abſolutam. Theodorus Catanæ Epiſcopus, ſupra capite primo laudatus, haud obſcure indicat, hujus ſe imaginius aſpectu vehementer compunctum eſſe. S. Nicephorus Patriarcha *antirrhetico* 2. quod diximus, eandem a lenocinio, modulatione, ac pigmentis vehementer celebravit. *Hos*; inquit (Baſilium, ac utrumque Gregorium) *ſequatur Aſterius ille Amaſeæ quondam civitatis Epiſcopus, mirabili quodam lenocinio ecphraſin illam modulans, ſuavem cantum emittens, ut quis ita poëtice loquatur: ac rurſum ſacram illam picturam celebratiſſimæ Martyris contempletur, ac miretur pictorum artem, coneturque immenſum efferre, ac adverſus artem verba inſtruat, num oratorum cedant pigmenta.* Photius quoque *cod. dato*, ut omnibus notam ponit pulcherrimam deſcriptionem. Combefiſius haud contentus *pulcherrimam plane* dicere, & *planam*, mox cauſatus, fragmenta latina, quæ extabant *Tomo V. & VI. Conciliorum*, longe abeſſe a venuſtate ea, quam ibi Nicephorus ſuſpexiſſet, conatum ſe, ait, latinius reddere, ac expreſſius, expertum tamen *Aſterii ſuavem modulationem omnem conatum ſuperare.*

Reſidui Sermones, etſi ad hos non omnino accedunt, ſeu ordinem ſeu copiam atque ornatum ſpectes, tamen præſtantes & ipſi locos habent. Tales ſunt

In 1. Concitatio in luxum, atque etiam hypotypoſis Lazari vivis coloribus adumbrata.

In 4. graviter, & ad oculum exhibet ineptias ad Feſtum Kalendarum fieri ſolitas.

In 7. quem Combefiſius *plane luculentum* dicit, mirum, quantum oculi deſcriptio placeat, quam præter Raynaudum, ante memoratum, Photius etiam ſummopere æſtimavit.

In 9. inſignis eſt Narratio de S. Phoca, qui occiſoribus ſuis hoſpitio exceptis, cum minime agnoſceretur, ultro ſe ipſe prodidit.

In 10. graviſſimus occurrit locus, quo cavere nos jubet, ne SS. Martyres accuſatores aliquando noſtri ex Patronis evadant. Item alius de utilitatibus, quæ ex ſacris eorumdem exuviis ſolent exiſtere. Sed & fuſe, ac ſplendide in Anomæos Hagiomachos excurrit.

In 12. ante Proclo ſuppoſita, nunc ex Photio, ipſoque ſtylo auctori Aſterio aſſerta, ſplendidum habes exordium. Egregie etiam Martyris oratio, certamen, & pretioſa mors deſcribuntur.

Excerpta Photiana non eſt, cur hic percurram. Præterquam enim, quod duo jam continentur in homiliis ſupra recenſitis, cetera quoque nihil fere niſi fragmenta ſunt, ex quibus utique ſententia ferri nulla poteſt. Etſi non negem, quod ait Combefiſius, *tantum eſſe Aſterium, ut in ſuis quoque reliquiis, ac excerptis placeat plurimum, juvetque.*

Eiusdem Aſterii *homiliæ ſeptem in Pſalmum* 5, 6, *&* 7. quas doctiſſimo Viro Cotelerio debemus, minime ſunt omittendæ. Etſi enim per argumentum non ita ibi licuit facundiam venditare, habent tamen & illæ locos haud pœnitendos, quorum unum capite ſecundo jam adſcripſi. Maxime placuit ille *homilia* 2, quando ex moleſtiis, ob hæreditatem terrenam ſuſceptis, prudenter hortatur, uti magis pro cœleſti atque æterna laboremus.

Porro nomen Aſterii recte codicibus inſcribi, & ſermones hos, ſive ſtylum, ſive doctrinam ſpectemus, egregie auctori noſtro convenire, cenſet idem Cotelerius; qui vult, etiam alium quemdam ſermonem *in Pſalmum* 4. apud Chryſoſtomum Savilii

vilii *Tomo VII. pag.* 431. vindicari Aſterio, atque iſtis adjungi oportere.

Si quis præter dicta aliquid deſideret, adire poteſt Raynaudum, Combefiſium & Cotelerium, jam citatos: & eos, qui Hiſtoriam eccleſiaſticam tractant, deque antiquis Eccleſiæ Scriptoribus cum laude memorant.

DISSERTATIO VIII.

De Eloquentia S. Joannis *Chryſoſtomi.*

Nemini mirum videri debet, ſi de Sancto hoc paulo proxilior, quam de ceteris tractatio nobis futura ſit, cum ad id faciendum præter communes cauſas propriam præterea, & peculiarem quamdam rationem habeamus. Ut enim ingenue fatear, hunc ego virum, dono providentiæ maximo donatum Eccleſiæ, ex quo legere cœpi, nominare vix poſſum, quin geſtiam præ gaudio, & lætitiis omnibus incedam. Neque, puto, aliter animati erunt, quotquot recte de Eloquentia ſacra ſtatuunt, rerumque illius cognitionem aliquam ſunt conſecuti.

CAPUT I.

Panegyris eloquentiæ ejus.

Chryſoſtomus nobili genere, lautaque fortuna natus Antiochiæ, inſtitutionem habuit oppido eruditam, & ſalutarem. Traditus eſt enim ſummis præceptoribus, & principibus ejus ævi Libanio, & Andragathio, a quibus oratoriam, & Philoſophiam edoceretur. Itaque annum agens octavum & decimum, cum graviſſimis eſſet moribus, & ſumma ingenii felicitate bonas literas omnes peccurriſſet, aſſiduo labore & lubricam ætatem coërcuit, & opes eas comportavit, quibus totum

 aliquando

aliquando orbem erat ditaturus. Ad dicendum veluti natura factus, dum eum in modum foro, ac præfecturis paratur, cauſas declamare cœpit, eo ſucceſſu, & approbatione, ut in exiſtimatione, imo admiratione omnium eſſet. Ipſe adeo Libanius, cui laudationem Cæſarum miſerat, ſingulari Joannem elogio celebravit, id quod ex diſcipulo ejus S. Iſidoro Peluſiota totum audiſſe minime profecto pœnitebit. Sic autem *Libro II. epiſt.* 42. *ad Ophelium Grammaticum* Iſidorus ſcribit: „Quod „ non dicam alii (parvum enim id fortaſſe pleris„ que videri queat) verum etiam ipſe Libanius, „ qui eloquentiæ nomine apud omnes clarus, ac „ celebris eſt, præclari viri Joannis linguam, ac „ ſententiarum pulcritudinem, & argumentorum „ denſitatem ad ſtuporem uſque miratus ſit, argu„ mento eſt ea epiſtola, in qua non modo eum, „ qui tanta dicendi facultate præditus ſit, beatum „ prædicat, verum etiam eos, quorum laudes ora„ tione celebrarat, & quidem, qui Imperatores „ eſſent, quod ejuſmodi laudum ſuarum præco„ nem conſecuti eſſent. Hujus autem Epiſtolæ „ hoc exemplum eſt.

„ Libanius Joanni ſalutem.

„ Cum pulcram tuam, & elegantem orationem „ accepiſſem, viris quibusdam, qui & ipſi oratio„ num opifices, & architecti ſunt, eam legi. „ Quorum nullus erat, qui non ſaltaret, & cla„ morem ederet, eaque omnia faceret, quæ ho„ mines admiratione perculſi, & attoniti facere „ ſolent. Ego igitur eo nomine voluptate affe„ ctus ſum, quod ad forenſem operam, in qua „ artis ſpecimen edis, demonſtrativum quoque di„ cendi genus adjungis. Atque & te beatum „ duco, qui ad hunc modum laudare queas, & „ item eos, qui talem laudum ſuarum præconem „ nacti ſunt, hoc eſt, & patrem, qui imperium „ dedit,

„ dedit, & filios, qui acceperunt. Atque hæc „ quidem ſcripſit Libanius.„

Sed non diu forum ſectatus eſt Joannes. Familiaritate enim ſancti Meletii Antiohiæ Epiſcopi facile adductus, ut baptizari ſe ſineret, brevi poſt Lector ordinatur: ac rerum fluxarum odio cum æqualibus nonnullis, quos exemplo trahebat, in ſolitudinem ſeceſſit: atque hic Diodoro Tarſenſi, & Carterio Doctoribus ſacris literis ſe totum involvit, ea contentione animi, vitæque auſteritate, ut attritis viribus, & graviſſima valetudine contracta, deníque miſſum facere id vitæ genus cogeretur.

Itaque in patriam cum veniſſet, & tot prælúdiis ad orandi munus comparatus eſſet, Diaconus, & Presbyter conſecratus, ac demum propter ſcientiæ, & probitatis opinionem ad populum juſſus dicere, brevi cum ſermone, tum ſcriptis tantam invenit celebritatem, qualem nemo hucuſque apud Græcos eſt conſecutus. Ingentes ad eum fiebant concurſus, & toto oriente in omnium ore Joannes Presbyter verſabatur. Populo enim quaſi legibus imperare, atque animorum habenas moderari eſt viſus, quod miraculo quodam facundiæ, quæ ipſe nollet, diſſuaderet, omnibus, eoque rem deduceret, uti homines, quibus maxime rebus afficiebantur, in perpetuum renuntiarent. Sed Sozomenum audiamus. *Erat*, inquit, *Antiochiæ ad Orontem Presbyter quidam, nomine Joannes, nobili genere natus, vita integer, dicendi, perſuadendique artifex egregius, & omnium ſui temporis oratorum præſtantiſſimus, ſicut Libanius Syrus Sophiſta teſtatus eſt. Nam cum moriturus eſſet, percontantibus amicis, quis in ejus locum ſuccederet: Joannes, inquit, niſi chriſtiani illum ſubripuiſſent* *. Addit alia de

 fructu

* *Libr. VIII. hiſtor. cap.* 2.

fructu concionum ejus, quem magnam partem exemplo, vitæque ſanctitati adſcribit. Nunquam ergo populus eum audiendo ſatiari poterat; & dum nemo non propius accedere, atque clarius audire hominem cupit, ſæpe factum, ut periculum ſibi accerſerent, dum conferti inter ſe premuntur, & cubitis alii alios ſubmoventes veluti fluctus inter ſeſe colliduntur. Quod ut vitarent alii, præoccupabant ſedes; & quo die dicturus erat, ſummo mane auditoria complebant. Ipſe *Hom.* 86. *in Matth.* teſtatur de Antiochenis: *Per Dei gratiam puto eos, qui hic congregantur, ad centum mille pertingere.* Urbe ego tota ad audiendum effuſa, minime mirum, innumeros loco excluſos, alios tantum non compreſſos eſſe. Cum vero jam a duodecim annis tanta aviditate audiretur, per fraudem patriæ ereptus, atque ad Regiæ urbis ſummum Sacerdotium evectus eſt. Hic vero brevi apparuit, quis eſſet. Nam & hæreticos compeſcuit, & Clerum emendavit, & luxum, avaritiam, juramenta, ſpectacula, meretricatum repreſſit, ac virtutes, maxime eleemoſynam, orationem, temperantiam ita invexit, ut aliam veluti faciem indueret civitas, & mutationem morum populus ipſe impendio miraretur. Refert. Sozomenus *Libro VIII. cap.* 5. quo plures vocem perciperent, coactum non noſtro more e cathedra, ſed ſuggeſtu Lectoris dicere, media in Eccleſia erecto. Verbo dicam, triennio non toto ea Conſtantinopoli geſſit, quæ credere poſteritas vix poſſet, niſi fide monumentorum, & graviſſimis teſtimoniis convinceretur. Ut vero hic famam eloquentiæ ex magna maximam fecit, bonorumque omnium amorem ſibi conciliavit, ita invidiam declinare non potuit. Zelo enim ac libertati ſuæ cum fræna in eo campo laxaſſet, apud Magnates, aulamque Cæſaris graviſſime impegit: ex quo deinceps mala ejus

omnia

omnia conſecuta ſunt. Verum & his demum eloquentiæ beneficio ſuperior evaſit, id quod Libro primo Diſſertatione quinta, loco videlicet ſuo, copioſe a nobis eſt declaratum. Nunc more noſtro laudes eloquentiæ ejus a Patribus, ceterisque Scriptoribus petendæ ſunt.

S. COELESTINUS PAPA *epiſt. ad Clerum, & populum Conſtantinopol.* * Joannem dicit, *ſacerdotem doctrina, & ſanctitate pollentem*; *ejus vero ſermonem toto orbe diffuſum eſſe* aſſerit. *Nuſquam*, addit, *per doctrinam ſuam defuiſſe; quia ubicunque lectus eſſet, prædicaſſet.*

S. NILUS Abbas, Chryſoſtomi diſcipulus, vir & ipſe in paucis diſertus *Libro II. epiſt.* 265. *ad Arcadium Imperatorem* Chryſoſtomum vocat *Eccleſiæ columnam, veritatis lumen, chriſti tubam.* & *Libro III. epiſt.* 271. *Maximum orbis terrarum lumen* dicit. Denique *libro I. epiſt.* 184. *Quot putas*, exclamat, *ſeipſos beatos ducunt, quod divi Joannis conſtantinopolitani Epiſcopi ſermonibus uti digni habiti ſunt!*

S. ISIDORUS PELUSIOTA *Libro IV. Epiſt.* 224. *in illud*: Lupi, & agni ſimul paſcentur: „ Vehementer miror, inquit, qui factum ſit, cum gloria ſcriptorum, quæ ſapientiſſimus Joannes poſt ſe reliquit, paſſim terrarum diſperſorum, uſque ad terminos terræ, & maris extremos penetrarit, ut tuam tamen ruditatem non attigerit. „ Dum autem hoc miror, non in ipſum confero „ culpam, ſed tuam extremam reprehendo ſocordiam, ac ſupinam negligentiam, cui idem plane „ accidit, quod illis ſolet, qui in ipſo conſiſtente „ meridie, & pura ſerenitate, ſolem tamen non „ vident; quod facultas videndi penitus ſit ipſis „ extincta. Per ea namque, quæ pro te excuſando affers, magis accuſas teipſum, quod vide- „ licet

L 5

* *Tom. III. Concilior. colum.* 365.

„ licet nullo rerum pulcrarum amore tangaris.
„ Quis enim eſt, qui illis non capiatur? quis eſt
„ ex hominibus poſt ipſum natis, qui non gratiam
„ habeat divinæ providentiæ, quod poſt ipſum
„ natus ſit? quodque non abierit expers, & igna-
„ rus divinæ illius lyræ, quæ fabulam muſicam,
„ cui ob eorum, quæ de ipſa celebrantur, magni-
„ tudinem, non injuria fides derogatur, ſibi ar-
„ rogavit? Non enim feras beſtias divina illa
„ ſua muſica capi fecit, ſed ferinis moribus prædi-
„ tos homines manſuetos reddidit, feritatem ipſo-
„ rum mitem, ac cicurem faciens, & ad manſue-
„ tudinem, ac concinnitatem quamdam traducens.
„ Lupi enim, & agni non formà, ſed moribus, pace
„ invicem facta in idem convenerunt. Attinge
„ igitur illam lyram; ita fiet, ut omnis, quæ
„ nunc in te exultat, ruditas, atque inſulſitas pror-
„ ſus abeat, & concinnæ illi muſicæ concedens,
„ locum det. „

PALLADIUS Helenopoleos Epiſcopus in *Dialogo: omnium*, inquit, *corda mirabili facundia*, *ſcripturarum dulcedine ornata*, *ad ſe rapiebat. Quam multos, quàm pulcros*, *quam neceſſarios*, *plenosque utilitatis tractatus ediderit, quis referre ſufficit!*

S. CYRILLUS ALEXANDRINUS *Epiſt.* 8. *ad Conſtantinopolit.* de Neſtorio hæretico, facundiæ cauſa ubique decantato: *numquid*, interrogat, *eloquentior eſt Joanne?*

S. EUCHERIUS *Parœneſi ad Valerianum* maximam facundiæ claritatem Joanni tribuit.

THEODORETUS *Libro I. cap.* 34. Joannem *magnum Doctorem orbis terrarum*, & in *Dialog. contra Eutych. magnum orbis terrarum lumen*, rurſum in breviario quinque orationum apud *Photium cod.* 273. *os Eccleſiæ* appellat. Iterum, *Da nobis*, rogat, *illam immortalem linguam; ſola enim tua lingua par eſt ad enarrandas res tuas.* Demum

ſublimiſſi-

ſublimiſſima phraſi: *Quando Joannem*, ait, *aliquis nominat*, *magnus ſonus exauditur*. Mitto alios Theodoreti & plures quidem locos.

S. Proclus, in *Tractat. de Tradit. divin. Miſſ. aurea præditum lingua* dicit: & in *Panegyrico*, poſtquam alia quam plurima Joannis elogia cumulavit, *Nullus*, inquit, *digne laudabit Joannem*, *dum non ſit alius Joannes.*

Facundus Hermianensis in *Defenſ. trium Capitulorum Libr. IV. initio*, ſeu *cap.* 1. vocat eum *ſuaviſſimum Eccleſiæ Patrem*, *melle attico dulciorem.* Et ſtatim: virum *vitæ probabilis*, & *facundiæ ſingularis.* Et iterum *inferius*, ſeu *cap.* 2. *Os aureum: Eloquentiſſimum.* Rurſum: *Libr. VII. c.* 7. *Clariſſimum Doctorem Eccleſiæ*, & *Confeſſorem fortiſſimum veritatis: qui* (ut præterea ait *Libr. VIII. c.* 5.) *Univerſum mundum doctrina complevit.*

S. Isidorus Hispalensis *Libro de Illuſtrib. Eccleſ. Scriptorib. cap.* 6. *Joannes*, ait, *Conſtantinopolitanæ ſedis epiſcopus*, *cognomento Chryſoſtomus*, *cujus oratio & plurimam cordis compunctionem*, & *magnam ſuaviloquentiam tribuit. Editit iſte græco eloquio multa*, & *præclara opuſcula*, *quibus utitur latinitas.* Addit, jam ſuo tempore *ſi non omnia, tamen quamplurima eloquentiæ ejus fluenta in ſermonem latinum translata eſſe.*

Sophronius in *ſupplement. Catalogi Hieronymiani*, aut alius potius, qui ex vetuſtiſſimo codice adjecit: *Per totum orbem ſcripta ejus tam græco ſermone edita*, *quam latine translata*, *velut fulgura diſcurrentia micant.*

Joannes Moschus in *Prat. ſpirit. cap.* 191. Sanctum noſtrum affirmat, juſte, & digniſſime pro puritate doctrinæ, & ſplendore venuſtiſſimi eloquii Chryſoſtomum cognominatum eſſe.

Joannes Euchaitarum Epiſcopus *Encomio in SS. Baſilium*, *Gregorium*, & *Chryſoſtomum: Hoc*

vero

vero, ait, neceſſe eſt de eo dicere, quod omnibus etiam Græciæ ſapientibus antecelluerit, tum ſcientia, tum maxime cogitandi acumine, floridoque genere dicendi: laudandus etiam, quod Codices ſacros tanta explicavit claritate, quanta alius nemo.

PHILOTHEUS PATRIARCHA Conſtantinop. *Laudatione in eosdem Doctores* inter alia ait, multitudinem, & elegantiam ſcriptorum ejus non ſolum neminem pro dignitate laudare, ſed nec particulatim ſaltem enarrare, & deſcribere utcunque poſſe, niſi cyatho atlanticum mare, & cotyla vaſtum Nilum metiri, aut Euphratem exhaurire velit. Subdit, illa mundum omnem complexa non ad Græcos tantum, atque Romanos, ſed Syros quoque, Ægyptios, Mauros, Hiſpanos, Gothos, Triballos, Scythas omniumque barbarorum linguas ingenti gloria, atque admiratione ſe diffudiſſe.

Neque jactantius hæc dicit Philotheus; quod certum ſit *oris aurei* vocabulum Joanni apud Græcos quidem jam quinto, apud Latinos autem ſexto ſæculo velut communi nationum conſenſu delatum fuiſſe. Atque iſta nunc teſtimonia ſufficere poſſent: verum Nicephoro, etſi junior eſt, & in geſtis viri Sancti parum accurate verſatur, illud non videtur negandum, uti propter eximium, quem erga eum præfert, amorem, ipſe quoque audiatur: atque ita hoc veluti agmen claudat: *Ego vero*, ait *Libro XIII. cap.* 7. *ſupra mille ejus viri lucubrationes legi, ineffabili quadam ſuavitate diffluentes. Jam enim inde ab adoleſcentia amore ejus flagravi, atque in illius, perinde, atque Dei ipſius vocibus acquievi, atque ſi quid mihi eſt eruditionis, id ei acceptum fero. Multis etiam ex ſectatoribus meis perſuaſi, ut omnibus relictis illum ſibi familiarem facerent.* Ex quo loco maxime conſtat, quantum conſequentibus etiam ſæculis Chryſoſtomi eloquentiæ apud Græcos ſuos tribueretur.

His

His præmiſſis nunc præſtantiſſimos ex noſtratibus Criticis, Concionatoribus, atque eloquentiæ Magiſtris adjungo.

Et inter Criticos quidem Justus Lipsius quærenti Auberto Miræo, quos ſibi Patres pro concionibus legendos ſuaderet, *mihi*, reſpondit *, *inter omnes Græcos placet Chryſoſtomus lectus, qui copiam, varietatem, figuras, & flexus ſermonis dabit; denique & ornamentum grande, & quod plauſus movet, ſimilitudines, atque imagines, quibus ſcatet.*

Theophilus Raynaudus *Tomo XVIII. pag.* 378. Chryſoſtomum *Chriſtianæ facundiæ primicerium* nominat.

Cardinalis Bona in *Notitia auctorum* eundem magnifice *divinæ eloquentiæ Theatrum* dicit.

Claudius Fleury *de Morib. primor. chriſtianor.* §. 40. perfectum in hunc diem concionum exemplar ſtatuit.

Bernardus de Montfaucon in *Præfat. general. oratorem* appellat, *ſummum, qui rem chriſtianam plus, quam alii omnes, tum qui præceſſerunt, tum qui poſt illum floruerunt, eloquentiæ ornamentis decorarit.*

Ludovicus Antonius Muratorius *de dignit. eloq. popularis cap.* 8. *Enimvero*, ait, *neminem hic exiſtimo futurum, cui non germana videatur ſummorum virorum ſententia, aſſerentium, illum denique chriſtiani oratoris exemplum perfectum, & unicum eſſe.*

Abbas Ladvocat in *Lexico hiſtoric. portatil.* inter alias laudes chryſoſtomum ſimpliciter *eloquentiſſimum* dicit *omnium ſanctorum Patrum.*

Joannes Stiltinghus in *Actis Sanctorum XIV. Septembr.* §. 89. eundem *oratorem ſummum* compellat **. Ita Criitci.

Inter

* *Centur.* 3. *Epiſt.* 49.

** §. 1480. addit, eloquentia parem habuiſſe non videri, & maxime Græcos eum omnibus aliis ſolere præferre.

Inter Sacros oratores Ven. Paulus Segneri in *Inſtitut. Paroch. cap. VII. §.* 1. S. Joannem Chryſoſtomum *veram* vocat *ſacrorum præconum Idæam.*

Antonius Vieira *Dominic. Sexageſimæ, Evangelicorum principem oratorum* ſalutat, & *Dominic. IV. Quadrag. virum facundiſſimum ſcriptores omnes eloquentia ſuperaviſſe* aſſerit.

Josephus Barzias Epiſc. Gaditanus paſſim allegat, laudat, exſcribit Chryſoſtomum in Concionibus ſuis.

Ludovicus Bourdaloue maxime familiarem habuit chryſoſtomum, nunquam ſane paſſus a ſe amoveri; id quod ex elogio operibus præfixo conficitur: atque ipſe ſæpenumero adverti, fuſiores etiam locos, & integra ratiocinia inde eum tantum non exſcripſiſſe.

Franciscus Neumayr, quoties ſane licuit, Chryſoſtomum qua calamo, qua voce laudare ſolebat, ac commendare.

Oratoribus ſacris jungo eloquentiſſimum aſcetarum Joannem Croiset, qui in *Exercit. piet. Nullus eſt*, ait, *Patrum Eccleſiæ, cujus ſcripta tam plena ſint doctrinæ moralis ad praxin reductæ, vel quæ plus documentorum, ac eloquentiæ habeant, pleniusque diducta ſint.*

Inter Eloquentiæ Præceptores Venerabilis Ludovicus Granatensis in *Rhetor. Eccleſiaſtic. Libro II. cap.* 7. *Ex Eccleſiæ Patribus*, inquit, *divus chryſoſtomus maxime legendus; quod ſit eloquentiſſimus, populique auribus ita accomodatus, ut vix unquam a ſalutari ejus inſtitutione orationem flectat. Hic autem vir admirandus non modo ad ſententiarum gravitatem, ſed ad vim etiam eloquendi & tractandorum animorum rationem plurimum conferet; præſertim ſi aſ-*

ſi aſſidua lectione Eccleſiaſtes eum ſibi familiarem fecerit.

Laurentius a Villavincentio *Libro I. de Sacris Concionib. formand. cap.* 14 *Quem ſane* (Chryſoſtomum) *optarim, indeſinenter omnes juniores concionatores divina, nocturnaque verſarent manu, quin etiam pari felicitate & ubertate, ſi modo fieri poſſit, in linguam vulgarem transfunderent. Neque pudere debebat, vel eruditos homines doctrinæ Chriſtianæ locos nonnullos, & pene ad verbum de Chryſoſtomo, qui non ſine cauſa illuſtrem hanc appellationem adeptus eſt, aut aliis, ſi qui forte inveniantur ſimiles, mutuari.*

Claudius Aquaviva Generalis Soc. Jeſu in *epiſt de formand. concionatorib. Juverit . . . præ ceteris SS. Doctoribus familiarem ſibi reddere S. Joannem Chryſoſtomum, qui non ſolum res ipſas edocet, verum etiam rationem eadem pertractandi, amplificandi, ac demum perſuadendi.*

Carolus Regius in *Oratore Chriſtiano* ſæpe, præcipue vero *Libr. III. cap.* 20. Chryſoſtomum commendat. Sic autem eo loci ait. *Addam etiam his* (quæ de Paulo ſcripſit) *appendicem, ut poſt divum Paulum, eligat ſibi quiſque aliquem ex ſanctis Patribus Patronum, pro peculiari cujusque ſtudio: & librorum ejus continuo uſu lectionem frequentet. Ego plane, ſecutus commune conſilium omnium in hac parte recte ſentientium, conſulerem divi Chryſoſtomi conciones, & commentaria libenter, & crebro evolvenda, tum ob gravitatem rerum moralium, quas ad populum tractat, tum ob aureum eloquentiæ flumen, varium, grave, populare, ad perſuadendum efficax, & imprimis frugiferum.*

Nicolaus Caussinus *de Eloquentia ſacra & humana Librum XVI.* fere integrum in eo conſumit, uti Chryſoſtomum eloquentiæ ſacræ exemplar ſtatuat, atque imitandum proponat.

Rena-

Renatus Rapinus *de Eloquent. ſacr. conſiderat* 33. & 14. Chryſoſtomum ſummum vocat exemplar, quod Oratori ſacro proponi poſſit, ejusque homilias docet uſitatiſſimam hujus lectionem eſſe oportere.

Blasius Gisbert in *Eloquentia* ſua *Chriſtiana* non ſolum, ut ceteri faciunt, id modis omnibus inculcat, uti concionatores identidem in Chryſoſtomum intueantur, ſed quidquid fere docet, exemplis ab eo ſolo petitis mirifice illuſtrat.

Carolus Rollinus in *Ratione docendi, & diſcendi liter. humanior. Libro* 4. ſæpius laudat eloquentiam chryſoſtomi; neque verbis contentus, ſingula fere præcepta ſacræ facundiæ, quæ breviter ſed accurate ibi tradit, exemplis ex hoc ſancto Doctore petitis illuſtrat mirum in modum.

Porro tot, tantorumque hominum teſtimonia qui expendere velit apud ſe, hic opinor in Chryſoſtomo de arte dicendi non poterit deinceps dubitare.

CAPUT II.

Notæ, & characteres in dicendo.

S. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum* Joannem dicit Euſebii Emiſeni, Diodorique (Tarſenſis) ſectatorem. Idem Suidas quoque in *Lexico*, atque ex his alii complures adverterunt. Quod meo judicio probe eſt diſcutiendum; ne inde aliqui in errorem manifeſtum inducantur. Etſi enim Euſebii atque Diodori non niſi fragmenta extant, ſatis tamen cum ex iſtis, tum ex Photii, aliorumque criſibus apparet, non poſſe in eo Chryſoſtomi characterem, proprie dictum, ſtatui, & verba Hieronymi non ſimpliciter, ac univerſe, uti ſonant, accipienda eſſe. Et quid ita? quia Diodorus, cum ſæcularium literarum plane

plane rudis eſſet, quod ipſe Hieronymus teſtatur eloquentia parum valuit. *Diodorus Tarſenſis epiſcopus*, ait in eodem Catalogo, *dum Antiochiæ eſſet presbyter, magis claruit. Extant ejus in Apoſtolum commentaria, & alia multa, ad Euſebii magis Emiſeni characterem pertinentia; cujus cum ſenſum ſecutus ſit, eloquentiam imitari non potuit, propter ignorantiam ſæcularium literarum.* Itaque Diodori, & Euſebii in eo ſectator Chryſoſtomus fuit; quod explicationem, tractationemque divinorum librorum, non vero quod rationem ſcribendi, ipſamque facundiam ſpectat. Id enim peculiare præ ceteris Euſebius, Diodorusque habent, quod Theoria, allegoriaque neglecta, ſoli literæ attendunt, atque inhærent. Ita enim Theodoretus, Sozomenus, atque ipſe Hieronymus; ait enim *libr. cit. Euſebius Emiſenus epiſcopus, elegantis, & rhetorici ingenii, innumerabiles, & qui ad plauſum populi pertinent, confecit libros, magiſque hiſtoriam ſecutus, ab iis, qui declamare volunt, ſtudioſiſſime legitur: e quibus vel præcipui ſunt adverſus Judæos, & Gentes, & Novatianos, & in ad Galatas Libri decem, & in Evangelia homiliæ breves; ſed plurimæ. Floruit temporibus Conſtantii imperatoris, ſub quo & mortuus, & Antiochiæ ſepultus eſt.* Atque ex iſtis habemus non ſolum, qua in re, ſed etiam quam ob rem hos ſectatus ſit ſanctus Doctor. Habitabat enim uterque Antiochiæ, & Euſebium quidem adoleſcens noverat, Diodorum vero monachus factus, præceptorem audierat. Itaque ponum fuit, ut ſcripta eorum præ ceteris legeret, & familiaria haberet. Quod ſi quis contentioſior eſt, & ſaltem ex Euſebio eloquentiſſimo viro profeciſſe Chryſoſtomum in dicendo velit, huic ego non admodum refragabor; verum id unum monebo, incertum id prorſus, atque incognitum eſſe; quando, ut ſupra admonui, præter fragmenta, nihil ſcriptorum

ejus ad nos pervenit. Hoc velut obice quodam remoto, ad rem ipſam accedamus.

Primus, eorum, qui chryſoſtomi characterem expinxerunt, eſt Anianus Celedenſis, Diaconus Pelagienus, ſæculi V. ſcriptor. Hic rogatus ab Horontio ejusdem factionis Epiſcopo, uti *Commentarios* ejus *in Matthæum* latinos faceret, ita habet in prologo ad eundem perſcripto: „ Semper ſolicitus, ſemper vigilans, ſemper noxiæ ſecuritatis, „ vel potius mortiferi ſtuporis inimicus, ubique „ utilitatem compunctionis compunctus ipſe commendat. Quocirca forſitan ejus oratio nuſquam „ fere in pompam elevatur dicentis, ſed tota ad „ utilitatem aptatur audientis. Eſt enim ſtylus „ ipſe, quod quidem in ſuo opere magis animadverti poteſt, eccleſiæ auribus accomodatiſſimus, „ priſcum illud, ſed eruditum dicendi genus exprimens, medius, æqualis, maturus, pudicus, „ alienus omni ab incuriæ culpa, pompaque luxuriæ: non ſquallidus quidem, nec tamen floridus: non impolitus, ſed neque nimia ſubtilitate „ limatus: non aſperitate horridus, nec tamen „ amœnitate laſcivus: maximam ubique copiam, „ admirabilemque indicans facultatem, nuſquam „ tamen ambitionem loquendi. Eo fit, ut illum „ magis ſimplex lector intelligat, & laudet diſertus. Certe, quod ab aliis quoque plurimis „ audire potuiſti, omnes jam eccleſiaſticæ Græcorum Bibliothecæ poſt tam varias veterum ſcriptorum ſplendidasque divitias, poſt tot inſignium „ magiſtrorum tam clara lumina hujus præcipue „ voluminibus ornantur. Denique & S. Baſilii „ admirabilem illam curam loquendi, & Antiochi „ plauſibilem pompam, & ſublimem illum Gregorii cothurnum, facile intelligas, hac Joannis „ medietate ſuperata. Ita enim ſtylum ſuum inviolata, ut diximus, facultate regnantem, Scri-

„ ptura-

„ pturarum ubique & ſapore imbuit, & tingit co-
„ lore, ut illi quidem de apparatu eloquii reni-
„ tere, iſte vero de majeſtate Scripturarum coru-
„ ſcare videatur. Solæ ab eo forſitan adoleſcen-
„ tulorum minus blande mulceantur aures, quibus
„ in ludo poſitis literarum, non tam placent ſo-
„ lida, quam picta, quique pulcra potius quam
„ utilia ſectantur, nec tam agentia diligunt, quam
„ ſonantia, magiſque gaudent florum amœnitate
„ conſpergi, quam frugum ubertate nutriri.„

Ita Anianus, poſt quem ceteri fere Græci minus diligenter in ſtylo Joannis deſcribendo verſati ſunt. Nam Photius (cum non univerſe, ſed de aliquibus tantum libris ejus loquatur) obiter illi dictionem perſpicuam, & puram, ſplendidam quoque, & ſponte fluentem tribuit, quæ multam ſenſuum varietatem, & exemplorum copiam apte contexat, ſplendorem denique habeat, & ſagacitatem cum ſuavitate, atque artificio conjunctam *. Suidas in ſola fere copia ſiſtit: Philotheus ejus in Theologicis tantum rebus dicendi rationem perſequitur.

Ex noſtris autem multi haud vulgarem in ea re laudem conſecuti ſunt, Eraſmus præſertim, Sixtus Senenſis, Cardinalis Federic. Borromæus, Bernardus de Montfaucon.

Et Eraſmus quidem *Epiſtola ad Bilibaldum Pirkeimerum* ** ſic habet: „Hoc laboris eo libentius ſuſcepi, quod Chryſoſtomus non tantum
„ utiliſſimus eſt magiſter ad chriſtianam facundiam,
„ quod unus omnium eruditam pietatem cum po-
„ pulari conjunxit eloquentia: verum etiam, quod
„ imprimis videatur accomodus iis, qui græcani-
„ cæ facundiæ ſunt candidati. Habet facilitatem,

 per-

* *Codice* 172. 173. 174.
** In editione græca *Librorum de Sacerdotio.*

„ perſpicuitatem, ſuavitatem, copiam cum Luciano „ communem *: ſed in hoc ſunt permulta, quæ „ ſic ingenium expoliunt, ut animum vitient; „ cum interim Chyſoſtomus non minus conferat „ animorum pietati, quam linguarum elegantiæ. „ Frequens, ac multus eſt in tractandis locis com„ munibus, ac pene nimius, niſi tam hic pecca„ ret feliciter, ſi quid tamen omnino peccat. „

Fuſius autem, atque diſtinctius in vita operibus præfixa ait: „ In aliis Eccleſiæ Doctoribus „ alias divini Spiritus dotes admiramur: hic ſic „ miſcuit utile dulci, ut nemo felicius. Sed in„ ter varia ſpiritus dona præcipue in illo eminet „ τὸ διδακτικόν, quod potiſſimum in Epiſcopo re„ quirit beatus Paulus. Quis enim docet eviden„ tius? quis hæreticos refellit acrius? quis in mo„ res declamat vel frequentius, vel liberius? At „ contra quis id facit popularius? Tanta charita„ tis ſuavitate condulcat etiam illa, quæ natura „ ſunt amara. Quosdam vix ferimus adulantes: „ hunc & objurgantem poſſis amare. „ Dein aliis quibusdam interjectis ita pergit: „ Nullam uſquam „ præbet oſtentationis ſpeciem, ſed omnes huma„ nas diſciplinas cogit ſervire chriſtianæ pietati; „ ſic admiſcens, quaſi vinum generoſum aqua mo„ dica diluas. Nuſquam enim eſt aquæ vel co„ lor, vel ſapor, ſed tamen ſentis vinum eſſe ſua„ vius. Cumque tantus eſſet tum eruditione, „ tum eloquentia, tamen incredibili quodam ju„ vandi ſtudio, quidquid fere ſcripſit, accomoda„ vit auribus populi, eoque ad hujus captum de„ miſit orationis habitum, quaſi præceptor cum „ puero diſcipulo balbutiat. Quod ſi cuncta di„ xit apud populum, quæ hoc modo, figuraque „ ſcripta ſunt, utrum magis admirari debeam, ne-

„ ſcio

* **Hunc enim ante ediderat Eraſmus.**

„ ſcio, illumne, qui tam aſſiduo concionandi la-
„ bori ſuffecerit, an populum, qui tam avidus
„ fuerit diſcendi, quæ ſunt pietatis,„ Et iterum
ibidem. „ Nihil eſt tam reconditum in divinis Li-
„ teris, quod ille tractando non reddiderit thea-
„ tricum, ut ita loquar, ac populare; ſic eruit,
„ quæ ſunt abſtruſa, ſic oſtentat, ſic ingerit ocu-
„ lis. Dicas eſſe quempiam, qui ſingularis arti-
„ ficii tabula ſpectatores remoretur, quam quo
„ diutius, ac propius aſpicias, hoc magis aperit
„ ſeſe ſubinde novi quidpiam, quod oculos fefel-
„ lerat, & animadverſum recreat. Tali revera
„ tabulæ ſimilis eſt divina Scriptura, quam incom-
„ parabilis artifex Spiritus ille cœleſti penicillo
„ nobis depinxit, ut in hujus contemplatione ju-
„ giter verſantes, & hujus mundi tædia fallamus,
„ & ſemper aliquid novæ voluptatis percipiamus
„ ex cognitione rerum æternarum. Atqui com-
„ monſtrator idoneus hujus tabulæ non poſſit eſſe,
„ niſi qui ſit ipſe præclarus artifex, & inſigniter
„ oculatus: velut hic noſter Lazarum, ac divitem
„ producit in theatrum; ſit enim hoc exempli
„ cauſa propoſitum. Quis enim alius perſpexiſ-
„ ſet, quæ ille ibi commonſtrat; cumque jam ſpe-
„ ctator credens nihil ſupereſſe parat abitum, ille
„ revocat, heus, inquiens, ſupereſt aliud cum
„ primis annotatu dignum: dein rurſus aliud ex
„ alio commonſtrat, nec te patitur a tabula diſce-
„ dere; tandem adhuc avidum, & inhiantem di-
„ mittit. Metaphoris, & collationibus, quoniam
„ plurimum conducunt & ad lucem, & ad ju-
„ cunditatem orationis, frequenter utitur, in qui-
„ bus inveniendis quidem mirus eſt, ſed multo
„ mirabilior artifex in tractandis. Tractantur autem
„ ex circumſtantiis a pari, majori, & minore.
„ Hic mirum quos gradus invenit vel deprimendi,
„ vel exaggerandi. Addit ſubinde ſtimulos, nunc

 „ collau-

„ collaudans illorum docilitatem, nunc objurgans
„ ſegnitiem, nunc pollicens, ſe digna cognitu pro-
„ laturum, ſi conſpiciat attentos, & avidos: nunc
„ aliis, atque aliis nominibus commendans argu-
„ mentum, quod tractaturus eſt: nonnunquam re-
„ petens, quæ pridie dixerat, nec raro faciens idem
„ in eadem concione. Dedit hoc vir eloquentiſſi-
„ mus multitudinis ingenio, rudi pariter, atque
„ obliviofo, quæ nec intelligit, niſi dilucide, craſ-
„ ſeque tradas, nec meminit, niſi ſubinde repeti-
„ tum infigas. Hoc admonui, ne quis loquacitatis
„ nomine damnet, quod charitas, quæ nihil aliud
„ quærit, quam ædificare, dedit auditorum imbe-
„ cillitati. Sic & Paulus apud Theſſalonicenſes ad
„ illorum ruditatem ſubmiſit ſeſe, factus ut parvu-
„ lus in medio eorum, tanquam ſi nutrix foveat
„ filios ſuos. Nec ſententias argutas, nec epipho-
„ nemata captat usquam, quibus ſolet excitari
„ concionis acclamatio; quod dictionis genus pla-
„ cuit Hieronymo, & Ambroſio: nec jocos admi-
„ ſcet; in quibus frequens eſt interim, & immodi-
„ cus Tertullianus, frequentior Hieronymus: ſed
„ perpetua quadam orationis jucunditate, facilita-
„ teque detinet auditorem, pietate delectans verius,
„ quam facetia. Eccleſiaſticus orator facile repe-
„ riet, quo deliniat auditorem, ſi perfecerit, ut
„ norit, ametque populus, quod diſcit. Affatim
„ eſt in ipſis arcanis literis, quod voluptate demul-
„ ceat pios animos, etiamſi nihil illecebrarum ex
„ poëtarum aut mimorum ſalibus accerſatur. Si,
„ qui docet, ardet, facile accendet; ſi vehemen-
„ ter gaudet iis, quæ docet, facile transfundet eun-
„ dem affectum in animos auditorum. Hoc pectus,
„ hoc os aureum, foro profano deſtinatum Chri-
„ ſtus ad evangelii præconium intervertit. Uti-
„ nam tales oratores nunc haberet ubique chri-
„ ſtianus orbis; ab his enim præcipue pendet to-
„ tius Reipublicæ diſciplina. „ Ne-

Neque his contentus Eraſmus vel ob ſolam eloquentiam, ac delectationem legi vult Chryſoſtomum, atque adeo præ claſſicis illis Græciæ auctoribus juventuti ante oculos proponi. Sic enim ad Joannem Claymondum Theologum Oxonienſem, cui ſex conciunculas ſancti viri miſerat. „ Fateor, „ ex Demoſthenis, Ariſtophanis * & Luciani pra- „ tis optime colligi, quæ ad græcanicæ linguæ pu- „ ritatem attinent. Semper enim huius mundi filii „ neſcio quo pacto ſuperant filios lucis in ſua gene- „ ratione: non poſſum tamen non probare illorum „ animum, qui pietatis amore malunt ex Sanctorum „ literis linguæ mediocrem politiem ſanctimoniæ lu- „ cro cumulatam, quam ex Ethnicorum libris in- „ ſignem ſermonis elegantiam cum periculo mo- „ rum conjunctam. Eſt enim mel e taxo toxicum, „ quo vix aliud dulcius; ſed præſens habet vene- „ num. Hoc animo qui ſunt, non alium potius „ terere debent, quam Chryſoſtomum, cujus ſer- „ mo cum ſatis purus eſt, tum mira facilitate, co- „ piaque fluit. „

Sixtus Senenſis in *Bibliotheca Sancta.* „ In Ho- „ miliis, inquit, uſus eſt docendi genere, eccleſia-

 „ ſtici

* Apud Alexandrum Politum *Orat. VIII* ex Friſchlino, item apud Franciſcum Floridum *Lectionum ſubſeciva-rum Libro III. cap.* 7. & apud Danielem Heinſium *Oratione VI.* lego, quod Ariſtophanem ſtyli cauſa perpetuo volveret Chryſoſtomus. Miratus ſum, fateor, ut qui maxime; neque enim qui tam multa, tam varia de Chryſoſtomo legeram, quidquam ea de re apud idoneos Scriptores reperi. Papæ! obſcœniſſimum veteris comœdiæ ſcriptorem ille ſub pulvino ſemper habuerit, imo ceteros quoque poëtas, ut addit Heinſius, tam ſtudioſe verſarit, qui ne unum quidem Philoſophum, licet honeſtiſſimum nominare aliter pro concione eſt auſus, niſi vel confutare vel in contemptum adducere apud ſe ſtatuiſſet. Apage quisquis es, atque has mihi nugas, has puras putas ineptias ex oculis auffer!

„ ſtici præceptoris officio, & audientium utilitati „ accomodatiſſimo, dividens omnes ſermones ſuos „ quandoque in duas partes, hoc eſt Exegeticen, „ & Ethicen, aliquando vero in tres, hoc eſt, Pa- „ raſceven, Exegeticen, atque Ethicen. In Para- „ ſceve, id eſt præparatoria parte nunc argumen- „ tum, quod tractaturus eſt, commendans, nunc „ auditorum docilitatem, frequentiam, alacritatem, „ & audiendi cupiditatem collaudans, nunc ea re- „ petens, quæ pridie dixerat, auditorum animos „ ad ea, quæ dicenda ſunt, præparat jocundis, & „ ſæpe fortuitis exordiis, ſed interdum prolixiori- „ bus, quam optaret avidus Auditor, moræ omnis „ impatiens, & ad propoſitæ lectionis intellectum „ feſtinans: quod & ipſe Chryſoſtomus ſentiens in „ præfatione ſermonis de ferendis reprehenſionibus „ excuſat &c. In ſecunda homiliæ parte, quæ exe- „ getica, id eſt, expoſitoria dicitur, Chryſoſtomus „ verſatur in explicatione divinæ Scripturæ juxta „ hiſtoriam, ſive literalem intelligentiam, quam „ ſemper pro fundamento ſubſternit, atque ita pu- „ re, aperte, germane, recte, & appoſite expo- „ nit, ut alius nemo; expendens ſingulas quasque „ allatæ Scripturæ voces, easque dilucidis illuſtrans „ paraphraſibus, nec unquam ex ignorantia hiſto- „ rici ſenſus literam aut detorquet durius, aut, ea „ relicta, confugit ad remotas quasdam allegorias, „ ad quas, Hieronymus, & Auguſtinus fateri non „ erubeſcunt, ſe aliquando ex inopia hiſtorici in- „ tellectus fuiſſe coactos: ſed in vera, propriaque „ literæ ſententia continuo perſiſtens, ad imitatio- „ nem Euſebii Emeſeni, & Diodori Tarſenſis Epi- „ ſcopi, quos præcipue in explicandis ſacris volu- „ minibus ſectatur, usque adeo allegoricis abſtinet „ involucris, ut in omnibus ejus explanationibus „ allegorias, ſive anagogias, quæ idem ſunt apud „ eos, non reperias, niſi in paucis, rarisque admo-

„ dum

„ dum locis, in quibus id urgentiſſima divinæ Scri-
„ pturæ neceſſitas vehementer efflagitat. Ediſſerit
„ autem in ſingulis pene homiliis vulgatam ſuorum
„ temporum translationem, ex ſeptuaginta Inter-
„ pretum, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis
„ verſionibus concinnatam. Unde & multa Scri-
„ pturæ veteris loca ſæpe aliter explicat, quam in
„ noſtris nunc vulgatis codicibus legantur. Quæ-
„ ſtiones curioſas, & ad plebis ædificationem in-
„ utiles, pugnas diſputationum, & conflictationes
„ de rebus ſubtilibus, & obſcuris ſummo ſtudio
„ devitat: & quæ nonnulli expoſitores in divinis
„ Literis ad oſtentationem eruditionis, quæſita di-
„ ſputandi occaſione, ſolent de induſtria obſcurare
„ multis, magniſque dubitationum difficultatibus,
„ ipſe paucis, iiſdemque nudis, ac ſimplicibus ver-
„ bis expedire ſolet. Cujus rei qualemcunque vel
„ exiguum guſtum poſſumus exempli gratia ſume-
„ re ex elucidatione illius ſententiæ Pauli ad Roma-
„ nos: *Non eſt volentis, neque currentis, ſed Dei mi-*
„ *ſerentis*; quam cum acutiſſimus Auguſtinus mul-
„ tis involvat ſubtilibus, & abſtruſis de Prædeſtina-
„ tione, ac Reprobatione, de Gratia, & Libero
„ arbitrio diſputationibus; Chryſoſtomus duobus
„ pene verbis omnibus ſe quæſtionum ambagibus
„ exolvit, inquiens, primum eam ſententiam fuiſſe
„ a Paulo non ex perſona affirmantis, ſed ex per-
„ ſona opponentis prolatam: deinde ſic Apoſtoli
„ dictum eſſe intelligendum, ut cum dicit *non eſt*
„ *volentis, neque currentis*, ſubaudiamus *tantum*, ſed
„ Dei miſerentis *ſimul, ac magis*; nam cujus po-
„ tior, majorque eſt in negotio aliquo pars, illius
„ totum dicimus eſſe negotium. Verum ſi quan-
„ doque contingat, Chryſoſtomum in difficulta-
„ tem aliquam non diſſimulandam, ſed neceſſario
„ diſcutiendam incidere, non prius eam aggredi-
„ tur, quam oſtendat ſe diſputationis ejus neque oc-

M 5 „ caſio-

„ caſionem inveniſſe, neque inventam ſponte aſ„ ſumpſiſſe, ſed coactum hæreticorum perfidia, ad „ refellendas illorum calumnias in eam deſcendere; „ hac ſcilicet dexteritate ſe accomodans imbecilli„ tati imperitæ multitudinis: in qua licet eſſent non„ nulli, qui altiores etiam diſputationes poſſent in„ telligere, plurimi tamen aderant, qui doctrinæ „ ſubtilitatem non caperent, utpote homines indo„ cti, atque artifices, & negotiis vilibus occupati, „ & mulieres in ejuſmodi diſciplinis minime exer„ citatæ, & puerorum turba, ætateque provecti „ ſenes, qui omnes oratione facili inſtituendi, re„ creandique erant *. Interdum tamen ad excu„ tiendum torporem audientium, quæſtiunculas „ quaſdam non admodum magni momenti propo„ nit; eaque de induſtria inſolutas relinquens, il„ lud ſtatim addit: Cur autem, & quomodo id ſe „ habeat, vobis inveſtigandum relinquo; neque „ enim vos oportet a nobis omnia diſcere; ſed & „ ipſos vos elaborare, & exquirere, ne ſegniores „ efficiamini. Atque hæc in ſecunda parte Homi„ liarum perpetuo ſervat Chryſoſtomus. In tertia „ vero parte, quæ ſemper ethice, ſive moralis eſt, „ digreditur non ſolum ad locos illos ethicos, om„ nibus pro concione loquentibus communes, nem„ pe de divitiarum contemptu, de luxu, crapula, „ ira, arrogantia, ceteriſque vitiis fugiendis: ſed ex„ patiatur ſæpiſſime in ſelectis quibusdam moralis „ inſtitutionis paradoxis, ſibi uni propriis; quo„ rum hæc præcipua ſunt:

„ Virtutem nec eſſe rem moleſtam, neque „ acquiſitu difficilem.

„ Multo facilius eſſe bene vivere, quam „ male.

„ Par-

* Hæc verba ex Gregorio Nyſſeno mutuatus eſt Sixtus, quem nos Libro primo, num. 50. attulimus.

„ Parva, leviaque peccata majori ſtudio vi-
„ tanda eſſe, quam magna.
„ Nullum ſupplicium mala conſcientia atro-
„ cius.
„ Neminem lædi poſſe, niſi a ſemetipſo.
„ Melius eſſe injuriam pati, quam inferre.
„ Multos injuſte lædere, neminem vero in-
„ juſte lædi.
„ Ignominiam hujus mundi eſſe gloriam;
„ gloriam vero mundi ignominiam.
„ Vitam hanc non eſſe vitam, ſed mortem.
„ Mortem eſſe vita meliorem.
„ Maximum fieri in tribulationibus, & ten-
„ tationibus lucrum.
„ Quod omnia ſupplicia, mortalibus a Deo
„ immiſſa, magna ſint divinæ pietatis
„ beneficia.
„ Eleemoſynam eſſe artem omnium quæſtuo-
„ ſiſſimam.
„ Solitudinem, & monaſticæ vitæ commoda
„ omnibus felicitatibus potiora.
„ Quod regno Dei privari pejus ſit, quam
„ gehennæ ſupplicium.
„ Quod nolle omnia ſcire ſumma ſapientia
„ ſit.
„ Quod Chriſti divinitatem etiam absque ul-
„ lis divinarum Literarum teſtimoniis
„ clariſſime, ac fortiſſime adverſus
„ omnes gentes demonſtrare poſſu-
„ mus.

„ His, atque ejusmodi vere aureis digreſſio-
„ nibus auditorum animos mirum in modum in-
„ flammans, rapiens, elevans in amorem divina-
„ rum rerum, & elatos in Deum transformans,
„ denique omnes ſermones concludit, in breves
„ precationes, gratiarum actiones, & laudes beni-
„ gnitatis, & miſericordiæ Chriſti, cui ſimul cum

„ Pa-

„ Patre, & Spiritu ſancto honorem, gloriam, & „ imperium precatur in ſæcula: Amen. Quamquam autem in cunctis pene Homiliis eadem moralia loca ſæpius repetita inculcet; ea tamen verborum, & ſententiarum varietate easdem cogitationes tractat, atque retractat, ut nova ſemper, „ ac diverſa dicere videatur. Hactenus docendi „ modus Chryſoſtomo proprius. Quantum vero „ ad verborum rationem, & genus dictionis attinet, „ omnes ei tribuunt nativam, nudam, ac venuſtam attici ſermonis puritatem, admirabili docen„ di facilitate conjunctam, qualis nulli unquam „ vel Græcorum eloquentiſſimo contigit. „ Hic inſerit Sixtus Iſidori Peluſiotæ, Libanii, & Aniani teſtimonia, quæ nos ſupra dedimus, atque ita proſequitur eruditiſſimam, diligentiſſimamque tractationem. „ Solet etiam Chryſoſtomus, ut in ejus „ Scriptis apparet, ſupra omnes eccleſiaſticos ſcriptores abundare ſimilibus, collationibus, & metaphoris ad illuſtrationem, & delectationem rerum explicandarum admirabili artificio concinnatis: nusquam tamen delectandi gratia utitur vel „ ſententiarum argutiis, ut Ambroſius, vel poëtarum illecebris, & mimorum ſalibus, ut Hieronymus: vel facetiis, & jocis, quemadmodum „ Tertullianus *: ſed affectu potius paternæ charitatis, & pio quodam juvandi ſtudio mirifice delectat auditores, quos ut majori cum attentione „ detineat, orationis curſum frequentibus dialogismis, percontatiunculis, & excitatiunculis interrumpit; ſæpe repetens hujusmodi voces: Quid „ nam eſt hoc? Cujus rei gratia hæc dicta ſunt? „ Audiſtis, quæ hic locutus eſt? Vidiſti, quomodo „ nihil præcipit grave? Vidiſti continentem ejus „ ani-

* Iſta ex Eraſmo mutuatum eſſe virum doctiſſimum continuo advertet, qui ſuperiora attente perlegerit.

„ animum? Audiſti fiduciam? Audi etiam ingentem charitatem? Perſpexiſti celſitudinem philoſophiæ? Perſpice fidem! Intuere, quæſo, hominis virtutem! Vides, quomodo hoc facillimum eſt? Cogita, obſecro, hæc verba! Inſpice, quod non ſimpliciter, ac temere hæc dicta ſint. Papæ! qualis eſt hæc doctrina, & quam omnibus mortalibus neceſſaria! Papæ! quot bonorum plena eſt hæc ſententia! Magna nobis in his verbis prudentia, & attentione opus eſt. Conſidera mihi beatos illos viros, o dilecte. Diſce hinc, quanta ſit virtus. Ubi nunc ſunt, qui hæc irrident? Audiant hæc, qui non credunt. Vellem, hic adeſſent omnes, qui noſtra vituperant. Libenter interrogarem eos, qui hæc non credunt, num &c. Ne te conturbent, o dilecte, quæ audis! Ne mireris dilecte, quod hoc dixerit. Ne mihi dixeris, te hæc non intelligere. Age, & hoc etiam conſideremus. Quod dicere ſemper ſoleo, id nunc quoque inculcare non deſinam. Quibus ſane tropis attentionem renovans, tardos excitat, feſſos adjuvat, & ad finem usque orationis ſuſtentat. Atque hæc de Chryſoſtomi doctrina, & orationis habitu dicta ſint ſatis. „

Cardinalis Federicus Borromæus *Libro V. de Sacris Oratoribus* ſic Chryſoſtomi characterem expreſſit. „ Principiis utitur gravibus, & ſplendidis, & amœnitate naturali: videnturque repentino ut plurimum impetu ex re magis ipſa, ſuſceptoque argumento, quam extrinſecus aſſumpta. Solet interdum, atque in fine præſertim orationis, colligere ſermonem habitum in certa capita, indeque ſuccum exprimere, quem in auditorum animos demittat. Enumerat in amplificatióne, diſtinguitque ſæpe partes argumenti, quæ res copiam præbet incredibilem, & veluti fontem conſiderationum aperit. Unico ſæpe verbo vel ad no-

„ men

„ men adjuncto, vel opportune tranſlato vel ſupra „ communem opinionem elato rem auget, eſtque „ mirum illius artificium circa divinarum rerum lo- „ cos, quos non ex communi ſenſu, ſed raris, in- „ opinatiſque modis interpretatur. Exempla quo- „ que dum petit inde, non immoratur illis, affe- „ rendo in medium trita, & pervulgata, ſed miri- „ ficos illos, divinoſque caſus exhibet nova qua- „ dam facie, & forma, narrandoque ſpectat ea, „ quæ nemini unquam in mentem veniſſent. Ita fit, „ ut admiratio percellat legentes. Neque conten- „ tus eo exaggerat eadem propria ipſius magnani- „ mitate, ſpirituque vehementi, & eloquentia, „ quæ, ſicut arbitror, facultas oriebatur ex diutur- „ na contemplatione rerum earum, quæ ſunt in ſa- „ cris hiſtoriarum monumentis inſignes. Vim, at- „ que pondus verborum examinat diligenter, ſi „ quæ ſuſcepit explicanda, cum leni nonnunquam „ circa ſenſus ancipites concertatione, quam ipſe „ quærit ultro. In deſcriptione tanta felicitas eſt, „ ut non audire, ſed videre depictas, atque ſubje- „ ctas oculis res ipſas videamur. Dilatare ſimilitu- „ dines amat, nec eas attingit leviter, ut ſolenne „ laudatis quoque ſcriptoribus fuit: ſed amplificat, „ extenditque in omnes partes, & in ipſarum exor- „ dio varius, ac diverſus vitat ſæpe rancidum illud: „ Quemadmodum, quod noſtri nimium conciona- „ tores adamavere. Exultat mirifice; atque trium- „ phat illius oratio, quando locus aliquis inciderit „ ejuſmodi, ut res inter ſe duas conferat, alterius- „ que dignitatem, & pretium anteponat alteri. „ Nec minus admirabilis eſt orator in examinando, „ ſi quæ rem circumſtant, penetrandoque omnia, „ & conſiderando, qua laude nullus adhuc eum „ ſuperavit. Stylus fuit Chryſoſtomo ſuavis, ab- „ undans, fluens, cum proprietate verborum, & „ puritate ſingulari, ſæpeque, ſicuti demonſtravi- „ mus,

„ mus, unica voce rem auget incredibiliter. Hæc „ amplificatio, quam propriam fuiſſe Chryſoſtomi „ virtutem in dicendo poſſumus affirmare, magni „ refert ad perſuadendum, eaque frequenter uti „ concionatores oporteret illos, quibus vincere de- „ ſtinatum eſſet. Non facile hominum animi fle- „ ctuntur ſimplici rerum earum intelligentia, quæ „ dicuntur audientibus ipſis: ſed oportet alicujus „ facundæ linguæ miniſterio tractari, rem intelle- „ ctam dividi, reſecari in ſuas partes, ita, ut quaſi „ felicium herbarum & virtus, & odor, & ſapor „ penitus animis hauriatur. „

Bernardus de Montfaucon in *Præfatione generali:* „ Ejus orandi ratio, inquit, plus habet nativæ „ elegantiæ, quam artificioſæ diligentiæ: ſicubi ar- „ te utitur, ita rem temperat, ut lateat ſemper ar- „ tificium, & quadrandæ orationis induſtria. Ex- „ pedita, & profluente verborum copia loquitur, „ concinnitatis, leporiſque plena; ut mirifice ipſi „ competat illud Homericum:

Τοῦ καὶ γλώττης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή."

„ Perſpicuitate nemini concedit; niſi fortaſſe „ omnes ſuperet. Inventione, quæ ex ingenii fe- „ licitate naſcitur, univerſos, quotquot hactenus „ fuere oratores, longe retro relinquit. Inexpecta- „ tis ille modis rem propoſitam vertit, & qua via „ nemo divinaſſet, ad ſcopum tendit; idque ita li- „ bere, expediteque, ut re perſpecta putes eum nul- „ la alia poſſe via, nullo curſu feliciore ad deſtina- „ tum pergere finem Verum quia nihil natura gi- „ gnit omni ex parte perfectum, nihil ars profert „ omnibus abſolutum partibus, & numeris, unum „ fortaſſe erit, quod in Oratore noſtro reprehen- „ das, troporum nempe, ac ſimilitudinum frequen- „ tiam, qua ad nauſeam uſque redundat oratio. Sed „ id vitii ævo potius Chryſoſtomi, quam Chryſo- „ ſtomo adſcribas; quandoquidem ille, tali concio-

„ nandi

„ nandi genere uſus, omnium ſibi conciliavit exiſti-
„ mationem, gratam concionis admurmurationem,
„ plauſus perpetuos, ac plerumque, ut ille ait, im-
„ portunos, aureique oris ideo nomen ſortitus eſt *.
„ Audi Suidam: Martyrum conciones expedita, &
„ extemporali declamatione admodum auxit. Lin-
„ gua ejus Nili catadupa profluente dicendi copia
„ ſuperabat. Nemo unquam tantis eloquentiæ, &
„ ubertatis divitiis exornatus fuit: ſolus itaque au-
„ reum, divinumque nomen ſine labe ſortitus eſt.
„ Hæc veterum fuit omnium opinio; quamobrem,
„ ſi quid nævi in tanto, tamque præclaro Oratore
„ reperiamus, id ætati, ut dixi, non Chryſoſtomo
„ tribuendum. Solertis oratoris fuit auditorum
„ ingenium feliciter exploraſſe: per illa placuit,
„ quæ jam multis non ita placent. Lacrimas mo-
„ vit, ut voluit, vitia emendavit, chriſtianam fi-
„ dem auxit, Judæos, & Hæreticos profligavit.
„ Non minorem enim in Dialectica, quam in Ora-
„ toria arte Joannem noſtrum comperimus: idque
„ procul dubio fatebitur, quisquis Conciones ejus
„ contra Anomœos, & contra Judæos accurate per-
„ legerit; ubi argutiſſime diſputat, & ratiocinio-
„ rum vi adverſarios ita urget, ut nulla ſuperſit
„ ipſis elabendi via. „

Omnia

*** Et vero gaviſus ſum magnopere, me, quæ cogitabam ſæpius. nec profari ſatis audebam, demum in ſummo Chryſoſtomi æſtimatore inveniſſe. Ita enim apud imperitos invidiam amoliri a me licet; & excuſatio, quæ vitium iſtuc auditoribus non oratori tribuit, pluribus fidem faciet. Addere tamen & illud poterat vir ſagaciſſimus, quod ubi libros, tractatus, atque epiſtolas ſcribebat Chryſoſtomus, ea ipſa in re temperaſſe ſibi quamplurimum, & tropos longe minus ſectatum, quam alii quidam ætate illa fecerunt. Accedit genere Syrum fuiſſe Chryſoſtomum. Familiare autem eſt Syris juxta Hieronymum uti parabolis, & ſimilitudinibus.**

Omnia hæc verbis pauciſſimis complexus eſt Joannes Stiltinghus, qui ſi quis alius Chryſoſtomum legit, atque ejus omnia intime eſt perſcrutatus; cum enim §. 89 ſummum, quod diximus, oratorem eum vocaſſet, hanc ſententiæ ſuæ confirmationem adjungit: *Non ſolum, quia maxima valet vi, copiaque dicendi, ſed vel maxime, quia claro, perſpicuoque differendi modo alios omnes videtur ſuperaſſe.*

Jam his copioſe quidem, verum in cumulo, quod dicunt, & generatim propoſitis, nunc quædam ſeorſim, ac paulo preſſius, enucleatiusque explicare oportet. Et primo quidem notanda eſt ejus popularitas, ſcilicet verba, ſententiæ, maxime vero ipſe modus ad populi mores, genium, ſenſum, atque adeo gratiam quoque mirifice accommodatus. *Joannes Chryſoſtomus*, ait Erasmus ad *Georgium Saxonem* *, *quidquid fere ſcripſit, ad popularem captum accommodavit, eoque fuſior eſt, ac ſimplicior, & in locis communibus ſpatiari maluit, quam in difficillimis verſari quæſtionibus.* Hæc dos ejus præcipua, qua parem profecto non habet, & quam ne in ſummis quidem, & ſublimiſſimis argumentis unquam dimittit. Videtur autem iſtud, præſertim in ſacro oratore, paulo majoris momenti, quam vulgo videatur, & quod in animos quam plurimum poſſit. *Non minor eſt virtus*, ait Laurentius a Villavincentio **, *aperte, ſimpliciter, & populariter, quam docte, argute, & graviter eloqui. Quam virtutem vere eximiam & raram neceſſe eſt, omnes uni præ ceteris Chryſoſtomo inter Græcos concedant.* Hoc ipſo ex capite Theodorus Gaza Theſſalonicenſis *Præfat. in orationes de Incomprehenſib. ad Alphonſum Regem*, facundiam

* *Epiſtola* ſæpe *citata.*

** Locum ſupra dedi. Idipſum laudat *Libro IV. de rat. ſtudii Theolog. cap.* 14.

diam Chryſoſtomi plane exiſtimat ceteris omnibus anteferri oportere. Sed & ſummi duo Præceptores Blaſius Gisbert, & Ludovicus Antonius Muratorius modis eum omnibus commendant, atque imitandum illis proponunt, quorum eſt ad populum dicere. Porro ille *cap.* 12. Chryſoſtomum *per excellentiam popularem* non vocat ſolum, ſed exemplis etiam, ac rationibus adductis plane demonſtrat: iſte *de dignitate eloquentiæ popularis cap.* 8. & 9. tam ſollicite, tam diligenter hoc ipſum oſtendit, ut præcipuum libelli ejus fundamentum videri poſſit. Ad hoc igitur maxime Lectores ejus attendant, hoc identidem reſpiciant, certi tantum exin proficere ſe nunquam poſſe, ut non alia, atque alia reſtent perdiſcenda. Neque enim tam proclivis, atque expedita eſt ea virtus, ut prima facie videri poſſit; ſed ex eo genere ſtudiorum, quæ nullo uſu, atque induſtria plene, & numeris omnibus abſolvuntur. A multis audivi, qui dicerent, nihil promptius videri ſibi, quam ea ratione dicere, qua Chryſoſtomus dixiſſet. Et ſane ipſus ex eo numero fui, quod putarem, ſufficere, ſi in manus ille aliquoties ſumatur, ut idem præſtari poſſit: verum experimento comperi, in magnam difficultatem incurriſſe me, & rem oppido gravem, & operoſam mihi ſumpſiſſe. Recte igitur Eraſmus, cum in *Eccleſiaſte* denuò popularitatem hanc dilaudaſſet, ſingularem eam dixit, & tantum non inimitabilem. *Facile eſt*, ait, *ex eo imitari, quod fuſior eſt, quod quædam repetit, & inculcat, quod crebris percontatiunculis excitat dormitantem auditorem, ſed Chryſoſtomum ipſum exprimere nequaquam facile eſt.*

Dos altera, quæ inde exiſtit, vel certe arctiſſime illi conjungitur, claritas eſt. Neque novum videatur, quod a Montfaucono nemini hac in parte concedere dicitur, & fortaſſe omnes ſuperare. Jam enim Joannes Euchaita in laudatione ſupra allegata

ea

ea ipſa de cauſa prorſus univerſis eum antepoſuit: & S. Iſidorus Peluſiota, qui ipſe vitro pellucidior eſt, *loc. cit.* vel claritatis ſolius cauſa palmam Joanni præ reliquis omnibus dicendi peritis deberi voluit. Sic autem ait: *Plutarchus autem perſpicuitatem, ac facilitatem germanum atticiſmum eſſe cenſet. Sic enim,* inquit ille, *locuti ſunt oratores. At vero Leontinus Gorgias primus hunc morbum in forenſes orationes invexit, ut qui ſublime, ac tropicum dicendi genus amplexus ſit, ac perſpicuitatem labefactarit. Hic porro morbus*, inquit ille, *admirandum quoque Platonem attigit. Quamobrem, ſi hac in re Plutarcho fides habenda eſt* *, *præclarus, ac celebris Joannes omnes ſuperat, ut qui & atticum ſe verbis præbuerit, & perſpicuitatem, qualem haud ſcio, an alius quiſquam, adhibuerit.* Quare extollant alii, quantum lubet & Baſilium, & Gregorium Nazianzenum, claritate Chryſoſtomus ſemper ſuperior eſt. Et video, Cauſſinum *Libro XV.* cum iis communiter easdem facundiæ laudes dediſſet, hoc Joanni velut peculiare aliquid adjunxiſſe: *Chryſoſtomus totus lucidus, & fluens inſtar lactei fluminis procurrit ſine ſalebris.* Adeo noſtri quoque homines cum Euchaita, Philotheo & ceteris Græcis, quando communem huic triadi panegyrin dicunt, in eandem plane ſententiam conſpirant.

Præcipue vero perſpicuitas illa ſe prodit, ubi divinis Literis lucem parat affundere. Sic enim id præſtat, ut citra laborem ſive ſuum, ſive legentis, præſtare putes; adeo complanat omnia, adeo minimum etiam ſcrupulum evellit. Et notanda eſt hoc loco Cauſſini paulo ante laudati elegans ſententia, qui *Libro II. cap.* 28. ita habet: *Recondita ſacrarum Literarum myſteria, multis, ut ſolent, difficultatum nodis*

* Vir clariſſimus Conradus Rittershuſius addit hoc loco: *ut habenda profecto eſt*: quo haud obſcure Iſidoro adſtipulatur.

nodis implicata, tam explicate diſſolvit, tanta ſententiarum, & verborum perſpicuitate illuſtrat, ut lucis radios cum verbis ipſis in mentes ſpargere videatur. Ipſe memini, cum in ceteris Patribus toties ad notas confugere neceſſum fuerit, apud hunc vix ſemel, atque iterum hæſitaſſe me. Subriſi autem, cum in libris Chryſoſtomi maxime detritis paginas notarum, mundiſſimas, ac veluti recentes a prælo ſæpius offendi. Montfauconi enim id me admonuit, qui *Præfatione in Tomum III.* conquerentibus notarum paucitatem, editioni ſuæ inſperſarum, ita reſpondet: *Hujusmodi ſcriptorem tractamus, qui quaſi amnis ſine ſalebris fluit, qui dictionis perſpicuitate nemini veterum concedit, quique verbis ut elegantioribus, ita uſitatioribus fere ſemper ſermonem texit, vix ut locum reperias, ubi explanatione opus habeat.*

Porro in Moralibus æque, ac dogmaticis magna acceſſio fit ad claritatem ejus, quod notitiam mundi admirabilem habet, quod ſectis, & opinionibus ſive Gentilium, ſive hæreticorum intime imbutus eſt, quod denique judicio acerrimo valet in dijudicandis iis omnibus, quæ praxin, uſumque præſentem ſpectant. Quidquid ergo in vita communi, quidquid in quavis conditione hominum, quidquid in negotiis Eccleſiæ & Religionis accideret, ita omnibus ſermonem attemperabat, ut interfuiſſe conventibus videretur, ac velut de rebus ſuis differentem ſinguli non ſine admiratione, & voluptate maxima auſcultarent.

Tertiam dotem in charactere Chryſoſtomi ſtatuo copiam; quæ & ipſa a quam plurimis vehementer celebrata eſt, ut nova prorſus, & ante eum diem inaudita, ſeu res, ſeu verba ſpectentur. Sebaſtianus Epiſcopus in *Conc. Chalcedon.* cum poſt Athanaſium, Baſilium, & utrumque Gregorium Joannem quoque laudare vellet, *verborum ſimul, & cogitatio-*

num

num pelagus benedictum dixit *. Daniel Heinſius *Orat. VI.* ait: *Divus Chryſoſtomus ſuada, ac medulla ſacræ eloquentiæ, qui ut amnis quidam ſummo e monte provolutus, ore immenſo decurrit.* Quibus verbis, ſi quid ego video Suidam reſpicit, ſupra a Montfaucono laudatum, ubi linguam ejus Nili cataractis comparavit. Eandem ubertatem, numeros item faciles, & flumen orationis prædicat Joannes Chriſtophorſonus ** Epiſcopus Ciceſtrenſis, Hieronymus Platus noſter ***, aliique complures, quos longum eſt recenſere. Sed neque pauci cum Gisberto hac etiam de cauſa aſſidue teri eum volunt oratoribus; qui ſic facile irrigabunt ſiccitatem ſuam. Quomodo enim copia deeſſe illi poſſit, cujus alveo tam plenum, tam ingens ſe oſtium infuderit? Pium in hanc rem deſiderium eſt ſcriptoris, neſcio cujus, qui ad procemia in Pſalmos ita præfatur ****:

O Sermonis pelagus immenſum!
Pertingens ad vaſtam usque ſcripturæ latitudinem,
Et nunc usque ad profundum pſalmorum demerſum,
Implens omnia usque ad intimos ſinus,
Et arcana ſpeculationis loca,
Clara reddens in profundo, &
Margaritas per nitidam verbo factam explicationem.
Utinam bibam, o mare dulcem fluctum tuum!
Etſi ferveas, ſitis non extinguitur
Ei, qui ardet ſcriptorum tuorum deſiderio.

Quarta dos Oratoris noſtri eſt vigor, efficacia, & impetus quidam, quæ ne illi quidem inficiantur,

* *Tom. III. columm.* 911. ad Leonem Imperatorem.
** *Præfat. in Hiſtoricos Eccleſiaſt. græc.*
*** *Libro III. de bono ſtat. Relig. cap.* XI.
**** *Tom. V. Montfauc. pag.* 539.

tur, qui toties in Patribus *patheticum* ſolent deſiderare. Chryſoſtomus enim, ubicunque collibitum erat, velut in poteſtate habuit affectus auditorum: ac recte dixit Laurentius a Villavincentio *: *Quoties vult, in utroque genere* (lenium ſcilicet, & gravium) *dominatur, vixque ſcio, quem in movendis affectibus ei ſimilem facias.* Ipſe minimum ſexies apud eum legi, quod ita commoverit homines, ut gemitus ſonarent, & profluerent lacrimæ, multi vero etiam vultus ſuos pugnis percuterent. Quod ſi iſta non moramur, ut quæ ſæpe non conterant animos, ſed emolliant tantum, quam multa obſecro, quamque magna evicit cum ſermone, tum ceteris ſcriptis ſuis? Ea certe, quæ alius nemo: & neſcio, an hodieque inquinatiſſimi etiam, & perditiſſimi ad bonam frugem non redirent, ſi modo id inducere poſſent in animum, ut ſancti viri opus aliquod interdum lectitarent. Placet ergo mirifice, quod Joannes Adelphus Mulingus *Præfat. ad Nazianzenum* exclamavit: *Quis in effulminandis vitiis, perſuadendisque virtutibus efficacior, nervoſiorque Chryſoſtomo?* Nam & alterius me admonet ardentioris etiam exclamationis, quam apud Theodoretum *Libro V. de S. Chryſoſtomo* ** legi. Sic enim ad eum in Aſiam profectum: *Vidit te antiqua Epheſus, & Joannem novum appellavit. Vidit, & Evangelici recordata eſt tonitrus?* Videat Lector noſter, quæ de hac Chryſoſtomi dote Gisbertus cum alias, tum *cap.* 2. obſervavit. Iſtuc vero minime prætereundum, quod ſæpe ita loquitur, ut plane conſtet, niſi intime commotus ipſe eſſet, ita loqui nequaquam potuiſſe. Cujusmodi ſunt de vinculis Pauli, de jactura Chriſti æterna, de Pauperibus, de Avaritia, de ſpectaculis &c.

Papæ!

---

* *De Ration. ſtud. Theolog. Libr. III. cap.* 7.

** Apud Photium *codice* jam *allegato.*

Papæ! quæ hic contentio, quis ardor! videas conſilium hominis volentis vi perrumpere, quod aliter non poteſt. Et quidem quamdiu Scripturis inhæret, leniter, & tractim decurrit oratio: ubi vero poſt ad vitium aliquod delabitur, aut aliud quid paulo gravius, in quo deficere ſuos videt, tum enimvero ebullire vis quædam, ſermo inflari, demum proſilire ingenti impetu, non ſecus ac torrens aliquis, qui collecto imbre præceps ruit, & horrendo ſonitu, quocunque fertur disjicit omnia, atque perfringit. Neque in Ethicis ſolum, ubi mores format, animadvertas hunc fervorem. Nam ſi cum Gentibus, Judæis, hæreticis aperto marte congrediendum eſt illi, acerrime ſemper inſtat, luctatur, propellit, dum arma eripuerit omnia, ac deridiculo hoſtes expoſuerit? Hæc de efficacia Chryſoſtomi.

Quinto loco notanda ſublimitas, quæ in eo non minus quam popularitas, pene pro miraculo fuit. Inde autem ortum habuit, quod Chryſoſtomus magno, ſi quis alius, animo, & ingenio fuit. Quoties ergo argumentum aliquod verſare cœpit, tralucet ſemper profunda meditatio Scripturarum, excelſum, ſubactumque judicium, fortitudo ingens, prudentia, zelus, & ceteræ virtutes, quæ in tantum Antiſtitem cadunt. Quia vero auſteritatem inſuper, cui in eremo aſſueverat, perpetuumque cum Deo commercium adjecit, auctores etiam verſavit quam plurimos, non potuit non identidem aſſurgere; hæc enim omnia altiſſimorum ſenſuum veluti ſeminarium quoddam noſtris oratoribus fuerunt. Inde paradoxa illa grandia, de quibus ſupra dicebam: inde digna imago de Eccleſia, & rebus omnibus divinis: inde contemptus rerum humanarum: inde alia, quæ in orationem nec cogitantibus nobis influunt, & nunc quidem percellunt fulgore ſuo, nunc neſcio quibus ictibus velut ex abdito feriunt.

tur, qui toties in Patribus *patheticum* ſolent deſiderare. Chryſoſtomus enim, ubicunque collibitum erat, velut in poteſtate habuit affectus auditorum: ac recte dixit Laurentius a Villavincentio *: *Quoties vult, in utroque genere* (lenium ſcilicet, & gravium) *dominatur, vixque ſcio, quem in movendis affectibus ei ſimilem facias.* Ipſe minimum ſexies apud eum legi, quod ita commoverit homines, ut gemitus ſonarent, & profluerent lacrimæ, multi vero etiam vultus ſuos pugnis percuterent. Quod ſi iſta non moramur, ut quæ ſæpe non conterant animos, ſed emolliant tantum, quam multa obſecro, quamque magna evicit cum ſermone, tum ceteris ſcriptis ſuis? Ea certe, quæ alius nemo: & neſcio, an hodieque inquinatiſſimi etiam, & perditiſſimi ad bonam frugem non redirent, ſi modo id inducere poſſent in animum, ut ſancti viri opus aliquod interdum lectitarent. Placet ergo mirifice, quod Joannes Adelphus Mulingus *Præfat. ad Nazianzenum* exclamavit: *Quis in effulminandis vitiis, perſuadendisque virtutibus efficacior, nervoſiorque Chryſoſtomo?* Nam & alterius me admonet ardentioris etiam exclamationis, quam apud Theodoretum *Libro V. de S. Chryſoſtomo* ** legi. Sic enim ad eum in Aſiam profectum: *Vidit te antiqua Epheſus, & Joannem novum appellavit. Vidit, & Evangelici recordata eſt tonitrus?* Videat Lector noſter, quæ de hac Chryſoſtomi dote Gisbertus cum alias, tum *cap.* 2. obſervavit. Iſtuc vero minime prætereundum, quod ſæpe ita loquitur, ut plane conſtet, niſi intime commotus ipſe eſſet, ita loqui nequaquam potuiſſe. Cujusmodi ſunt de vinculis Pauli, de jactura Chriſti æterna, de Pauperibus, de Avaritia, de ſpectaculis &c. Papæ!

* *De Ration. ſtud. Theolog. Libr. III. cap.* 7.
** Apud Photium *codice* jam *allegato.*

Papæ! quæ hic contentio, quis ardor! videas conſilium hominis volentis vi perrumpere, quod aliter non poteſt. Et quidem quamdiu Scripturis inhæret, leniter, & tractim decurrit oratio: ubi vero poſt ad vitium aliquod delabitur, aut aliud quid paulo gravius, in quo deficere ſuos videt, tum enimvero ebullire vis quædam, ſermo inflari, demum proſilire ingenti impetu, non ſecus ac torrens aliquis, qui collecto imbre præceps ruit, & horrendo ſonitu, quocunque fertur disjicit omnia, atque perfringit. Neque in Ethicis ſolum, ubi mores format, animadvertas hunc fervorem. Nam ſi cum Gentibus, Judæis, hæreticis aperto marte congrediendum eſt illi, acerrime ſemper inſtat, luctatur, propellit, dum arma eripuerit omnia, ac deridiculo hoſtes expoſuerit? Hæc de efficacia Chryſoſtomi.

Quinto loco notanda ſublimitas,quæ in eo non minus quam popularitas, pene pro miraculo fuit. Inde autem ortum habuit, quod Chryſoſtomus magno, ſi quis alius,animo,& ingenio fuit. Quoties ergo argumentum aliquod verſare cœpit, tralucet ſemper profunda meditatio Scripturarum, excelſum, ſubactumque judicium, fortitudo ingens, prudentia, zelus, & ceteræ virtutes, quæ in tantum Antiſtitem cadunt. Quia vero auſteritatem inſuper, cui in eremo aſſueverat, perpetuumque cum Deo commercium adjecit, auctores etiam verſavit quam plurimos, non potuit non identidem aſſurgere; hæc enim omnia altiſſimorum ſenſuum veluti ſeminarium quoddam noſtris oratoribus fuerunt. Inde paradoxa illa grandia, de quibus ſupra dicebam: inde digna imago de Eccleſia, & rebus omnibus divinis: inde contemptus rerum humanarum: inde alia, quæ in orationem nec cogitantibus nobis influunt, & nunc quidem percellunt fulgore ſuo, nunc neſcio quibus ictibus velut ex abdito feriunt.

Itaque vix alius eſt, qui petulantia ingenia tam facile coërcere poſſit; id quod nuper Abbas Ladvocat in *Lexic. hiſtor. portat.* ſapienter admonuit. *Pro divinitate religionis*, inquit, *contra incredulos argumenta affert maxime convincentia, virtutemque & praxin evangelii ipſis impiis, ac Libertinis amabilem & venerabilem reddit.* Scilicet loquitur, ut ſentit, & ſplendidas ſpecies, quas animo informarat, lectori non tam communicat, quam imprimit. Quare hic velut luce illata erigit ſe, atque in rei novæ & admirabilis ſenſu defixus, occulta vi, quæ toto corde diffunditur, ita abripi ſe ſinit, ut non modo comprobet dicta, ſed amplectatur præterea, atque in uſum deducenda exiſtimet. Legatur Gisbertus *cap.* 12. *&* 13.

Sexta virtus Chryſoſtomi varietas, & perpetua quædam miſtura rari & denſi, plani & ſublimis, aſperi et lenis, quæ nuſquam non prævertat ſatietatem. Jam enim dilatat ſeſe, jam contrahit ſubito: jam aſſurgit, jam demittit ſeſe: jam minatur, & imperat: jam ſupplicat, & obteſtatur, tanta facunditate ingenii, & tam miris converſionibus figurarum, ut licet a rebus quibusdam inculcandis, videatur avelli non poſſe, novus identidem, atque alius appareat. Pulchre Montfauconus *Præfat. in Tomum V*: *Ea vero in re*, inquit, *ceteris omnibus oratoribus, quotquot vel ſacri, vel profani fuerunt, antecellere deprehenditur, ut argumentum omni ex parte ſingulari quodam, inexpectatoque modo convertat, ſic apto tamen, ſic genuino, & ad rem, de qua agitur, accommodato, ut nihil ſupra.*

Septimo ſingularis eſt artifex in rerum adjunctis ponderandis, & deſcribendis: quod cum ubique videas, tum maxime in perſonis, dictis, & factis Scripturæ apparet. Hic enim nihil eſt, quod non perveſtiget, ac protrahat: & quia ſumma eſt ſolertia, qua id facit, nunc efferens unum, nunc deprimens alterum,

nunc

nunc inculcans quædam, nunc demirans, velut aliam ex alia ſcenam lectoribus aperit; quæ ſane res admirandam habet gratiam, & novitatem. Ita in antiqui fœderis heroibus, ita in Paulo, quem ſibi ubique ob oculos ponit, cujus ſpiritu vivere videtur, & cujus amore tantum non ebrius eſt. Ludovicus Granatenſis *Rhetoricæ Eccleſiaſticæ Libro III. cap.* 4. quædam hujus amplificationis exempla cum maxima laude ex illo commemorat. Idem clariſſimus, & pientiſſimus ſcriptor in fronte operis, ubi ad Academiam Eborenſem præfatur, diſerte monet, *de ſingularibus locis, qui a privatorum perſonarum, & rerum circumſtantiis ſumuntur, qui peculiariter ad oratorem pertinent, & magnam vim ad probandum, & amplificandum habent,* copioſius ſcripturum ſe. Cumque exempla, unum de muliere caput Domini ungente, alterum de Apoſtolo * ſubjeciſſet, ita concludit: *Hactenus Chryſoſtomus, qui in hujusmodi circumſtantiis excutiendis ut frequentiſſimus, ita mirus artifex eſt.* Iſtuc ergo ſolerter attendendum concionatori, & ſicubi res ferat, etiam imitandum. Omnes habent, quod mutuentur a Chryſoſtomo, maxime autem in amplificandi ratione, quam, uti ejus alia complura, non adeo in expedito eſſe, ut quidam putant, ipſi non ſemel experti ſumus **. Hactenus de charactere S. Doctoris.

CAPUT III.

Scriptiones præ ceteris admirandæ, & legendæ.

Ut in tam vaſto, tamque vario argumento ordinem teneamus, primo percenſenda ſunt, quæ forma Tractatuum edidit, dein Epiſtolæ, Commentarii, atque Sermones omnis generis.

 Ad Tracta-

* Illud habetur *orat.* 2. *contra Judæos*, iſtud *hom.* 4. *de laudibus Pauli.*

** Vide Claudii Aquavivæ *Epiſtolam de formand. Concionatorib. num.* 11.

Ad Tractatus pertinent *Paræneſes duæ ad Theodorum, lapſum: adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ: Comparatio Regis, & Monachi: Libri ad Demetrium, ad Stelechium*, & *Stagirium: contra eos, qui ſubintroductas habent: Quod Regulares fœminæ viris cohabitare non debeant: Liber de Virginitate: Libri duo ad Viduam juniorem*, & *Libri de Sacerdotio.* De quibus univerſe Montfauconus *Præfat. generali: Juvenis adhuc eximia dedit ingenii ſpecimina.* Item: *Quæ opuſcula præclarum referunt oratorem.* Et rurſum: *his veluti præludiis ad orandi munus ſe comparabat Joannes.* Porro de ſingulis aliquid dicendum eſt.

De prima Paræneſi ad Theodorum id noſſe ſufficiat, inter aſceticos, quos ajunt, libellos vix alium & ſæcularibus, & Eccleſiaſticis poſſe in manus tradi ſeu utiliorem, ſeu ſplendidiorem. Aſſeveranter mihi amicus, ſe ſiccis oculis vix perlegiſſe. Unde mirum omnino eſt, Valeſium dubitare auſum, num vere Chryſoſtomi ea eſſet. Certe Chryſoſtomum ne vel primoribus quidem labris attigerit oportet, qui primam paræneſin non inter elegantiſſimos ejus fœtus recenſeat; ut ait Montfauconus in *Monito.*

De *Secunda* Sozomenus *Libro VIII. cap.* 2. meminit, ubi divinam, & tum verbis, tum ſententiis humanam facultatem excedentem epiſtolam vocat. Equidem novi, hunc locum Sozomeno aſſutum haberi ab Eruditis: & vero apud Nicephorum *Libro XIII. cap.* 2. idem reperitur. Sed hoc parum refert; quod enim elegantiam operis, atque facundiam ſpectat, poſteriores non minus judicare poſſint, quam qui eos præceſſerunt. Sufficit, Theodorum mundi laqueis, & Sponſæ amplexibus jam irretitum *pulcerrimis* his *cohortationibus*, quemadmodum ibidem Nicephorus ait, *ſervatum* eſſe: *unde*, ut ejusdem verbis proſequar, *colligere licet*,

quæ

quæ dicendi vis in eo floruerit, quæve perſuaſionis gratia in illius conſederit labris.

Libros tres adverſus oppugnatores vitæ monaſticæ miror a multis abſque elogio præteriri, cum totus quantus ibi Chryſoſtomus ſonet, & loci communes ſint prorſus inſignes, præſertim in tertio, ubi de educatione filiorum, de flagitio Sodomiæ, de difficultate ſalutis apud eos, qui in mundo verſantur, de vita, & inſtitutis monachorum. Joannes Croiſet in *Exercit. piet. Bellam* dicit *Apologiam.* Ambroſius Camaldulenſis in *Nuncupatoria ad Patrem Matthæum, Opus egregium* appellat. „ Quo „ in opere, pergit, ſummus ille vir philoſophiam „ noſtram contra vituperatores & derogatores „ omnes ita magnifice, tantaque vel orationis di„ gnitate vel argumentorum vi, vel ſententiarum „ ubertate tuetur, ut omnibus poſthac maledicis „ ora perpetuo ſilentio obſtruxiſſe videatur. Id „ igitur eo libentius convertere inſtitui, quo no„ ſtris ſummæ ſpei adoleſcentibus, atque omnibus „ ubique monachis ſummo & ſolatio, & uſui fore „ arbitratus ſum; cum illi cauſam ſuam animad„ verterint a præſtantiſſimo viro ante mille annos „ tanta vel cura ſuſceptam, vel elegantia, & uber„ tate defenſam. Præterea plurimorum, qui vitæ „ præſentis commodis, & voluptatibus addicti mo„ naſticæ vitæ inſtituta carpere non deſinunt, hoc „ ſtudio & labore noſtro vel reprimendam auda„ ciam, vel inſtruendam ignorantiam putavimus. „ Eſt enim incredibile, quantum negotii, quid „ moleſtiarum ab ejusmodi hominibus perpeti co„ gamur, quantumque illi nobis obſtrepant, ſi „ quando illorum liberos, aut propinquos, aut „ alia aliqua ex parte neceſſarios, Chriſti ſe mili„ tes profiteri, atque in ejus ſacramenta jurare cu„ pientes, in noſtrum cœtum admiſerimus. Quod „ item fere monaſteriis omnibus, & religioſis congre-

„ congregationibus contingit. Quorum in manus „ libri iſti ſi inciderint, non nihil de irrationabili „ furore, & inconſultiſſima indignatione remit„ tent, & niſi fuerint penitus excordes, manus „ etiam fortaſſis dabunt, cum viderint ſe tot, & „ tam variis doctiſſimi viri rationibus concluſos, „ & circumſcriptos.„ Stylum quod attinet, in ſua, hoc eſt in græca lingua, incredibili facilitate & ubertate fluere idem affirmat: unde tantum ſibi non arrogat, ut putet ſe eloquentiſſimum virum pari orationis luce transferre potuiſſe, imo vero non ambigit in traductis plurima inconcinnius dicta offenſum iri, ſeque illum ſeſe longe inferiorem in lingua noſtra videri feciſſe.

Comparationem Regis, & Monachi Germanus Brixius *ad Joannem Bellagum Epiſcopum Pariſienſ.* ut a brevitate, ita & elegantia, & materia valde commendat. Sed & Montfauconus *inter fœtus elegantiores numerandum* cenſet.

Libri de compunctione cordis admirabilem habent ſapientiam atque aſceſin. In quibus, Criticorum judicio, quidquid ad ſuadendum potens excogitare licet, ſanctus Doctor cumulatiſſime expromſit. Secundus tamen liber priore ardentior eſt, & majorem vim habet. Croiſetus ſupra relatus *admirabilem Tractatum* vocat.

Libri tres ad Stagirium, in difficillimo ſane argumento, ſumma & facilitate, & eloquentia perſcripti ſunt. In his, uti in illis de Sacerdotio &c. *omnes eloquentiæ virtutes, ac præcipue miras amplificandi rationes inveniri* non ſemel monet Ludovicus Granatenſis *: Stiltinghus §. 12. ait, Chryſoſtomum multa eloquenter hic diſputare de providentia, & opus eſſe ſane elegans, aptumque ad afflictos quoslibet conſolandum. Montfauconus autem non ſolum

* In Rhetoric. Eccleſ. *Libr. VI. cap.* 10. *Lib. III. cap.* 4.

ſolum laudat remedium cuilibet leniendo mœrori ibidem oblatum, ſed pathetice pro more ſcriptum advertit.

Libri duo in conviventes ſibi Clericos, ac fœminas ſunt quam maxime memorabiles, ut in quibus non ardor ſolum, & efficacia ſingularis, ſed prudentia quoque eximia elucet. Mihi profecto arriſerunt vehementer, nec ſemel uſui magno fuerunt, quoties in *occaſiones*, quas dicunt *proximas*, invehendum fuit.

Liber de Virginitate prolixior ille quidem, verum egregius, qui pretio ſuo abunde compenſet longitudinem, neque tædium admittat. Stephanus Baluzius vir ſumma eruditione in *Notis ad Cyprianum de diſcipl. & habit. Virginum*, inter tot alios Patrum libros, qui poſt de eodem argumento ſcripſere, ſolum hunc commemorat, vocatque *inſignem*, quo mihi quidem ſatis aperte videtur innuere, qui hunc poſt cyprianum legiſſet, ceteris facilius cariturum. Joannes Livinejus, qui primus latinum fecit, uti in illo Nyſſeni opuſculo eruditionis, & doctrinæ, ſic in hoc facilitatis & naturæ plus ineſſe ait, in utroque vero illuſtrem, & incomparabilem orationis, dicendique vim & copiam: præmiſit autem, utrumque ſanctiſſime, ac graviſſime de re ſumma, & pulcherrima diſſerere. Sed & ceteri cum honore in hunc librum præfari omnes ſolent, ipſeque chryſoſtomus *hom.* 19. *in* 1. *ad Corinth.* affirmat, ſe, quam poterat, accuratiſſime, & diligentiſſime omnia illic perſecutum eſſe.

Tractatus duo ad Viduam juniorem vix ſum dicendo qua voluptate afficiant. Montfauconus *inter præſtantiſſima ſancti Doctoris noſtri opuſcula connumerari debere* ait. Et jure id quidem, præſertim de primo dixit; nam præter *pulcherrima monita*, *lectiſſimaque conſolationis verba*, quæ ibi ille prædi-

cat,

cat, ſingularis eſt novitas in delectu argumentorum; quam ego legens non poteram ſatis admirari, iſtuc identidem apud me reputans, cum tot Patres, & quidem omnium præcipui in hoc campo decurrant, & tantum non exultent, ſolum eſſe Chryſoſtomum, qui novam prorſus teneret viam, & ſemper aliquid exprimeret, quod vel non vidiſſent ceteri, vel certe non ita diligenter explicaſſent.

Libri de Sacerdotio ſunt caput operum Chryſoſtomi *, innumeris vicibus deſcripti & typis editi, atque ob præſtantiam novis identidem verſionibus Juventuti etiam commendati. S. Iſidorus Peluſiota *Libro I. epiſt.* 156. *ad Euſtathium*, „ Ego quidem, „ inquit, librum, quem a me petiiſti, miſi, fru„ ctumque ex eo per te expecto, qui ab omnibus „ exigi conſuevit. Nullum enim, nullum, inquam, „ pectus hujus lectio penetravit, quod non divino „ amore ſauciarit: ut qui auguſtam quidem, ac „ venerandam, rem acceſſuque difficilem Sacerdoti„ um eſſe oſtendat, verum ſine ulla reprehenſionis „ labe conſectandam eſſe doceat. Siquidem ſapi„ ens ille, & eruditus arcanorum Dei interpres „ Joannes, Byzantinæ Eccleſiæ, atque adeo Eccle„ ſiarum omnium oculus, librum eum ita ſubtili„ ter, & prudenter, atque accurate condidit, ut „ omnes tam qui, ut Deo gratum eſt, ſacerdotio „ funguntur, quam qui negligenter, & ignave ſa„ cerdotalem dignitatem adminiſtrant, hic & vir„ tutes ſuas, & offenſiones reperiant. „ Suidas in *Lexico*: *Multa ſcripſiſſe fertur, in quibus excellunt ſermones de Sacerdotio tum ſublimitate, & elocutione, tum lenitate, & elegantia verborum.* Cardina-

* Sic vocantur a Cardinali Perronio *Tractat. de Euchar.* & Tillemontio *Tom.* 11. *art.* 1.

dinalis Baronius *ad ann.* 382. *aureos dialogos* Hermantius in *Vita Libro* 1. *cap.* 14. *divinos*, Joannes Croiſet in *Exercit. piet. libros excellentes* appellat. Joannes Hugheſius editioni ſuæ ad Juventutem præfatus, *ſcriptoris elegantiſſimi opus omnium elegantiſſimum* dicit. Montfauconus *Præfat. generali: Limatiores*, ait, *ſunt libri de Sacerdotio, in iisque deprehendimus Chryſoſtomum Chryſoſtomo eloquentiorem.* Carolus Rollinus *de ratione docend. & diſc. liter. hum. Libr.* 4. *cap.* 3. *§.* 4. jure meritiſſimo affirmat pro opere maxime exquiſito, ſive quod artificem prodat, eos haberi. Plura aliorum elogia Joannes Albertus Bengelius, & Antonius Khager, dum opus hoc ederent, magno numero, ac labore collegerunt. Hoc ſolum ex Scriptore vitæ ejus Hermantio pro coronide addo: cunctis ſæculis admirationi libros illos fuiſſe, & etſi non niſi viginti duos annos natus conſcripſerit, præ reliquis tamen omnibus nomini ejus commodaſſe plurimum: cumque per omnes eccleſias divulgarentur, magni nominis viros hoc eximio ingenii partu in cognitionem hominis veniſſe *. Videri etiam poteſt nuperus operis Interpres Italus Michaël Ang. Giacomelli *Romæ* 1757. de quo Trivultienſes *eod. anno pag.* 2656.

Opus Chryſoſtomi *de educandis Liberis*, editum a Combefiſio, & pro genuino habitum a Tillemontio, fruſtra quæras apud Montfauconum. Sed & Stiltinghi diligentiam effugit. Quo magis laudandum hic loci fuit, ne lateat diutius, & oblivione demum deleatur.

His opuſculis ſubjungo ea, quæ res ipſius proprias concernunt, aut certe occaſione harum edita fuerunt. Ex iſtis *Liber, quod nemo læditur niſi a ſe ipſo*, eximius profecto ille, & imago vitæ auctoris; ſed & ideo mirandus magis, quod eſt inter

* *Loco citato.*

ter tot ærumnas, morbos, atque anguſtias perſcriptus. Baronius ad *ann.* 405. *opus quidem hujuſmodi* ait, *ut ipſum ſolum ſatis eſſe poſſit ad abſolutiſſimum philoſophum efformandum.* *Noviſſimus ſane * tanti Patris partus, quem dolore conceptum, morte etiam nobili conſecravit. Unde eum jure quis appellet Benoni, filium nempe doloris. Sed ipſe Beniamin magis proprie dicendum putavit, videlicet dexteræ filium; utpote qui efficaciſſimus ſit, quemlibet, afflictionum abyſſo ſubmerſum, conſolatione erigere, atque ſpirituali lætitia ſuper cœlos efferre: ac proin digniſſimus, qui ſemper præ manibus habeatur, utpote dulciſſima tanti Patris ultima verba.* Alii alia addunt, & doctrinam quidem ipſam ſupra ceteras omnes attollunt. Bartholomæus Fiſenus noſter Tractatum hunc commentario ſatis laudato illuſtrandum putavit, nihil efficacius habens, quo difficillimis Belgii temporibus calamitoſos ſolaretur. Vide etiam Laurentium a Villavincentio *De rat. ſtud. Theolog. Libr. III. cap.* 7. & Petrum Ribadeneiram in *vitis SS.* 27. *Januarii*, aliosque complures, qui mirifice id operis extollunt.

Librum ultimum prolixiorem *ad eos, qui ſcandalizati ſunt*, Savilius vocat *orationem inter primas nobilem*; & gaudeo, in eadem ſententia cum clariſſimo viro fuiſſe me, antequam Præfationem ejus legeram. Certe præſtantem, atque adeo admirabilem de divina providentia diſputationem continet, cui vel apud eloquentiſſimos quosque ſcriptores vix aliam ſimilem ſit reperire.

Huc Epiſtolæ etiam ſpectant, quæ multos pariter, magnosque laudatores habent. *Tantus in Epiſtolis ipſius*, ait Stiltinghus, *elucet amor Dei, & proximi, tanta fortitudo, & conſtantia, tanta modeſtia, & patientia, tam concinna omnium virtutum*

* In quo fallitur Baronius.

tum pulcritudo, ut ſicut in reliqua vita alios pleroſque homines virtutum præſtantia videtur ſuperaſſe; ita & priorem vivendi rationem in exilio ſuperaſſe videatur *. Fuſius easdem laudat Antonius Poſſevinus in *Bibliotheca opuſculo ultimo*. In his eminent fere prolixiores. *Epiſtolæ ſeptemdecim ad Olympiadem, quæ ceteris præmittuntur, ait* Montfauconus, *omnium longiſſimæ, & elegantiſſimæ ſunt, omniumque utiliſſimæ, ut addit Photius*. Sed Photium ipſum audiamus, qui *cod.* 86. ſic loquitur: „ Lectæ ſunt „ epiſtolæ S. Patris Joannis Chryſoſtomi, quas injuſte, & inhumaniter in exilium miſſus, ad varios ſcripſit. In quibus longe utiliores ſunt eæ, „ quas ad piiſſimam Olympiadem Diaconiſſam ſeptemdecim numero ſcripſit, & ad Innocentium „ Pontificem Romanum: in quibus etiam, quæcunque pertulit, quantum per epiſtolam licet, „ enarrat. Utitur etiam in his epiſtolis uſitata „ ſibi dicendi forma. Clarus enim, perſpicuus, „ ac floridus voluptati vim perſuadendi addit. Ceterum accuratius ſcriptæ videntur ad Olympiadem literæ, etſi ad epiſtolarum formam non ita „ concinnatæ ſunt, rerum, & negotiorum conditione ſcribendi legibus vim inferente. „ Ego hac ipſa de cauſa Tractatibus pleraſque ſoleo annumerare, uti illæ ad Theodorum iisdem a multis ſcriptoribus annumerantur; certe cum Tractatibus certant omnibus rebus. Verum & aliæ plures epiſtolæ oppido ſplendidæ ſunt, & eloquentes, uti illa, quæ eſt *ad Epiſcopos, & Presbyteros* ob pietatem carceri incluſos: gratulatoria ad *Anthemium*, 232*da*. *ad Carteriam* &c.

His omnibus ſubjicio, quæ contra Infideles, & hæreticos Chryſoſtomus ſcripſit, ex quibus omnium judi-

* §. 80.

judicio primas ferunt *homiliæ* quinque *de Incomprehenſibili* contra Anomœos. *In his concionibus elucet Chryſoſtomi non ſolum eloquentia, ſed etiam ἐνέργεια, ſeu vis argumentorum. Nec minus ſuſpiciendæ ſunt reſponſiones ad objecta hæreticorum, ita ut haud a vero aberret, ſi quis has homilias inter præſtantiſſima S. Doctoris opera computaverit*, inquit Montfauconus, easdem rurſum laudans in *Vita pag.* 100. De *Libro in S. Babylam, & contra Gentes* nolo meum interponere judicium; tantum diſcrepant inter ſe ſententiæ Criticorum. Tillemontius enim, licet hiſtoriæ errores quoſdam ineſſe putet (in quo fallitur juxta Stiltinghum) affirmat nihilominus, omni ſua eloquentia uſum Chryſoſtomum ad opus iſtuc exarandum. Eundem Librum jam ante in *Eccleſiaſte* ſeu *de Ratione concionandi* mirifice Eraſmus extulit; ſic enim in illum præfatur: *Singulari quodam artificio ſummam pietatem cum admirabili copulat eloquentia; ut non aliud exemplum accommodatius mea ſententia adoleſcentibus, tractatione Thematum exercendis, proponi queat. Quid enim habent Aphtonius, Lyſias, aut Libanius, quod cum hoc argumento non dicam pietate, quam habet propriam, ſed vel elegantia dictionis, vel argutia rationum, vel copia denique conferri poſſit? Hoc Thema, quod nec varium eſt, neque quidquam habet amplum, aut inſigne, mirum eſt, quibus depingat eloquentiæ coloribus, quibus ingenii opibus locupletet hic vere aureus artifex.* Contra Montfaucono, quod mirere, non admodum placuit. Tropis enim dicit redundare, neque putat ejusdem, atque cetera, elegantiæ, & fortaſſis ex tempore ſcriptum eſſe. Verum, ut dixi, his ego me non immiſceo, maxime quod alia plura ſunt, ubi in eandem ſententiam itur ab omnibus: uti *Orationes adverſus Judæos*, & *Homilia* in illud: *Filius ex ſeipſo nihil facit*, primum a Benzelio 1708. edita, nunc

ex

ex alio codice correcta a Montfaucono *Tom. VI.* quam miris laudibus ornat tam ibi, quam in *Vita.*

Atque hac ratione ad Commentarios tandem deventum eſt: de quibus & Homiliis ceteris quidam cum Photio illud univerſe ſtatuunt, accuratiores multo eſſe, quos Antiochiæ exaravit, ubi ſcilicet plus otii vir ſanctus habebat, curis paſtoralibus liber, nec alio quam dicendi labore diſtentus. Verum id principium ſæpe minus tenere, cum alii multi, tum noviſſime Stiltinghus §. 30. ſolide oſtendit.

Itaque inter Commentaria, ſeu homilias, ubi fere ſemper interpretem una, & oratorem agit, excellunt in veteri Teſtamento *homiliæ in Pſalmos: octo*, ſeu, ut modo, *novem ſermones in Geneſin: tres homiliæ in Davidem, & Saulem: Commentarius* dein *in Eſaiam: Homilia in illud:* Ego Dominus Deus feci lumen, & tenebras, & *duæ de Prophetarum obſcuritate.* In Novo eminent *in Matthæum*, & plerique *in Apoſtolum* commentarii. Porro de ſingulis aliqua dicemus.

Sermones novem in Geneſin laudantur ab omnibus; regnat enim in iis facundia: Inventio autem eſt prorſus ſingularis. Montfauconus in *Vita pag.* 99. ait: „In his concionibus, etiamſi „inter primas, quas Chryſoſtomus habuit, numerentur, non modo eloquentiam, ubertatem „in dicendo, nitidum genus verborum, & inventionis felicitatem admireris; quæ in ceteris „ejus operibus elucent, ubi ſtylum ſemper videmus populari aſſenſioni accommodatum: ſed etiam „animadvertas, quantum ad extemporaneam declamationem ſemper comparatus fuerit tantus artifex, & quam ad res quantumvis inopinatas „ſtylo perſequendas præſto fuerit.„ Datque exemplum ex Sermone 4$^{to.}$ de evagatione ocu-

 lorum

lorum, quam inter dicendum apud auditores adverterat *.

Homiliæ tres in Davidem, & *Saulem* plenæ ſunt vigoris, & valde patheticæ; certe lacrimæ, quas ciebant, & fructus uberes, quos inde orator meſſuit, ut alia taceamus, per ſe ſatis illud oſtendunt.

Homiliæ in pſalmos omni laude ſuperiores ſunt. Atque utinam omnes haberemus! nunc vero vix tertiam earum partem temporum injuriæ reliquam nobis fecerunt. Et Suidas quidem cum Libris de Sacerdotio certare illas ait, hisque propemodum pares facit. Photius quoque *cod.* 174. largam ei operi, atque eminentem laudem tribuit. „ Tanto „ tamen, inquit, inferior eſt dictio (homiliarum „ in Geneſin) in humile loquendi genus delapſa, „ ſtylo homiliarum in Acta: quanto iſtæ a Com„ mentariis in Apoſtolum, & in Pſalmos ſuperan„ tur. Ubique enim in operibus ſuis puritate, „ ſplendore, ſagacitate cum ſuavitate conjuncta, „ atque artificio uſus eſt. In his maxime com„ mentariis hujusmodi ſplendet ornamentis, exemplo-

* Cave paucas has in Geneſin Homilias cum corpore illo *Homiliarum* 67 *in* eandem *Geneſin* forte confundas. Iſtas enim Chryſoſtomus ſtylo minus accurato conſcripſit, ſaltem non elimavit, cum ex tempore diceret, & fere quotidie. Itaque humiliores ſunt, neque ita incitatæ feruntur: ipſæ periodi nimium ſæpe procurrunt, parentheſes vero tam multæ ſunt, ut principium elabatur e memoria, ſenſusque imperfectus relinquatur. Mirum eſt tamen, in iis paſſim notari conſuetam Chryſoſtomo claritatem, puritatem, ſplendorem, copiam dicendi, frequentiam ſententiarum, & aptiſſimarum ſimilitudinum abundantiam, id quod Photius *codicibus* 172. 173. 174. ſolerter adnotavit: neque inficiabuntur omnes illi, qui non unam. & alteram, ſed plures, aut etiam omnes paulo attentius lectitarint.

„ plorum ubertate, enthymematum copia, & (ſi-
„ cubi opus eſt) gravitate: atque ut uno verbo
„ loquar, dictione, conſtructione, methodo, ſen-
„ tentiis, & reliquo apparatu has expoſitiones
„ mire exornavit. „ Hæc de variis ſimul, mox
autem nominatim de opere noſtro ſic loquitur:
„ Commentarios autem in Pſalmos quandonam
„ fecerit, ſcitu difficile eſt; niſi quis fortaſſe di-
„ xerit, vim, & præſtantiam ſermonis miratus,
„ ipſum potius in otio degentem, quam in pu-
„ blicis verſantem negotiis hæc emiſiſſe. Siqua
„ autem dicta, quæ vel interpretatione, vel pro-
„ fundiore ſpeculatione egerent, non ita diligen-
„ ter ab eo explanata fuerint, nihil mirum. Nam
„ ea quidem, quæ auditorum captui accomodata
„ erant, vel quæ ad eorum ſalutem, & utilitatem
„ pertinebant, nunquam prætermiſit. Quam-
„ obrem mirari ſubit beatiſſimum illum virum,
„ quod ſemper in omnibus ſuis hunc ſibi ſcopum
„ proponeret, auditorum nempe utilitatem, cete-
„ ra autem vel non curaret, vel leviſſime attinge-
„ ret. Sed & auditorum utilitati ſolum advigilans,
„ illud contempſit, quod alicui, ipſum vel ſenſus
„ quoſdam ignoraſſe, vel ad profundiora quæ-
„ dam penetrare refugiſſe, vel id genus alia præ-
„ teriiſſe, videri poſſet. „ Photio ſubſcribit Mont-
fauconus, affirmans, hoc ejus judicium accuratum
eſſe, imo fatetur, ſe, dum expoſitiones haſce le-
geret, relegeretque, ea ipſa omnia ſenſiſſe, ac
deprehendiſſe, quæ Criticus ille monuerat. Sed
& alia, eaque præclara de operis utilitate, inven-
tione, atque aptiſſimis converſionibus argumenti
adjicit: denique in *vita* rurſum novis laudibus li-
brum commendat. Quæ cogitantibus nobis,
tanto magis eſt attendendum, ne cum Sermoni-
bus, qui ex aliorum Patrum in pſalmos com-
mentariis conſarcinati, & Chryſoſtomo per erro-

rem adjuncti ſunt, præcellentem hanc lucubrationem permiſceamus.

Commentarium quoque *in Eſaiam* jure inter præſtantiſſima Montfauconus reponit: Tillemontius quoque elegantiæ ſpecimina haud vulgaria præferre aſſerit. Neque immerito hæc dicunt; nam & ſtylus, ſi quis alius, elegans eſt, genuſque dicendi nobiliſſimum: & doctrina mores habet, ac inſtitutionem oppido ſalutarem.

Eſt & alia *homilia*, *in illud Eſaiæ:* Ego Dominus Deus feci lumen, & tenebras, digniſſima, quæ prioribus illis adjungatur, quamque Savilius *ſane perquam elegantem* appellat.

Homiliæ duæ de Prophetarum obſcuritate peculiarem & ipſæ hic loci mentionem merentur; maximi enim ab omnibus fiunt, & Montfauçono ita arrident, ut dicere non dubitet: *Has duas conciones inter nobiliſſimas commemoramus.* Ipſe ex iis nonnulla tranſcripſi, quæ maxime afficiant legentes, id quod locis videlicet ſuis alias videbimus.

Atque ut aliquando ad Teſtamentum novum accedamus, *Commentaria in Matthæum* veteres, & moderni, Græci, & Latini ad ſydera tollunt, & præſtantiſſimis accenſent. Ita Anianus Interpres ejus operis, & quidem *antiquiſſimus, & elegantiſſimus*, uti eum Caſaubonus * appellat: ita Suidas: ita plures alii: nemo tamen pulcrius, copioſius nemo laudavit Montfaucono, ſive vitam Chryſoſtomi legas, ſive Præfationem in hoc opus noſtrum; tam enim diſertus eſt in hoc elogio concinnando, tam plenus, tam accuratus, ut nunquam alias. Sed nempe hac ipſa de cauſa longior evaſit, quam ut hic adſcribi a nobis poſſit. Commendat autem inveniendi, eloquendi, ac interpretandi eximiam rationem: copiam item, & varietatem doctrinæ pro quovis genere, & ſtatu hominum

* In *Notis ad Epiſtolam Nyſſeni* ſæpe dictam.

num; ut perſuadeat ſibi, non alium in orbe librum reperiri, qui mores formaret melius, magisque ad familias componendas, & uſum pie vivendi accommodatus eſſet. Illud præterire non debeo, quod de S. Thoma Aquinate narrat; etſi multis non erit novum. Cum enim forte ſocii Lutetiam ipſi oſtendentes, urbis pompam, magnitudinem, amœnitatem ſummis laudibus efferrent, gratius futurum ſibi dixit, ſi quis Chryſoſtomum in Matthæum, quam Metropolim hanc regiam dono ſibi daret; cujus ſcilicet lectione oculos, & animum magis erat ille paſturus, quam aſpectu, & poſſeſſione Pariſiorum

Homiliis in Matthæum audacter ego *Digreſſiones morales in Acta* ſubjungo. Equidem non ſum neſcius, quam ſit vehementer de his Sermonibus diſceptatum a Billio, Savilio, Fabritio, Montfaucono, Stiltingho &c. aliis cum Eraſmo valde deprimentibus, aliis cum Photio efferentibus. Satis eſt ex tempore fere dictos; id quod efficio ex ipſo Montfaucono, miram codicum diverſitatem querente; manifeſto utique indicio, non ſcriptas, ſed a dicentis ore exceptas eſſe. Dein perplexitas ſtyli, jejuna item, inculta, atque etiam hiulca oratio, quæ ibi culpatur, non ipſas *Digreſſiones*, ſed *commentarium* tangit, qui tum maxime involvitur, cum ſingillatim jam explicata, ad finem reaſſumit, & denuo inculcat. Ipſæ vero Digreſſiones Chryſoſtomo digniſſimæ, nec minus ceteris diſertæ ſunt. Plus etiam dicit Montfauconus: *In Ethica adhortatione, quæ Homilias claudit, hic ſemper ſui ſimilis eſt, imo etiam alias conciones ſuperat.* In *vita.*

Quod ſi quis quærit a me, quid ergo de *Homiliis in Joannem* ſentiam, quas conſtet a Suida inter Chryſoſtomi præcipua numeratas? Sic reſpondeo: eſſe ibi nitorem, atque ele-

gantiam præcipuis æqualem: non vero flumen illud, non expeditam copiam, non ceteras opes eloquentiæ, Chryſoſtomo uſitatæ. Quod enim homilias iſtas extra ordinem ceterarum, quibus omnes intererant, diceret, & fere ſelectos tantum, atque acutiores quosdam adverſus Anomœorum dicteria ibi obarmaret, raro Moralia attigit, & facundiæ habenas permiſit. Itaque non erat a Suidæ judicio, atque auctoritate recedendum: & Montfauconus magis ad vivum quæſtionem reſecuerat, ſi ſalva Critici ejus ſententia triplex apud diſertos dicendi genus, planum, temperatum, & ſublime ſtatuiſſet: tum vero iſtuc docuiſſet, Chryſoſtomum, qui hic interpretem, non oratorem agere inſtituerat, quemadmodum alias in temperato, atque ſublimi, ita nunc juxta Suidam in plano excellere: igitur fere æquandum opus libris de Sacerdotio, quantum quidem Annotationum ratio ſinit, quæ non qualemcunque, ſed preſſiorem, ſed faciliorem ſtylum requirunt. Sic enim neque Chryſoſtomo, neque Suidæ, ſed neque ipſi Montfaucono aliquid deceſſiſſet: lector vero nihil habuiſſet, cur penderet animi, atque incertus relinqueretur.

Jam ad Paulinas Epiſtolas convertimur, in quibus operæ pretium fuerit paulo diutius immorari. Et quidem varias, easque eximias laudes in commentatorem congerit Photius *codice* 174. easdem videlicet, quibus eundem in Pſalmos extulerat. Sed & alios plurimos, eosque magni nominis laudatores habet hoc corpus homiliarum. Alii enim ſimpliciter omnibus præponunt, alii pares, alii proximas libris de Sacerdotio ſtatuunt. Certe hic ſummus paſſim & dicendi, & commentandi artifex apparet Chryſoſtomus. Et Cornelius quidem a Lapide *Prolegom. in Epiſt. Pauli*, ubi interpretes hujus enumerat, excellere iſtum ait, tum ſenſu literali, tum morali, tum ſpiritu Paulino. Matthæus Gale-

Galenus Cancellarius Academiæ Duacenæ *Prolegom. in Epiſt. ad Hebræos*, *eloquentiſſimas* vocat ejus *homilias*, *nobis aureo illo Chryſoſtomi gurgite fuſas.* Franciſcus Ribera tantus Patrum cognitor *Proœmio in Zachariam num.* 9. *Chryſoſtomus*, inquit, *nuſquam non ingenioſus*, & *doctus*, *in Epiſtolis Pauli & alios vicit*, & *ſeipſum.* Benedictus Juſtinianus, & ipſe ſummus Interpres *, cum græcos in Paulum commentatores memoraſſet, *de Chryſoſtomo*, ait, *nihil attinet dicere; neque enim quiſque facile ſtatuat, quid in eo magis mirandum ſit, eximiane, ac ſingularis in Paulum propenſio*, *an accurata ejus ſententiæ explanatio, an denique incredibilis eloquentiæ vis, qua, quod ipſe probe intelligit, in legentium animis pene inſculpit.* Atquæ hæc opinor eſt cauſa, cur quidam hiſtoricorum, imo ipſum Officium Romanum dictatas a Paulo commentationes eas tradiderunt. Verum Stiltinghus, ad cujus forum hæc proprie ſpectant, dubiam rei fidem facit; ut quæ alios teſtes non haberet, quam poſteriores illos, qui fabuloſa alia haud pauca commenti eſſent. Utcunque erit (neque enim adſcititiis & ſuſpectis egent laudibus, qui ſolidis & certis abundant) id ſufficere omnibus debet, quod vir ſanctus, doctusque Jacobus Alvarez de Paz *Tomo I. de vita ſpirituali Libro* 1. *p.* 1. *cap.* 2. affirmavit: Chryſoſtomum *eas epiſtolas ſupra captum humanum fuiſſe interpretatum;* quod certe evincit, lumen peculiare Divo affulſiſſe, ut per ſe clarum eſt, & prudens nemo inficias ibit.

Verum hic nondum ceſſavimus de Commentariis in Paulum dicere, quin imo incepimus tantum. Habendus enim tanto viro is honor eſt, ut ad ſpecialia quoque deſcendentes, partes operis ſingulas excutiamus. Eſtque hoc ipſum oppido ſalutare,

* In *Prolegomen. Diſputat. II. cap.* 4.

tare, ne dicam neceſſarium, quando in tanta ſcriptionum varietate non omnes parem omnino laudem, perfectionemque ſunt conſecutæ.

In ad Romanos. De hoc opere ſtupendum habemus elogium S. Iſidori Peluſiotæ, qui *Libro V, epiſt.* 32. ſic loquitur: *In commentariis, potiſſimum ad Romanos, ſagaciſſimi Joannis ſapientiæ theſaurus quidam eſt. Sic enim exiſtimo (ne quis ad gratiam hic me loqui putet) ſi divinus Paulus attico uti ſermone voluiſſet, quo ſui exiſteret interpres, non aliter interpretaturum fuiſſe, quam ſupra dictus Chryſoſtomus vir venerandus præſtitit; adeo enthymematis, ſententiis, atque orationis elegantia, verborumque hic eſt uſus proprietate.* Qua criſi tanti, tamque diſerti hominis audita, non eſt, cur tot aliorum effuſas laudes ultra requiramus.

In I. ad Corinthios. Et iſte commentarius omnibus mirifice probatur. Savilius nihil eſſe uſpiam ab Joanne noſtro illis ſermonibus ſcriptum accuratius, nihil limatius, affirmat. Montfauçonus quoque in *Præfat.* eleganter eum commendat, atque inter cetera ſic dicit: *Nuſquam certe majori ſtudio elaboratas homilias deprehendas.* Quin etiam timet, ut ne aliquibus redundare ea in re, & ſubin ultra metas progredi videatur: cui recte ſubjicit, injuria id facturos, quando Chryſoſtomus ſuorum ingenium exacte noviſſet, atque ſecutus eſſet. Easdem homilias idem denuo in *vita* quoque prædicat.

In II. ad Corinthios Equidem hic accuratione interpretandi par, ſed ubertate, & elegantia inferior eſt, ſtylum enim habet conciſum, & paulo aſperiorem. Quare & Savilius ſubdubitare ſe fatetur, num ea de cauſa ab occupato magis auctore Conſtantinopoli ſcriptum id opus eſſet: & Eraſmus rotundius, ſe prorſus in eis Chryſoſtomi phraſin, pectusque deſiderare. Verum modernis Cri-

ticis

ticis ſecus videtur; neque negari poteſt, Commentarium hunc illo *in ad Coloſſenſes, in utramque ad Theſſalonicenſes*, atque etiam *in ad Hebræos* multo eſſe limatiorem.

In ad Galatas quæ ſcribit Chryſoſtomus, mera & continua Interpretatio eſt, nequidem in homilias diſtincta. Tamen præ ceteris omnibus in genere eo laudatur, partim ob perſpicaciam, & accuratiſſimam explicationem, partim ob dexteritatem ſingularem, qua ſententias verſat, atque in hæreticos intorquet. Cardinalis Baronius diſerte ait, in hac epiſtola interpretanda Chryſoſtomum ſe ipſum ſuperaſſe.

Homiliæ in ad Epheſios ponuntur inter ſelectiora, cum ob ubertatem, & accuratam explicationem, tum propter ſingulares quaſdam doctrinas, quæ perpetuum, neque vulgarem uſum habent. Laudat opus ex utroque hoc capite Montfauconus. Mihi maxime placent, quæ *homilia* 11. de ſchiſmate, *homilia* vero 20. de inſtitutione uxoris, *homilia* 8. de vinculis Pauli habet: imo hoc loco plane eminet, quod omnem eloquentiæ artem profundat, quin non artem, ſed quidquid ardens animus, quidquid cor amore ſaucium tantum non imparato ſuggerebat.

In ad Philippenſes Homiliæ mores habent, perquam accurate, & diſerte tractatos. Id etiam peculiare ipſis eſt, quod locorum quorumdam inſigniorum non ſolicitam tantum, ſed repetitam dant explicationem, quam ipſam ob cauſam eſt factum, ut in obviis hic eſſet neglectior Chryſoſtomus nec niſi obiter in interpretandis iis verſaretur.

Quæ *in ad Coloſſenſes*, & *Theſſalonicenſes* S. Pater ſcribit, non admodum æſtimantur ab eloquentiæ ſtudioſis. Stylus obſcurior, & fere intricatus, genus dicendi plane abruptum ſat clare oſten-

oſtendunt, ad uſum plebis Conſtantinopoli ſuſceptum illud opus, quod negotiis paſtoralibus identidem avocantibus, non potuit ad incudem revocare. Sed Homiliæ quoque *in ad Timotheum* minime ſunt ex elegantioribus, atque accuratius perſcriptis, quacunque demum ex cauſa id contigerit, certe alia, quam quæ de prioribus illis eſt data; neque enim ab Antiſtite, ſed Presbytero etiamnum Antiochiæ habitas plura ſunt, quæ ſuadere poſſint.

In ad Titum. Hic enimvero eloquentia Chryſoſtomo propria, & accuratio in explanando ſingularis. Addit Montfauconus in *Monito*, & in *Vita*, quod plus ſtudii, plus diligentiæ in opere iſto notetur, quam in multis aliis, & quod plenius omnia, & fuſius ſolito ſanctus Doctor diduxiſſet.

Homiliis *in ad Philemonem* eadem fere laus, quæ commentariis *in ad Galatas* debetur; tam magna eſt accuratio, & incredibilis quædam diligentia in Apoſtolo explanando. Recte Montfauconus: *Epiſtolæ porro hujus ad Philemonem dicta omnia ſanctus Doctor pluribus perſequitur, ita ut parem diligentiam & accurationem alibi in ſcriptis ejus vix reperias.*

Homiliæ in ad Hebræos equidem non ſunt omnino elimatæ, neque ex præcipuis, dignæ tamen Chryſoſtomo, ſive modum tractandi, ſive mores ſpectes; adeo in utroque & nativi cujusdam leporis, & ceterarum Chyſoſtomi virtutum ratio habetur. Eraſmus autem, ſi iſtæc potius, quam ancipitem operis titulum ſpectaſſet, nunquam id erat Chryſoſtomo abjudicaturus. *In his quippe homiliis*, ait Montfauconus. *Chryſoſtomi ſtylus, dictio, ſales, ethica præcepta a lectore perito ſtatim percipiuntur.* Quod ſi cui necdum ſufficit, antiquiſſimum Caſſiodori teſtimonium audiat, qui *capite VIII. de divin. Lectionib.* ita habet: *Ad Hebræos vero Epiſtolam, quam S. Joannes Conſtantinopolitanus attico ſermone tractavit,*

ſtavit, Mutianum virum diſertiſſimum transferre fecimus in latinum.

Qui porro ſingulares quoque Homilias, quæ non poſſunt ad certam claſſem reduci, inito delectu, recenſitas a nobis cupit, rem ille quidem oppido difficilem, atque moleſtam poſtulat: verum Chryſoſtomi cauſa nihil nobis recuſandum eſt. Quare adſcribam, quæ præſtantiores non tam a me, quam a Criticis habentur, & præ ceteris legendæ ab iis ſunt, qui ad opera hujus Doctoris accedere aliquando in animum induxerunt.

Tomo I novo (hoc enim ordine progredimur) *Homilia in Kalendas* plurimum & ingenii, & vigoris habet, eſtque plena utiliſſimorum præceptorum. Quare miratus ſum non ſemel, quod fere illaudata ſoleat ab auctoribus præteriri.

Homiliæ quoque *in Lazarum* commemorandæ hic, atque laudandæ ſunt. Non enim parabolam illam tantum, ſed alios præterea locos mirifice verſant. Vim item, copiam, ſenſum popularem, hoc vero præcipue Chryſoſtomi habent; quod quibus ipſe afficiebatur, tantum non inſigant animis auditorum. Unde non miror, tanto fructu, & aviditate, auditas, ut Chryſoſtomus ipſe ſucceſſum tam proſperum minime diſſimulandum putaret.

Tomo II excellunt *Homiliæ viginti, & una ad populum Antiochenum de ſtatuis.* Viginti, & una dixi; nam reliquæ, quotquot hoc nomen mentiuntur, nequaquam a Chryſoſtomo ſcriptæ, verum ex variis ejus operibus compilatæ, & demum in unum illud corpus redactæ ſunt. Atque iſtuc Fronto Ducæus noſter non qualibuscunque argumentis evicit, ſed recenſione ſingularum inſtituta ad oculum monſtravit. Illæ porro, quæ genuinæ ſunt, magnopere a ſcriptoribus prædicantur. Unum brevitatis cauſa Montfauconum audiamus, qui in *Præfatione* motam Antiochiæ ſeditionem memorans iſta ſubjungit.

git. *Hæc fuit Chryſoſtomo noſtro ad concionandi facultatem exercendam ampla materies. Antiochenis quippe inter ſpem, & metum fluctuantibus, dum repentini caſus novam, inexpectatamque quotidie vel ſperandi, vel timendi cauſam offerrent, imparatus fere ſemper Chryſoſtomus, prout res ſeſe dabant, ſtylum vertere coactus, ex tempore illas admiratione certe dignas homilias pronuntiabat; modo ut in calamitate verſantem populum conſolaretur, modo, ut fractos periculi magnitudine animos confirmaret: tum præcipue, ut occaſione imminentium malorum Antiochenos ad vitia corrigenda, eluendaque crimina, quæ tantam Dei iram accenderant, monitorum frequentia deduceret, qui certe conatus Chryſoſtomo ceſſit e voto, ut ille alicubi fatetur.* Atqui fructus ex labore illo relatus propria, atque præcipua laus eſt, quæ in Chryſoſtomum tum temporis concionantem conferri poſſit. Tria enim initio ab auditoribus rogaverat, quæ poſt inculcare non deſtitit, ut inimicum haberent neminem, neque cuiquam eorum, qui ſe triſtitia affeciſſent, maledicerent, & improbam jurandi conſuetudinem aliquando eliminarent. Maxime vero in juramenta incubuit, eamque peſtem ita exagitavit, ut nullum jam in tanta multitudine juramentum audiretur, & ſi cui præter voluntatem aliquod exciderat, certatim domi, foriſque ab adſtantibus corriperetur. Quare & ipſis Antiochenis feliciſſime ea mutatio ceſſit, placatusque eo ſtudio Deus Theodoſium quoque placavit.

Inter *Homilias de Pœnitentia* laudem ſingularem meretur V. olim *apud Ducæum* I[ma] *Pulcherrimam Chryſoſtomi homiliam* dicit Montfauconus. Et certe inſigni facundia jejunium, & pœnitentiam, ut diabolo quidem terribilia, Deo autem gratiſſima commendat.

Sequuntur *Homiliæ* duæ continenter dictæ una *de SS. Martyribus*, altera *non eſſe ad gratiam concionan-*

nandum. Harum prior, quamdiu Martyribus immoratur, plane admirabilis eſt. Altera vero tota multo magis a dicendi peritis prædicatur.

Sed et *Laudatio Sanctorum omnium, qui martyrium toto terrarum orbe ſunt paſſi*, graviter, jucundeque eſt ſcripta, & fortitudinem chriſtianam ab exemplo, & præmiis martyrum ita exſuſcitat, ut eam inſpirare animis videatur.

Tomo III. Homiliam in Debitorem decem millium talentorum Savilius *optimæ notæ* vocat. Stiltinghus commendat ſtudium, quo charitatis præcepta ibi inculcantur, atque alia etiam morum documenta eleganter immiſcentur.

Homilia in illud: ſi eſurierit inimicus tuus, Savilio eſt *elegans oratio, & auctore Chryſoſtomo digniſſima.*

Homiliam de Eleemoſyna, quam utilem tam elegantem, Montfauconus ex tempore dictam putat. Et ſane exordium ejusmodi eſt, ut ſuadeat, virum ſanctum ſubito ardore correptum proſiliiſſe in cathedram, & cauſam pauperum ſuſcepiſſe. Verum Stiltingho ſecus videtur. Nequit enim in animum inducere, accuratam adeo, & eruditam diſputationem, qualem Montfauconus non negat, ab eo dici potuiſſe, qui illam ante præmeditatus non eſſet. Itaque initium forte ex tempore additum putat, pro more oratorum, antequam eveniant, quædam perſcribentium, quæ experientia didicerunt, evenire fortaſſis poſſe.

Homiliam porro *de futurorum deliciis* nemo ſine voluptate legerit, adeo aurum illud refert, & tota Chryſoſtomum loquitur. Montfaucono ita arriſit, ut jam *pulcherrimam*, jam *elegantiſſimam* appellaret.

Homilia in illud: in faciem Petro reſtiti, & ipſa quam maxime ad delectum hunc pertinet, ſane pulcherrima, quam merito Savilius *orationem inter præcipuas Chryſoſtomi facile numerandam affirmat.* Tractat autem controverſiam Apoſtolorum methodo non

non minus clara, quam ſolida, opinionemque ſuam, omnia ex compoſito inter eos geſta eſſe, prorſus egregie, atque ad hominem propugnat.

Homilia in Eutropium, quæ, quod mirere, tantum non ex tempore pronuntiata fuit, ſtudio tamen plurimo, & ingenti labore videtur ſtetiſſe: paſſim autem a Rhetoricæ præceptoribus, atque ab ipſo Rollino velut eximium artis ſpecimen celebratur. In acatholicis quoque ſcholis hoc primum ſæculo edita non ſemel, & juventuti commendata fuit. Et certe ad eventum illum tam mirabilem, tam ſingularem nihil aptius dici vel ſalutarius potuit. Neſcias, quid primum, quid poſtea, quid ultimo mirere. Superi! quæ ibi imagines! quis ſplendor! qui lacerti! omnia mores habent, atque aliud ex alio naſcitur, quod figat aculeum, & mentes percellat. Itaque pronum erat, ut, quotquot aderant, ſimul ad rerum fluxarum contemptum, & infelicis illius miſerationem impellerentur. Vidiſſes mutatos repente omnium animos, cum vel ex ipſis illis, qui hominem, velut publicum hoſtem diſcerpturi venerant, nemo lacrimas teneret.

Sermo, cum Saturninus, & Aurelianus in exilium miſſi eſſent, magno candore, nativa elegantia, ſolitaque Chryſoſtomo efficacia contextus eſt.

Oratio in Diodorum Tarſenſem ab ingenio & elegantia non minus, quam modeſtia celebratur. Et ſane vix ſum dicendo, quam inde voluptatem ego ceperim, quo ſenſu iterum, iterumque eam reguſtarim. Popularis eſt, ut quæ maxime; cumque celerrime & ipſam auctor exprompſiſſet, per otium, nec ſine ſingulari cura perſcriptam jurares. Viris duobus dicendi peritis legendam aliquando dedi; & uterque vehementer eam eſt admiratus.

Tomo VI. Homilia adverſus eos, qui Eccleſia relicta ad Circenſes ludos, & ad theatra transfugerunt, quotiescunque ſe offert occaſio, mirifice a Mont-

fauco-

ſaucono, qui primus edidit, laudatur. Imo haud obſcure omnibus aliis præponere eam videtur; nam *Præfatione* in hunc ipſum Tomum diſerte pronuntiat; pulchriorem alteram non eſſe in Chryſoſtomi ſcriptis. Sed vide eundem clariſſimum virum in *Monito* prævio, ubi magis etiam in laudem ejus effunditur, Ego eandem diu multumque expendens apud animum meum, poſtquam familiarem mihi reddideram, acerrimam profecto, graviſſimamque inveni. Atque eo nomine etiam a Stiltingho commendatam video, magis autem ab ipſis auditoribus, quibus ſigna doloris publica, eaque ſingularia expreſſit.

De *Tomis VII, VIII, IX, X, XI.* jam diximus; ut in quibus ſuperiora continentur.

Tomo XII. Quarta ex ante ineditis, quæ *de patientia, & virtute Jobi* inſcribitur, longiuſcula illa quidem, ſed quæ propter facilitatem ſuam perbrevis videatur. Elegantem dicunt & Montfauconus, & Stiltinghus. Ego vero vix aliam ſcio, ubi argumento ſemel aſſumpto tam diſtincte ordinateque vir ſanctus inhæret.

Quid vero ain' de *Panegyricis?* num omnino hoc genus ſermonum præteribis? Pauciſſima dicam; neque enim multis opus eſt. Hos inter ſermones, etſi paſſim ſplendidos, atque inſignes habent locos, vix tamen ullus eſt, qui ceteros valde præcellat. Et quidem illum in Diodorum Tarſenſem, itemque alium in Martyres totius orbis ſuperius laudavi. Sed & alios paſſim laudat *Martyrologium Romanum*, & Baronius in *Notationibus illi* adjectis. Ut autem ingenue fatear (nam ſinceros oportet eſſe, non cæcos laudatores) plerique, certe plures illorum ad guſtum ætatis noſtræ minus accedunt, quam reliquæ Chryſoſtomi ſcriptiones. Quare Suidas, qui, ut ſupra dictum eſt, laudationes eas nominatim com-

mendat, ſuorum ingenia melius norit, neceſſe eſt, nos noſtra novimus.

Hæc de delectu operum maximi oratoris, ſeu facundiam, ſeu molem operum ſpectes. Eſt enim ingens numerus ſcriptorum ejus: recteque Montfauconus omnes ſimul ſumptos *Bibliothecam* vocat non ſemel. Quod ſi Roberto de Monte fides eſt *: Si Guilielmo Paſtrengico **: Si Theophilo Raynaudo ***, cum tam multa habeamus, tamen multa adhuc deſunt nobis. Pſalmos exempli cauſa credibilius eſt omnes expoſuiſſe: ergo ex tanto theſauro vix tertia pars modo reſtat, imo jam Photii tempore cetera deſiderata ſunt. Quid quod Suidas, recenſitis quamplurimis, aſſerit? *Cetera ejus ſcripta ſunt innumera. Omnem enim & Judaicam, & Chriſtianam Scripturam ita enarravit, ut nemo alius.* Et iterum: *Numerum autem ſcriptorum ejus recenſere, non eſt hominis, ſed Dei potius, omnia ſcientis.* Quod ideo tacendum non fuit, ut ſi in tanta mole ſcriptorum quid excidit nobis, facilior venia fieret, neque ignaviæ detur, quod rei ipſius magnitudini tribuendum erat. Profecto enim uti diu, ita nec indiligenter in Chryſoſtomo verſati ſumus, vel ea de cauſa, quod multa habet ex tempore dicta, quæ non ipſe, ſed notarii ſcripſerunt: in hæc vero ſi primo incidant juniores nihil facilius ſit, quam ut vix in manus acceptum oratorem noſtrum abjiciant penitus. Quod in Editione Germanica, a Cramero nuper curata video eveniſſe. Hic enim quantum ante Chry-

* *In Supplemento Chronici Sigeberti ad ann.* 1181. ubi ait ad Concilium Romanum ſub Alexandro III. inter alios veniſſe quemdam civem Piſanum, nomine Burgundionem, peritum tam græcæ, quam latinæ eloquentiæ, qui dixerit Joannem Chryſoſtomum totum V. & N. Teſtamentum expoſuiſſe.

** *Apud Montfauc. Præfat. Tomi ultimi titulo ſecundo,* & rurſum *eodem Tomo* in teſtimoniis veterum.

*** *De Confeſſione Librorum.*

Chryſoſtomi facundiam extulerat, tantum poſt depreſſit, ubi ad extemporalia ejusmodi perventum eſt. Atqui iſta omittere oportebat eum, qui delectum facere in tam vaſto opere inſtituiſſet. Sic enim & Lectoris commodo, & Sancti Doctoris gloriæ melius conſultum fuerat, quam tumultuaria quædam una obtrudendo, & quod inde ſequitur, reprehenſionem laudibus permiſcendo. Eſt autem indignum, neque ferendum cordato viro, ut ſuus Chryſoſtomo zelus, atque immenſa charitas fraudi ſit; ut per quæ ſola ſtetit, quod tam multa ex tempore funderet, ac feliciſſime cœpta abſolvere non poſſet.

Porro, qui plura de Chryſoſtomi facundia ſcire volet, habet Palladium, Theodoretum, Sozomenum, Damaſcenum in *Panegyri*, Nicephorum, Philotheum Patriarcham, & Græcos alios ingenti numero: aſt nobis miſſis aliis omnibus ſufficiunt Henricus Savilius, Fronto Ducæus, Godefridus Hermant, Ludov. Elias Dupinus, Sebaſtianus Tillemontius, Bernardus de Montfaucon, & Joannes Stiltinghus. Hi enim de eloquentia Chryſoſtomi immortaliter meriti ſunt omnes, & quod vel vitam ejus, vel opera ediderint, in eo, & omnibus, quæ ad eum pertinent, legendis inſigniter verſati fuere. Quibus addi poſſunt, quotquot in opuſcula S. Doctoris ſpeciatim a ſe edita præfati ſunt; neque enim apud Ducæum, qui plures eorum Præfationes exhibet, univerſas reperire eſt: Item omnes, qui vel auctores ſacros copioſius recenſent, vel Hiſtoriam Eccleſiaſticam majore ſtudio conſcripſerunt: certe Baronius in *Annalibus* de ſingulis fere Chryſoſtomi operibus ſpeciatim commemorat. Placet etiam Graveſonius *Libr. II. pag. mihi* 34. *&* 35. Denique recoli poſſunt, quæ Libro I. Diſputat. 5. & 7. hanc in rem dicebamus.

Nunc unum reſtat, uti Lectores meos magnopere horter, & obſecrem, ne de Chryſoſtomo deinceps quoque minus laborent, & quod conciones ſpectat, eum ulli alteri ſeu veterum, ſeu recentiorum poſtponendum putent. Omnes querimur frigus, incredulitatem, & licentiam temporum noſtrorum: & quem illis rectius opponemus, quam oratorem eum, qui ſua ætate non minus profligatis moribus cauſam Eccleſiæ tanto animo ſuſcepit, tanto ardore, tanta felicitate propugnavit?

Joannes Euchaitarum Epiſcopus in elogio ſupra allegato temeraria, ac plane græca auxeſi aſſerit: *Niſi fuiſſet hic Sanctus (licet hoc dictum videatur confidentius) opus fuiſſet altero Chriſti in terras adventu; usque adeo & virtute, & virtutis exercitatione, & commentatione divinarum rerum præſtabat ceteris.* Non eo rem extollimus nos, nec Chryſoſtomi amore deliramus. Maneat in cœlis Chriſtus; ſed & Chryſoſtomus maneat: ſtylum ejus requirimus, nihil aliud; hoc petimus, hoc ſuſpiramus, ut ſectari eum aliquando incipiant, qui tam multos alios nullo fructu ſectantur. Inde enim aliqua ſpes affulget, inde malis noſtris medicinam pollicemur. Calamitoſius erat Lutheri ſæculum, & tamen ipſe Eraſmus, pars ejus calamitatis non minima, medicinam a Chryſoſtomo petendam exiſtimavit; ſic enim in *Nuncupatoria operum* ad Chriſtophorum a Stadio, Epiſcopum Auguſtanum, perſcripſit: *Perſpicio frigus, vel potius interitum Chriſtianæ rei hinc proficiſci, quod populus non alatur aſſidue verbo Dei: & quibus hoc muneris delegatum eſt, aut omnino nulli ſunt, aut ſecus, quam oportet tractant Scripturas, vel propter inſcitiam, vel quia potius ducunt lucrum decimarum, quam animarum. Itane nullum exiſtere hoc ſæculo, qui hunc Eccleſiaſten imitetur, cum Thomas, & Scotus tam multos habeant imitatores!* Hæc ille pungendi cauſa, ut ægre faceret Scholaſticis, & *Mendicantibus*, cum quibus diſſidebat implacabili odio, & perpetuo bello implicitus erat. Alia hodie omnia: & vereor, ut potius nimia ſit cura parandarum Concionum. Quod ergo Eraſmus de Scholaſticis, rectius ego de oratoribus Gallis dixerim, quos iniquiſſimo loco apud populum nunc quidam imitantur. Quid ergo, interpellantes audio, quid ergo, tune improbas eorum conciones? Nequaquam; ut alias ſolenniter ſum conteſtatus. Non legis autem eos, non miraris, non duces ſequeris? Ut nemo magis; ſed raro, ſed loco videlicet ſuo. Abſolutiſſima ſunt eloquentiæ exemplaria, verum, ut ingenue dicam, profanæ potius, quam eccleſiaſticæ; adeo nihil niſi perfectum ingenio, & elaboratum induſtria afferunt. Quare pro paucis, pro doctis faciunt & principibus viris, imo nec pro iſtis ſemper. Certe fructus labori minime reſpondet, ut qui fere in plauſibus & admiratione dicentis unice conſumitur. Rei teſtes non experientiam modo, ſed Gallos ipſos, & concionatores eorum appello, a quibus iſta audivi non ſemel; nec defuit vir magni uſus, atque doctrinæ, qui diſpendia

Reli-

Religionis hinc quoque, uti cauſa non ultima, repetebat. In horum ergo locum Chryſoſtomus ſuccedat, ita popularis, nativus, pudiceque ornatus, ut rudiores quidem admiratione defigat, doctos vero & ſapientes haud parum oblectet. Quid enim eſt amplius, quod cauſari poſſint, quotquot hactenus a legendo eo abſtinuerunt? Norunt eloquentiam ejus; ut quam modo non tam a nobis, quam a plurimis, graviſſimisque teſtibus didicerunt. Sed neque iſtuc queri poſſunt, ad manus ſibi illum non eſſe. Cum enim maxime hæc ſcribimus, vernacula lingua iterum editus, retenta quidem Crameri verſione, ſed caſtigatis interdum, ſublatisque non paucis, quæ offenſioni eſſe potuiſſent. In promptu ſunt omnia, nihil præter voluntatem deeſt; voluntatem dico tam eorum, quorum eſt dare leges, quam illorum, quorum eſt legibus obtemperare.

Finio verbis clariſſimi Viri Conradi Rittershuſii, qui in *Notis ad Epiſtolam* 224. *Libri IV.* Iſidori Peluſiotæ hos ſe ait aliquando jambos operibus ejus *eloquentiſſimis, & ſanctiſſimis* præfixiſſe.

O gratioſe Doctor, o os aureum,
O flumen aureum ſacræ eloquentiæ.
Ab ore pendentem tuo quam me juvat,
Haurire ſermones tuos ſuaviſſimos!
Ut mi merum videre nectar fundere!
Ut elevas chorum me in ipſum cælitum!
Mentem legentis ut facis frui Deo!
Perge o rigare nos tuo illo imbre aureo!
O perge nos tua ambroſia illa paſcere,
Famemque noſtram pellere æterno cibo!
Nunquam ſatur tua recedo copia;
Sed me beata ſemper excoquit ſitis,
Augens in horas, dum tuum fontem bibo.
O gratioſe Doctor, o os aureum,
O flumen aureum eloquentiæ ſacræ!
Perge irrigare nos tuo illo imbre aureo.

Aut ſi iſtud præplacet Franciſci Hemii Inſulenſis, imagini Viri Sancti ſubjiciendum:

Salve magne Pater! priſco tibi nullus ab ævo
Chriſtigenum eloquio certaverit, omnia cedant
Sæcula, & hanc capiti poſitam tibi nemo coronam
Invideat. Felix oculos huc flecte ſerenos. &c.
Quique tuam primis linguam meditamur ab annis,

 Ten-

Tendimus* atque habitum, greſſusque effingere euntis
Mirantes artem, mirantes aurea verba,
Reſpice, & ingenium nobis, animumque benignus
Porrige, teque animis, ſi fas, age te infere noſtris.

DISSERTATIO IX.

De Eloquentia SYNESII *Cyrenenſis.*

CAPUT I.

Unum ex facundiſſimis Græcorum eſſe Syneſium.

Syneſius Cyrenenſis, Ptolemaidis Epiſcopus, doctiſſimorum, & diſertiſſimorum Græcorum unus fuit. Cum enim genere maxime illuſtris eſſet, atque etiam ingenio plurimum valeret, primum in patria optimis præceptoribus uſus, dein ad exteros quoque ſtudiorum cauſa profectus eſt. Præ ceteris emporiis Literarum Athenæ placuerunt. Quo cum veniſſet, contra quam ſperaverat, de antiqua illa ſapientia nihil admodum præter famam & externam ſpeciem reperit. Itaque urbem eam reliquit, & Alexandriam conceſſit. Commodum ibi Hypatia docebat clariſſima fœmina, & vere prodigium ſexus ſui *. Hanc, & una alios audiens in omnibus quidem literis. maxime vero in Philoſophia, Rhetorica, ac Poëſi tantum promovit, ut parem ſua ætate vix haberet, atque ita celebritatem ſane maximam conſequeretur. Poſt a popularibus ad Imperatorem legatus,

* i. e. contendimus.

* Hæc Theonis præſtantiſſimi Mathematici filia fuit, ſummis naturæ dotibus, & admirabili pudicitia; ſane meliore digna exitu; nam conflata ſibi invidia furentis populi manibus diſcerpta eſt. Vide Socratem *ad annum* 415.

gatus, qui res patriæ curaret, & auream coronam offerret, facillimos habuit aditus, & in aula præſente Arcadio eximiam, quæ extat, Orationem *de Regno* pronuntiavit. Cum vero Philoſophi vitam Syneſius viveret, & moribus maxime inculpatis eſſet, defuncto Cyrenenſi Epiſcopo, mox omnium ſuffragia in illum conſpirabant. Verum, ut erat ſolitudinis & literarum amans, a negotiis autem prorſus alienus, nihil non egit, quo oblatum honorem declinaret. Sed victus tandem benevolentia, & importunitate Civium, Sacerdotium admiſit, ſumma omnium gratulatione, eumque ſe præbuit, qui ſatisfaceret omnibus, & ſpes conceptas cumulatiſſime impleret. Porro ſequentibus ſæculis pene ignotus apud nos fuit elegantiſſimus Scriptor; certe in oblivionem venerat, donec protractus in lucem latine cœpit loqui. Et primo quidem partes ejus ſeorſim editæ, nec ſine plauſu exceptæ ſunt: dein collecta opera ſemel iterumque prodierunt. Sed vir ſcilicet deſiderabatur, qui parem græcæ, & latinæ cognitionem ad ſpartam hanc afferret, atque ita Syneſium in ſe totum ſuſciperet. Obtigit hic priori ſæculo in Dionyſio noſtro Petavio, quem nemo neſcit in omni genere literarum ſic verſatum fuiſſe, ut tamen ad hoc natus, factusque unice videretur *. Quod ideo ſilendum non fuit, ne mirentur forte lectores inopiam elogiorum, quando eum auctorem ornamus, qui præterquam, quod in paucorum manus venit, ex ipſa conditione argumenti non magnopere facit ad uſum Eccleſiaſticorum. Sunt autem hæc elogia, quæ ſequuntur; non numero, ſed pondere ſpectanda.

* **Quis ergo non miretur, ſcribere auſum Jacobum Vindetum *Libr. de vita functorum ſtatu pag.* 42. *Infinita ſunt, quæ peccat Petavius in Syneſio vertendo, præſertim in hymnis?***

Evagrius *Libro I. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 15. „ Sed „ quoniam hæc, inquit, quantum fieri poteſt, exor„ nare contendo, prodeat jam in medium Syneſius „ Cyrenenſis *, qui ſui nominis claritate hiſtoriam „ noſtram illuſtret. Hic igitur Syneſius tum reliquis „ diſciplinis excultus fuit, tum in Philoſophia ita ex„ celluit, ut admirationi eſſet etiam Chriſtianis; his „ ſcilicet, qui neque odio, neque gratia adducti de „ rebus judicare ſolent. Perſuadent igitur illi, ut „ ſalutaris regenerationis lavacrum perciperet, & Sa„ cerdotii jugum ſubiret; tametſi reſurrectionis do„ ctrinam nondum ſuſcepiſſet, neque ita ſentire vel„ let; recte omnino conjicientes ad reliquas ejus viri „ virtutes iſta eſſe acceſſura; cum divina gratia nihil „ imperfectum habere ſuſtineat. Nec ſpes eos fefellit; „ qualis enim & quantus extiterit, abunde teſtan„ tur tum Epiſtolæ poſt ſuſceptam Sacerdotii dignita„ tem eleganter, & docte ab eo conſcriptæ, tum ora„ tio, quam dixit eidem Imperatori Theodoſio **, „ tum quicunque ejus libri admodum utiles circum„ feruntur. „

Suidas in *Lexico. Syneſius Epiſcopus ex Ptolemaide Pentapoleos, quæ eſt in Thebaide Lybiæ, Sacerdotalis ordinis, ſcripſit libros diverſos, Grammaticos, & Philoſophicos, & orationes imperatorias, Panegyricas, ſeu demonſtrativi generis, laudationem Calvitii, & de Providentia mirabilem orationem græca forma, aliosque plurimos, & diverſos libellos compoſuit, & quæ in admiratione ſunt, Epiſtolas.*

Nicephorus Callistus *Eccleſ. Hiſtor. Libro XIV. cap.* 55. *Cum his* (Nilo, Marco, Theodoreto) *& Syneſius, cujus magna toto orbe gloria eſt, floruit:*

* Cyrenenſis patria, non Cyrenarum Epiſcopus, quo errore etiam Photius eſt lapſus.

** Novus error; neque enim Theodoſio; ſed Arcadio dixit.

floruit: qui, ſi quisquam alius, & ipſe ætate ea doctus fuit. Tantum vero operæ navavit Philoſophiæ Ptonicæ, & adeo ad ſummum ejus pervenit faſtigium ut eum non ſolum græci homines, verum etiam Chriſtani ſint admirati &c. Qualis autem, & quantus viruerit, teſtantur, quæ ab eo poſt ſacerdotalem ſuſceptam dignitatem perquam eleganter ſcriptæ ſunt Epiſtolæ & alii inſuper Libri, qui concinna ipſa compoſitione dictione, & ſententiarum frequentia ſcripta alia onia longe poſt ſe relinquunt &c.

Ex Latinis Janus Cornarius *, etſi iterum jam, quartumve decimum in Syneſio vertendo laborem poſuerit tot aliorum Scriptorum interpres, fatetur nihilominus tanto lepore orationis, ac dignitate illum eſſe, ut accedenti ad interpretationem laborioſiſſimum ſit, pari eam verborum facultate ſuſtinere.

Petrus Nannius in *Vita Syneſii Epiſtolis ejus quibusdam præfixa*, *Epiſcopum* aſſeri *ſanctiſſimum*, *philoſophumque graviſſimum*, & *oratorem facundiſſimum* extitiſſe.

Guilielmus Canterus in *Dicat. opuſculor. quorumd. Sed ut ad libellos noſtros redeam, ii, quamvis exigui, maximi tamen debent omnino quando Syneſii ſunt, fieri; de cujus & ipſius, & ſcriptorum præſtantia niſi ab aliis dictum ſatis putarem, nequaquam, quod dicerem, deeſſet.*

Isaacus Casaubonus *Præfat. Epiſtolam Nyſſeni de Peregrinat. Hieroſol. ſuaviſſ.*, inquit, *Philoſophus*, & *piarum deliciæ Muſarum Syneſius.*

Jacobus Pontanus *Philoca. Libro V. cap.* 10. *Syneſius*, ait, *Epiſcopus Cyrenes fuit regnante Theodoſio minore, Arcadii filio, homo ſertus, & Philo-* P 5 *ſophiæ*

* In *Nuncupatoria* Petavii, nam ejus Editionem videre nondum licuit.

ſophiæ cultor eximius &c. Ingenium ejus, quæ ſcripſit, orationes, Epiſtolæ, Hymni ſacri manifeſtant.

Daniel Heinsius *pag. mihi* 16. *ad Heſiodum.* Syneſium *antiquarum elegantiarum magnum imitatorem* appellat.

Nicolaus Caussinus *de eloquent. ſacr. & human. Lib. III. cap.* 14. *Syneſius nobis Platonem, Demoſthenem, Pindarum chriſtiano ore loquentes dedit.* Quam brevem, ſed ſplendidam laudem etiam Cardinalis Bona in *Notitia Auctorum* aſſumpſit.

Petrus Lansselius in *Diſput. Apologet. de S. Dionyſio*, Syneſium noſtrum *politiſſimi virum ingenii* facit.

Dionysius Petavius in fronte operum fatetur, ſe Scriptore eo eſſe mirifice ſemper affectum; ſed nec pareri ſe, ut vel liberiori lege interpretandi ſibi impoſita nitorem ejus, atque elegantiam aſſequeretur.

Lucas Holstenius in *Diſſert. III. ad Calcem Hiſtoric. Eccleſ. Græcor. Edit. Valeſ.* Syneſium nominat *Philoſophum omnium uno Platone excepto eloquentiſſimum.*

Theophilus Spizelius in *Felice Literato Comment.* 7. *eloquentiſſimum illum* appellat *Philoſophorum Chriſtianorum Syneſium.*

Joannes Mabillon *Tract. de Stud. Monaſt. Volum. II. pag.* 146. Syneſium *doctum illum* dicit, *ac eloquentiſſimum Præſulem.*

Natalis Alexander *Sæculo V. cap.* 4. Syneſium libros elegantes compoſuiſſe affirmat.

Antonius Pagius *ad annum* 411. num. XVI. Syneſium aſſerit inter ætatis ſuæ Sophiſtas (id eſt oratores, uti nos dicimus) *nominatiſſimum* vocat.

Ignat. Hyacinth. Amat de Graveson *Hiſtor. Eccl. Libr. II. pag. mihi* 41. ita de Syneſio: *Cum eſſet perdoctus Philoſophus, & facundiſſimus orator, egregiis ſuis operibus, & Epiſtolis, ſumma rei Eccleſiaſticæ eru-*

cæ eruditione refertis, plurimum Eccleſiæ profuit, eique maximum contulit ſplendorem.

Jacobus Bruckerus *Hiſtor. Philoſoph. Period. II. Part.* 2. *Libr.* 1. *cap.* 3. *Et Syneſii quidem celebre ſæculo V. in Eccleſia Africana & in orbe philoſophico nomen fuit; unde ejus res paſſim veteres & recentiores memorarunt. Fuit is Pentapolitanus Cyrene ortus, quem & generis nobilitas clariſſimum, & ingenii præſtantiſſimi elegantia illuſtrem fecit. Cumque imprimis imaginationis vivacitate ſupra modum polleret. ſublimitatem quamdam eruditionis, atque incomparabilem venuſtatem in illo doctrinæ genere, quod ab humanitate nomen accepit, aſſecutus eſt &c.*

CAPUT II.

Notæ ejus characteriſticæ.

Nihil equidem deeſt Syneſio noſtro ad omnigenam dicendi laudem; non orationis ſplendor, non numeri, non doctrina, & cognitio artium, non vis, & nervi, cum id ratio, & argumentum poſcit. Pure, ornate, diſtincte loquitur, quo ſe cunque verterit; plenaque omnia videas delicatæ illius, & atticæ orationis, nec facile dicas, plusne ipſis cogitationibus, an ſtylo, ac verbis ſeu venuſtatis inſit, ſeu ſublimitatis. Photius tamen eloquentiæ græcæ accuratiſſimus cognitor *codice* 26. ſublimitatem, & vigorem quemdam poëtico ſimilem præ ceteris notis animadvertiſſe in eo videtur. Sic autem habet: *Lectæ ſunt Epiſcopi Cyrenes, cui Syneſio nomen, de Providentia, & de Regno, aliisque nonnullis orationes. Stylus illi ſublimis quidem, & grandis, ſed qui ad poëticam ſimul dictionem aliquantum inclinet.* In cauſa ſunt Tropi illi vividi, atque audaces, quos maxime ætas illa affectavit: & recte dictum eſt a Joachimo Camerario in *Præfat.* verſæ a ſe *orationis de Regno: Syneſii oratio imprimis peculiaris cujusdam modi*

modi eſt, non ſolum abhorrentis a natura latinæ linguæ, ſed a veteris quoque græcæ forma alienioris. Affectavit illa ætas & brevitatem ſententioſam, ac rotundam, atque textam commatis, id eſt, inciſam, & quaſi vibrantem: & audacter metaphoris uſa eſt ſine mitigatione ulla, & verbis ſingulis orationem reddere ſtuduit luculentam, & claram, quod genus ἐμφατικὸν Græci nominarunt. Nicephorus autem Gregoras Patriarcha Conſtantinopolitanus *Explicat. in Librum Syneſii de Inſomniis circa initium* celebrat ejus in græco ſermone *coloris varietatem;* id quod meo quidem judicio mirifice ſuperiora confirmat; neque enim aliud eſt, quod coloratam magis, & florentem, & ſplendidam reddat orationem, quam exprompta illa, & multiplex copia troporum, ex vi imaginandi orta. Quæ quidem ſumma, & admirabilis in Syneſio fuerit neceſſe eſt, quando idem Nicephorus *uberantem facundiam* *: Cauſſinus vero præter accuratæ orationis veneres *opulentiam prope infinitam* illi tribuit **. Porro ex hac ipſa naturali copia, velut ſponte profuſa, jucunditas quædam ſingularis oritur, quæ viri genium plane exprimat, & legentes mirifice teneat, atque oblectet. Hortum aliquem floribus vernantem, aut officinam pigmentariam ingredi te putes; adeo redolent omnia delicias, & nitent, & efflorescunt. Quare *pulchra* cumprimis vocanda eſt dictio ejus, *compoſita*, *urbana*, quæ vel his ipſis in translationibus, quibus veterem linguam nonnihil adulteravit, perſtringat omnium oculos, & tantum non faſcinet, ut nihil jam aſcititium, fucatum nihil, ſed genuina omnia videre ſibi videantur. Non latuit id Petrum Poſſinum, acerrimum græcum, qui præfatus in Epiſtolas S. Nili Abbatis, agnoſcit in Syneſio *leporis attici florem primum*,

* *Ibidem.*
** *Libro XV. de eloq. Sacr. & hum. ante medium.*

mum, ſed longo intervallo regionum, & temporum deportatum: quem licet *aſcititium* vocet, *pro ingenuo tamen fallere* affirmat. Scio hoc illum de Epiſtolis dicere; tamen & de ceteris poſſunt intelligi; imo de his multo magis. Omnia hæc complexus eſt eruditiſſimus Holſtenius, qui *Diſſertat.* ſupra *laudata* orationem Syneſio tribuit *accuratiſſimam ſane atque omnibus ingenii artisque luminibus pictam, quæ ſublimi quadam gravitate nativas illas Platonis gratias, atque omnes Poëtarum veneres conjungeret.* Sed de Syneſii notionibus ſcribendi illi recte judicabunt, qui græce præ ceteris norint. Hi ſoli advertent, quam ſublimis ubique, quam luminoſus, velox, denſus ſit: quam floridis, & ſignificantibus verbis utatur, quem edat ſonum, quam magnitudinem, & pompam præferat, quam jucunde, venuſteque in aures, atque animos irrepat. Quare illud mecum cogito non ſemel, ſi Syneſii Sermones aliquot in feſta, & Myſteria noſtra haberemus: item ſi lucidum, & intermicans hoc genus, cui aſſueverat, ad Tractatus morales, ut alii Patres fecerunt, transtuliſſet, vix futurum illi parem ex omni numero Scriptorum Eccleſiaſticorum. Neque putes in tanto ſplendore vim aliquando, atque affectus defuturos; horum enim clara veſtigia in *Hymnis* apparent, in quibus tanto ardore effertur animus ejus, ut lectorem ipſum rapiat ſecum, & ſuſtollat ad Creatorem. Sed in aliis quoque Scriptionibus ingens haud raro pondus, & peculiaris vehementia eſt. Quam pathetica exclamatio, qua fragmentum *de Pervigilio Natalis Domini* orditur?

„ Nox ſacra! quæ lucem tantam attulit iis, qui
„ exſecrati erant, quantum nullus unquam ſol diem
„ illuſtravit. „

Qui vero illa placent, quibus Andronicum Pentapoli præfectum, cum ſcelerate multa, & impie in Deum & homines moliretur, a communione fide-

lium

lium rejicit? juvat unam ſaltem inde plagulam excerpere *:

„ Andronicum Beronicenſem, infelici Pentapo-
„ lis fato editum, & educatum, & adultum, qui-
„ que patriæ Imperium pecunia redemit, nemo aut
„ exiſtimet, aut appellet Chriſtianum: ſed tanquam
„ a Deo exſecratus, omni Eccleſia cum univerſa fa-
„ milia extrudatur. Non quia Pentapolis extre-
„ ma plaga fuit poſt terræ motum, poſt locuſtam
„ poſt peſtilentiam, poſt incendium, poſt bellum,
„ illorum omnium reliquias perſequens, horrenda
„ ad carnificinam inſtrumentorum genera, ac for-
„ mas primus in provinciam inferens (utinam dice-
„ re liceat, & his ſolus utens!) digitale pedum
„ diſtortorium, prælum, & naſi preſſorium, &
„ auribus, ac labris diſtrahendis forcipes, quorum
„ qui experimentum, ac ſpectaculum morte præ-
„ venerunt, quique ante bello ſublati ſunt, ab
„ iis, qui male liberati fuerant, felices ſunt præ-
„ dicati. Sed quoniam primus apud nos, & ſo-
„ lus factis, verbisque Chriſto maledixit; factis qui-
„ dem, ex quo Edicta ſua Eccleſiæ foribus affixit,
„ nefariis ſuis ſceleribus inviolabilis menſæ ſuppli-
„ cationem intercludens: Dei vero ſacerdotibus ea
„ intentans, quæ vel Phalaris Agrigentinus, vel
„ Cephren Ægyptius, vel Sennacherib Babylonius
„ timuiſſet, is qui in Hieruſalem Deo, atque Eze-
„ chiæ convitiaturos miſit. Illam ego diem dico
„ alteram Deo crucem attuliſſe. Nam ad Chriſti
„ contumeliam infamis hic libellus e ſacris foribus
„ pendebat. Et hæc ſol vidit, & homines lege-
„ runt non Tiberio Claudio rempublicam admini-
„ ſtrante, a quo Pilatus ad Judæorum præfecturam
„ miſ-

* *Epiſtola* 58. quamvis non Epiſtola, ſed Invectiva, aut *Decretum* potius coacti Ptolemaide Concilii ſit, templorum valvis affixum.

„ miſſus ; ſed pia Theodoſii ſobole Romanorum „ ſceptra moderante! &c. „ ejusdem omnia tenoris. Superi! quæ vires, quis ardor, quæ ſublimitas! Da mihi alium, da ipſum Demoſthenem, qui politiſſimo, & delicatiſſimo ſermone ſic aſſurgat, ſic feratur, ſic excandeſcat.

CAPUT III.

Opuſcula præcipua.

Facile ſit delectum inter Syneſii opera inſtituere; quando quædam ex ipſa natura materiæ, ac modo pertractandi magis, minusve faciunt ad eloquentiam comparandam. Et quidem omnium judicio primas ferunt Epiſtolæ, tam cultæ illæ, politæ, & elegantes, ut nihil ſupra. Evagrii, Suidæ, ac Nicephori laudes ſupra audivimus. Nec minus eas celebrat Photius *codice 26.* cujus hæc ſunt verba: *Lectæ ſunt & ejusdem Epiſtolæ variæ, venuſtate, ac dulcedine fluentes cum ſententiarum robore, ac denſitate.* Joachimus Camerarius in *Narratione de auctore: Has,* ait, *poſteritatem maxime admiratam in ſummo pretio habuiſſe, compoſitas illas quidem accurate, ut perbellæ ſint.* Dionyſius Petavius ad Superiores ſcilicet reſpiciens in *Protheoria Notarum ad easdem: Jam olim* affirmat, *apud antiquos celeberrimas* Syneſii Epiſtolas fuiſſe. Et in *Notis poſterioribus. Omni elegantiarum lepore refertum hunc librum.* Petrus Poſſinus *loco* ante *laudato* Epiſtolas S. Nili, tantopere omnibus probatas, cum Epiſtolis his ne comparare quidem vult elegantiæ laude. Sed potius, quid ipſe de illis Auctor ſentiat, dicendum eſt: Sic autem *Epiſtola prima*, quæ veluti procemium eſt reliquarum ad Nicandrum perſcripſit:

„ Filios ego libros ſuſtuli, alios quidem ex „ auguſtiori Philoſophia, atque ejus contubernali „ Poëtica; alios vero ex publice proſtituta Rhe-

„ torica:

„ tonica: ſed hoc facile quiſpiam norit, uno omnes parte eſſe editos, nunc ad ſeria, nunc ad voluptatem declinante. Atque hoc ſane præſens opus cujus ſit partis ex ipſo argumento declarabit. A me vero uſque adeo adamatum eſt, ut libentiſſime ipſum in Philoſophiam aſciturus, atque inter legitimos adoptaturus fuerim. Sed hoc conceſſuras ſe negant vel Reipublicæ leges. Sunt enim nobilitatis propugnatrices acerrimæ. Id vero lucro deputo, quidquid clam illi indulſero, ac plurimum feriæ in illud partis contuli. Itaque ſi tibi ita videbitur, Græcis librum hunc communicato: ſin damnatus fuerit, ad eum, qui miſit, redeat. Simias enim ferunt, poſtquam pepererint, in fœtibus ſuis tanquam ſimulacris obtutus defigere, pulchritudinem demirantes. Adeo natura ejus, quod pepererit, amans eſt. Aliorum porro invicem vident, id quod ſunt, ſimiarum eſſe partus. Quamobrem aliis permittenda in ſobolem inquiſitio eſt. Favor enim corrumpendis ſuffragiis efficaciſſimus eſt. Ob id Lyſippus Appellem ad tabellas admittebat, & Apelles Lyſippum. „

Hæc epiſtola non modo judicium ejus, qui ſcripſit, exhibet clariſſime, verum etiam promulſis quædam eſt reliquarum, ex qua manum Syneſii agnoſcas, & facillime pronunties, quid ſit tibi de opere ejus toto ſentiendum.

Sunt vero ex iiſdem epiſtolis Laconicæ quædam, nec minus abruptæ, quam Nili, Iſidori Peluſiotæ, & Nazianzeni, qua de cauſa auctorem laudat Cauſſinus non ſemel allegatus *. Sed & ſatyricas habet non paucas; imo quoties licet, aſpergit ſales, & immiſcet jocos, qui hodieque vel moroſo lectori rictum ſubinde diducant. In CIV. ut cum

* *Libro II. cap.* 14.

cum Petavio loquar, *Joannis, cujus ſæpe in ſuperioribus epiſtolis meminit, vanitatem, ac fucatam, ambitioſamque ſtoliditatem elegantiſſime depingit; qui dum abeſſet periculum, ſtrenuus, ac fortis videbatur: idem ubi tuba increpuiſſet, turpiſſimam ſe in fugam conjiciebat.* IVta. qua tempeſtatem fuſe deſcribit, ejusmodi eſt, ut rem ſpectare nos faciat, eique intereſſe ſe lector putet. Quare nominatim a Camerario, a Raynaudo, & aliis commendata fuit. V. LVII. LXXII. CXIII. ſane egregiæ & illud habent peculiare, quod animum viri oſtendunt, excelſum illum, nec vulgi ſermonibus tantum, verum etiam ſenſis, & cupiditatibus longe ſuperiorem. In aliis quoque bona malave ſua omnia aperit miro candore, ut vere dicas in hoc maxime Libro effigiem ſuam voluiſſe adumbrare. Sed quid juvat plures percenſere, quando ſingulæ cum ſingulis certant nitore, ingenio, amœnitate? Nihil ergo mirum, eas frequentius ſcriptis ceteris editas, allegatas, ac inter alia exempla literarum propoſitas omnibus, ſtudioſeque commendatas eſſe. Paucis, dicas de Syneſio, quod diu ante de profano quodam eſt dictum: *Epiſtolas quidem ſcribit, ut Muſas ipſas græce loqui credas.*

Poſt Epiſtolas locanda *oratio de Regno,* quæ ingentem auctori famam confecit, diſerta per ſe, & elegans, quæque mira dexteritate Imperatorem officii admonet, atque in præcipiendo tam libera eſt, quam ſalutaris. Porro apud Scriptores eximia paſſim habetur, & laudes ejus quasdam ſupra dedimus. Pagius ad *annum* 399. & Du meſnil *Libro XIX.* §. 2. *egregiam:* Natalis Alexander ſæculo V. cap. 4. *elegantiſſimam:* Papyrius Maſſonus *apud Petavium, præclaram* dicit. Ipſe Petavius: *Conſtat,* inquit, *ad Arcadium pene adhuc puerum miſſum patriæ nomine Syneſium, & auream coronam obtuliſſe, & eam ipſam hac de regno adminiſtrando plus picta,*

plus aurea, *ut diceret Sidonius*, *oratione convenuſtaſſe.* Guilielmus vero Canterus *Libro VIII. novar. Lection. cap.* 8. *Præclariſſimus extat Syneſii Cyrenæi liber, in quo de Regis inſtitutione tractans belli, pacisque artibus omnibus elegantiſſime Regem inſtituit.*

Orationem de Regno excipit *Encomium Calvitii.* Argumentum libri, ſi quod aliud, reprehenſioni obnoxium videri poſſit. Sed ne moroſum te præbeas, & abſterreri prima fronte patiaris. Illud certe a te jure poſtulo, ne inauditum, & vix bene viſum condemnandum putes. Quin potius in manus ſume; ſatis ſcio, ut paucula legere cœperis, minime jam abjicies, & ſolo affliges. Nam utcunque ſe habeat argumentum, non jucunde ſolum, & eleganter, ſed magno item judicio, atque admirabili eruditione eſt pertractatum. Joannes Phrea, qui primus latinum fecit: *In hoc argumento*, inquit, *adeo eſt hic auctor copioſus*, *& affluens*, *ut vel ex hac unica oratione illum aſſeras*, *& ſummum Philoſophum*, *& oratorem fuiſſe graviſſimum. Non enim argumentis vulgaribus*, *nec a ſuperficie rerum ſumptis utitur*, *ſed confirmationes*, *confutationesque firmiſſimas*, *& ab ipſis naturæ viſceribus eductas in medium adducit.* Eundem librum egregie laudavit Beatus Rhenanus, ita in ſua ad Martinum Ergerinum Epiſtola ſcribens: *Atque hic demum jocus*, *& erudito*, *gravique viro dignus. Nunc ridiculi ſumus*, *etiam cum ſeria ſcribimus*, *faceti non ſumus.* Gerardus Liſtricus in *Notis ad Præfat. Moriæ Eraſmi*: *Inter alia multa* (Syneſius) *ſcripſit Encomium Calvitii*, *quod opuſculum plenum ingenii*, *& eruditionis adhuc extat.* Dionyſius Petavius in *limine Notarum* ad hunc ipſum Librum: *Sequitur*, ait, *Calvitii Encomium*, *ludicrum quidem opus*, *ſed cui nullum ex ſeriis ſive elegantiæ nitore*, *ſive rerum ſubtilitate*, *ſive rationum*, *argumentorum-*

que

que varietate prætuleris; ut mirum ſit, jocum in tam exigua re tantam eruditionem, ac facultatem habuiſſe. Sed nimirum uti egregii illi artifices in formandis animalculis, atque exilibus id genus operibus artem ſuam, atque induſtriam clarius, quam in operoſa aliqua mole, ac difficili: ſic ludibundus noſter in viliſſimæ rei præconio immenſam quamdam ingenii vim, atque ubertatem declarat. Theophilus etiam Raynaudus *Tomo IX. in Triade fortium David Part. II.* num. 40. *ſummum* dicit *ingenium in ea ſcriptione ab auctore proditum, quod materiæ ſubjectæ exilitatem compenſet*: atque ideo negat nugivendulis Scriptoribus Syneſium ea de cauſa adſcribere ſe poſſe. Natalis Alexander, quem ante allegavi, *Calvitii encomium*, ait, *ludicrum, ſed eruditum, ac venuſtum opus.* Nec ſecus alii, qui hodieque legunt, laudant, riſumque nuſquam rectius impenſum putant. Certe in ore omnium eſt hoc opuſculum, & præ ceteris Syneſii lucubrationibus celebritatem invenit, agnoſcentibus utique literatis, & Petavio magna voce adſtipulantibus, tanto præſtantius dici illud oportere, quanto exilius argumentum; quia in digna aliqua, aut uberi materia, ubi nec inveniendi eſt difficultas, nec eloquendi, cuilibet licet eſſe diſerto.

De Myſtica illa Narratione, ſeu *Libro de Providentia*, duas in ſectiones diſtributo, pauca hic addo. *Mirabilem orationem* recte dici a Suida quilibet dabit, qui legerit. Tantum hic & ingenio, & ſpeculationi, ſed & ipſi elegantiæ datum. Quamquam ut ingenue dicam, neque iſte, neque alter, quem de inſomniis ſcripſit, multi uſus eſſe poteſt, propter Platoniſmum videlicet, & ſuperſtitionis Ægyptiacæ neſcio quod genus, utrique operi implexum verius, quam immiſtum.

Multo magis pro eloquentia *Cataſtaſis* facit, in qua Pentapolis calamitatem Syneſius deſcribit. Et pro-

profecto Jeremiam aliquem videtur exhibere, patriæ parentantem, & buſtis ejus imbrem lacrimarum affundentem.

Conſtitutio, ſive elogium Aniſii ſatis oſtendit, quantum in civilibus laudationibus auctor valeret. Tam facile, tamque paucis abſolvit, quod alii operoſe, & productis ſermonibus vix erant melius præſtituri.

Sermo de dono Aſtrolabii ad Pæonium parum ad nos: forte ſcholaſticæ cuidam exercitationi melius, quam pulpito ſerviret.

Sed quid *de Dione?* Laudatur ille ſæpius; verum ideo non facit in rem noſtram, argumenti vitio, non ſcriptionis. Nempe cum Pſeudophiloſophi quidam ſtudia humanitatis, quarum expertes erant, in Syneſio damnarent, ſcriptaque ejus hoc genere reſperſa paſſim lacerarent, tum illud etiam in eo reprehenderent, quod vitioſis domi, parumque emendatis exemplaribus uteretur, utramque calumniam ita eſt amolitus, ut ſimul bonarum artium cauſam egregie propugnarit. Quamquam neque illud debemus reticere, hoc ipſum argumentum, utut profanum maxime poſſit videri, & declamatorium, tamen ad ſacra etiam transferri poſſe nullo negotio; uti quidem a Petavio in *Prolegomenis Theologicorum Dogmatum*, atque a nobis ipſis Libro primo eſt factum; quando iſtuc oſtendimus, *moderatum nitorem, & illecebras ſermonis, præſertim cum ſponte oblata ſunt, minime eos dedecere, qui divinis de rebus ſeu verba faciunt, ſeu libros conſcribunt.*

Magis autem *Hymnos* moramur, etſi proxime ad eloquentiam nec illi videntur pertinere. Horum enim magna ubique laus, & minime vulgaris exiſtimatio eſt. Ut nihil dicam de iis, quæ jam apud Græcos *capite I.* laudatos, & Editores Robertum Stephanum, Guilielmum Canterum, Hiero-

Hieronymum Brunellum leguntur: ceteris quoque, quotquot fere mentionem eorum faciunt, vehementer omnino video placuiſſe; tam ſunt ſublimes, concinnis & velut œſtro quodam inſolito profuſi. Antonius Poſſevinus, cum in *Apparatu* de iis commemoraret, nihil veritus eſt de Syneſio ſcribere: *Scripſit Hymnos græce, qui ut lepore, ac nitore non cedunt orphei, aut Pindari hymnis, ſic utrumque ſuperant; quod ſumma pietate animati ſpirant ſpiritum Domini.*

Hactenus de operibus Syneſii, quæ hodieque extant. Porro multa alia deſideramus, uti Libros Grammaticos, Poëmata varia, Tragœdias item, & Comœdias; Panegyres, atque etiam Epiſtolas quasdam. Harum duas in Codice quodam Bibliothecæ Mantuanæ reperit Bernardus de Montfaucon *Itinerar. Italic. pag.* 32. Conſtat item ex ipſomet Syneſio, quod *Libros venatorios* & *commentarium de inſtrumento Aſtronomiæ* ſcripſerit; quibus quidem, quando de eloquentia agitur, facilius utique, quam ceteris caremus.

Qui plura reſcire de Syneſii eloquentia cupit, adeat ille ſane Adamum Turnebum in *Editione græca Pariſiis* 1553, & Janum Cornarium in *Editione græcolatina Baſilaæ* 1560. Ludovicum Creſollium in *Theatro Rhetor. Libro III. cap.* 10. & *Libro* IV. *cap.* itidem 10. Dionyſium Petavium in *Limine Notarum* ad alteram Editionem Syneſii. Legi non uno loco, nominatim apud Pagium, qui Baronii Annales correxit, virum Clariſſimum Neocorum (Küſter) novam Syneſii editionem adornaſſe. Verum intra minas res ſtetit, & fruſtra erit lector in opere eo indagando. Idem puto accidit Editioni alteri a Chriſt. Friderico Bœrnero promiſſæ apud Fabritium *Volum. VIII. Bibl. græcæ.* Addi poſſunt, quos nunquam ſolemus tranſcribere, Dupinus Tillemontius, Ceillierius, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ nonnulli Scriptores. Item Maturinus Veiſſiere la Croze in Libro: *Hiſtoire du Chriſtianiſme d'Ethiopie Libro I. a pag.* 10. & Jacobus Bruckerus in opere jam laudato.

Q 3 DISSER-

DISSERTATIO X.

De Eloquentia S. Isidori *Peluſiotæ.*

CAPUT I.

Pulcherrime ſcribere Iſidorum.

S. Iſidorus Presbyter et Abbas, patria Alexandrinus, a Peluſio, ubi habitabat, Peluſiota dictus eſt. S. Joannem Chryſoſtomum præceptorem habuit, eloquentiæ ejus, & ſpiritus veluti hæres factus. Quemadmodum enim pietate, ac doctrina nulli Patrum ſecundus habetur, ſic ſcribendi felicitate inter præcipuos debet numerari. Certe utroque nomine magnam in Eccleſia celebritatem conſecutus, atque a S. Cyrillo Alexandrino, Patriarcha ſuo, Pater appellatus, patriſque loco cultus ſemper fuit. Porro de rebus ejus mirum non eſt, quod tamdiu tacitum ab eruditis; mille enim annos in bibliothecarum angulis latuit, blattiſque, ac tineis, quibus in prædam ceſſerat, ne nunc quidem omnino ereptus eſt; ſi vera ſunt, quæ Nicephorus, Calliſtus, & Guilielmus Tyrius prodidere, His enim auctoribus dena millia epiſtolarum Iſidorus ſcripſit, ex quibus poſt iteratas licet collectiones vix tertia pars nobis ſuperſunt *. Maximum enimvero damnum, & ſi reparari aliquando non poſſit, inæſtimabile! Aureæ enim ſunt hæ epiſtolæ, plenæ pietatis, ac ſapientiæ, & quæ atticam præterea elegantiam ſpirent. De aliis vero ſcriptis ejus, quæ Suidas, & Tyrius ante dictus aperte ſignificant, multo minus relictum eſt nobis; ut quorum nec nomina tenemus, exceptis, quæ

* Plurimæ adhuc latent in Bibliotheca Cæſarea *Viennæ*, & S. Marci *Venetiis.*

quæ *contra Gentiles*, & *contra Fatum* edidiſſe ſe, ipſe commemorat *. Et primo quidem libro non nihil tribuere videtur: ſecundi laudes ab aliis delatas contemptim refert. Ergo, quod dixi, fieri ſane haud poterat, uti multos ille eloquentiæ præcones nanciſceretur; cum ne lectores quidem haberet, ſed neque poſſet habere.

Quinque ergo ſunt ex Græcis, qui de Iſidori eloquentia cum laude meminerunt, Auctor Synodici videlicet, Evagrius, Photius, Suidas, & Nicephorus.

Auctor Synodici Anonymus *adv. tragœd. Irenæi cap. 6.* tanti facit Iſidori ſcripta, ut ea de cauſa *Sanctiſſimum Doctorem Eccleſiæ* appellet.

Evagrius *Libro I. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 15. *Ejusdem Theodoſii principatu claruit Iſidorus, cujus, ut poëtico verbo utar, latiſſima eſt gloria, & qui cum ob res geſtas, tum eloquentiæ cauſa ubique celebratur. Scripſit autem cum alia plurima multiplici utilitate referta, tum ad celeberrimum Cyrillum nonnulla.*

Photius *Epiſt.* 207. *Quos ſi una cum epiſtolari charactere rerum multarum, & magnarum utilitatem acquirere cupias, ſufficiat . . . variata illa Iſidori Muſa, qui, ut nos, monachus fuit. Ille ut orationis, ita quoque ſacerdotalis & Aſceticæ vitæ canon digniſſime inſcribitur.*

Suidas in *Lexico* vocat *virum Clariſſimum, philoſophum atque Oratorem.*

Nicephori denique *Libro XIV. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 53. hæc ſunt verba paulo fuſiora. „ Multa „ ab eo ſcripta ſunt, variæ utilitatis plena, potiſſi„ mum autem epiſtolarum omnis generis divina „ ſimul, & humana gratia refertarum prope chi„ liades decem, in quibus ſcripturam omnem cla„ rius exponit, & omnes omnium mores inſtituit; „ quippe qui dicendi genere ad docendum accom-

* *Libr. II. epiſt.* 137.

„ modato in eis utitur. * Satis quoque ille de- „ clarat, quo ardore erga honeſtatem, erga ec- „ cleſiam, & eos, qui temere injuria afficerentur, „ flagrarit. Multum præterea in lucubrationi- „ bus ſuis invehitur in eos, qui non recte epiſco- „ pali, ſacerdotalique munere fungerentur. Et „ quod aperte Chryſoſtomum defenderet, vehe- „ menter Acacium, & Cyrillum, atque hujus pa- „ truum Theophilum perſtringit, eorumque adver- „ ſus virum eum ſuſceptas molitiones taxat. „

His accedunt Menæa, ſeu faſti Græcorum *ad IV. Februar.* ubi ita laudatur: *Iſidorus in omni divina, humanaque ſcientia ad ſummum eruditionis faſtigium provectus, ingenii monumenta plurima, laude, memoriaque digna ſtudioſis literarum reliquit.* Et iterum: *Totum orbem docendo divinis ſuis ſermonibus illuminavit, peccantes ad pœnitentiam adduxit, juſtos confirmavit, contumaces gladio verbi Dei redarguit, & ad virtutem excitavit. Quin & Imperatoribus, quæ ad imperii adminiſtrationem uſui erant, ſuggeſſit, & perſuaſit, denique omnibus ſe conſulentibus ex ſacræ Scripturæ fluentis ſapientiſſime reſpondit.*

Anthologium Novum Græcorum ſub *Clemente VIII.* editum non eſt, cur appellem, quando fere ex Menæis elogium hoc tranſcripſit.

Ex Latinis plures Iſidorum laudarunt.

Petrus Galesinius in *Notis ad Martyrolog.* Iſidorum *domeſticis, externisque diſciplinis valde eruditum* dicit, & *epiſtolis ſuis, cum eas pene infinitas exararit, non privatis ſolum, ſed & magiſtratibus, Præfectis, & Epiſcopis mirifice profuiſſe.*

Antonius Possevinus in *Apparatu* eo progreditur, ut dicat: *Cum epiſtolæ Iſidori Peluſiotæ ſententiis*

* Quæ verba ab uſitato interprete non ſatis expreſſa ſunt.
** Eadem fere verba Sixtus Senenſis in *Biblioth. ſanct.* adoptavit.

tentiis, ac brevibus adhortationibus aculeum lectori perutilem infigant, ſuaſerim probis, & eruditis gymnaſiarchis, ne tantam ſinerent elabi occaſionem, qua eas diſcipulis interdum prælegerent, ſicque eorum mores, dictionem, ac pietatem iis inſtillarent.

Cardinalis Baronius in *Notat. ad Martyrolog. Roman. IV. Febr. Fuit hic*, inquit, *ſancti Joannis Chryſoſtomi diſcipulus, & celebris inter eccleſiaſticos ſcriptores græcos.* Et mox: *Claruit temporibus Theodoſii junioris, multa nobilia relinquens poſteris & ſanctitatis, & ſcriptorum monumenta.*

Conradus Rittershusius, qui inter ceteros literarios labores Iſidorum quoque vertendum, & illuſtrandum ſuſcepit, cum alias, tum in *epiſtola ad Andream Schottum, & Hierbertum Roſweidum* Jeſuitas, ſummam æſtimationem oſtendit *tam ſancti*, ut inquit, *tam pii, tam ſapientis, tam diſerti ſcriptoris.*

Andreas Schottus in *Librum V. epiſtolarum* ejus a ſe editorum ſic *ad Eminentiſſimum a Cueva* præfatur. „Agnoſces, mihi crede, legendis ſacris „ hiſce epiſtolis, quia moratæ ſunt, & ſacræ Scri„ pturæ loca plurima explanant, odorem pietatis „ ſingularem. Adhæc S. Joannis Chryſoſtomi „ diſcipuli eloquentia proximi vocem cum voluptate „ exaudies. Me certe, dicam ingenue, ita ad hanc „ diem omnes ejus epiſtolæ, typis evulgatæ a Jaco„ bo Billio Prunæo Abbate, dum lego (lego au„ tem frequenter) afficiunt, nihil ut in hoc ge„ nere cum magni Baſilii aſceticis ſcriptis legerim, „ audierimve pium magis ad animi domandas „ perturbationes, & a vitiis vi ſumma deterren„ dum, nihil denique ut ad virtutem inſtillan„ dam illuſtrius exiſtat &c.

Petrus Possinus *Præfat. ad Collationes Iſidorianas. Felicibus*, ait, *Phæacum ſylvis, atque hortis Heſperidum, denique Judeæ Aſaſonthamarenſibus,* bal-

balſamâ gignentibus frutetis Peluſiotæ Iſidori epiſtolas præfero, mecumque autumo ſenſuros, qui reputaverint &c. quæ ad characterem ſcribentis pertinent, & infra cap. 2. dabuntur.

THEOPHILUS RAYNAUDUS *Libro de Martyrio per peſtem. Tom. XVIII, mihi pag.* 405. de S. Chryſoſtomo locutus, ita Iſidorum illi ſubjicit: *Quem de more expreſſit eloquentiſſimus æque ac eruditiſſimus tanti magiſtri diſcipulus Iſidorus Peluſiota.*

CARDINALIS BONA in *Notitia Auctorum* Iſidorum Peluſiotam *doctrinæ ſpiritualis non ſine eloquentiæ laude profeſſorem* vocat.

JOAN. MABILLON. Tract. *de ſtud. monaſt. Tom. I. part.* 1. *cap.* 15. S. Iſidorum Damiatenſem, inquit, tam ſcriptis ſuis, quam cumulo virtutum ubique gentium celebrari.

THEOPHILUS SPIZELIUS Theologus Lutheranus in *Coronide Felicis literati*: „Quo vero, ait, „ piaculo præteream aureum illum Eccleſiæ veteris florem, ſæculique ſui illuſtre decus Iſidorum „ Peluſiotam? Is quoque eruditorum feliciſſimis „ eſt accenſendus, & veluti vivum, expreſſumque „ vitæ chriſtiano literariæ exemplar proponendum: „ qui claris & piis ortus parentibus non ſolum in „ omni divina, humanaque ſcientia ad ſummum „ eruditionis faſtigium eſt provectus; verum etiam „ vitam in carne angelicam duxit, & poſt initam „ cum Deo familiaritatem totum terrarum orbem „ divinis ſuis ſermonibus, epiſtoliſque cœleſti ſimul ſale, & gratia exuberantibus, omnemque „ fere veteris teſtamenti Scripturam enucleantibus „ illuminavit.„ Addit iisdem prope verbis, quæ „ Schottus adhibuerat, ſua opinione in hoc genere ſcriptorum nihil illuſtrius extare.

IGNAT. HYACINTH. AMAT. DE GRAVESON *Hiſt. Eccl. Libr. II. pag. mihi* 41. *Multa ſcripſit variæ, & multiplicis eruditionis plena. . . . Epiſtolæ ſuccinctæ*

ctæ ſunt, & oppido elegantes, in quibus plurima, eaque difficilia Scripturæ ſacræ loca enodantur, præcipua chriſtianæ religionis myſteria in optimo lumine collocantur, utiles, ac curioſæ in diſciplinam Eccleſiaſticam obſervationes inſeruntur, & ad inſtituendam vitam aſceticam ſanctiſſima præcepta, & moralia documenta traduntur.

Ludovicus du Mesnil] *Libro XXII. hiſtoriæ* ſuæ *Eccleſiaſticæ* §. 32. *Iſidorum Peluſiotam* aſſerit *cum ob res geſtas, tum eloquentiæ cauſa ubique celebratum.*

Abbas Ladvocat in *Lexic. hiſtor. portat. Sapientiſſimum* vocat, & *celeberrimum inter diſcipulos S. Chryſoſtomi, cui tam ſcientia, quam pietas grande nomen compararint.*

Quod ſi meam quoque ſententiam fas ſit interponere; cum inter primos fere Iſidorus fuiſſet, in cujus lectionem incidi, ita placuit, ita affecit legentem, ut fere dimittere e manibus non poſſem, vimque inferre mihi maximam deberem, ne continuato labore, & poſitis omnibus totum a capite ad calcem abſolverem, Quoties vero reguſtavi, tenuit iterum mirifice; nam & avelli ab eo vix poteram, & novus mihi identidem apparebat.

CAPUT II.

Facile ab aliis internoſci calamum eius.

Quod paulo ante ex Nicephoro audivimus, *dicendi genus ad docendum accommodum,* unaque ardorem, & vehementiam, quam idem innuit, quilibet, ut primum ejus aliqua volverit, continuo deprehendet. Maxime vero in eo laudatur laconiſmus quidam generoſus, venuſtas virilis, claritas, & ratio, neſcio quæ, rem omnem pauciſſimis ſenſibus velut ad vivum reſecandi; quæ ſane parem

Iſidorus

Iſidorus neminem habet. Sed Criticorum potius, quam meis verbis utendum eſt.

Petrus Poſſinus jam laudatus hæc de Epiſtolis Iſidori habet: *Ineſſe in illis laconicam brevitatem, elegantiæ atticæ mirabiliter innexam, varietatem omnigenæ doctrinæ, perſpicuitate declaratam liquida, dulcedinem Baſilii magni cum pulcritudine Gregorii Nyſſeni, ut obſervat Photius Epiſt. ad Amph. amœniſſime confuſam: nihil iis in Theologia legi ſublimius, in ſcripturalium nodorum ſolutione aculeatius, in omni virtutum præceptione ſapientius, & gravius &c.*

Fuſius multo Iſidori characterem expinxit Joannes chatardus (is enim, non ipſe Billius, qui triennio ante diem obierat, præfationis auctor eſt *:) „ Sunt autem, inquit, iſtæ Iſidori epiſto-„ læ perbreves fere omnes, & perpetuo quodam „ laconiſmo contextæ: ſed doctrina, & utilitate „ copioſæ. Eas enim ſcripturæ teſtimoniis, & „ exemplis ubique aſpergit, & condit, multaſque „ arduas quæſtiones, quæ inde a variis ei propo-„ nebantur, ediſſerit, ac ſolvit, hæreſes aliquot „ ſtrictim, ac velut per tranſennam quandoque con-„ futat. Nam ut verus divi Joannis Chryſoſtomi „ diſcipulus, & imitator, totus in moribus infor-„ mandis occupatus, virtutis locuples laudator, „ & præco, & vitiorum acerrimus inſectator. „ Unde eam ob rem in multorum offenſionem, „ & odium incurriſſe, ſibique multas ſtructas in-„ ſidias alicubi teſtatur. *Si quis*, inquit, *fructus* „ *ex reprehendendi libertate oriretur, nemini ipſe hac* „ *in re ceſſiſſem: etiamſi ob eam cauſam inſidiis per-*„ *ſæpe appetitus. Verum, cum hoc tempus ſilentium* „ *poſtulet, judicem expectemus.* Ex Gentilium li-„ bris pauca hic interſerit, contentus Scriptu-„ ris

* **Quo errore & Spizelius, & ipſe adeo Henſchenius in *Actis Sanctorum* labitur.**

„ ris ſacris; ut quæ & vim majorem habeant, &
„ chriſtiano Doctore, & lectore digniores ſint.
„ Solet etiam has ſuas epiſtolas præclara aliqua
„ ſententia, vel elegante quadam cohortatiuncula
„ claudere, atque ita lectori aculeum quemdam
„ infigere. „

Spizelius in Iſidori epiſtolis veram illam idæam inveniſſe ſe putat, ad quam docti, & eccleſiaſtici homines & mores, & ſtylum conformare deberent: optatque vehementer, ut eſſet, qui ex ſcriptis Sancti viri id ipſum velut in communes locos digereret, & ita legendum illis, imitandumque exhiberet. „ Cum eædem (epiſtolæ) ait, præclaris
„ ſententiis, ac brevibus adhortationibus perutilem
„ lem ſemper lectori infigant aculeum, operam is
„ neutiquam perderet, qui inde vere felicis, nu-
„ merisque omnibus beati, tum literati, tum Deo
„ ſacrati hominis imaginem duceret exprimendam,
„ atque Iſidoro prælucente oſtenderet, quo ardore
„ erga honeſtatem, erga Eccleſiam, erga virtutem
„ denique omnigenam flagrare debeant ii, qui de
„ vera felicitate conſequenda apprime ſunt ſoliciti.
„ Quid de ſumma viri in ſceleratis doctoribus,
„ hoc eſt, vere infelicibus literatis, imo ipſis cle-
„ ricis flagitioſis corripiendis dicam parrheſia? Sic
„ enim pſeudopresbyterum Zoſimum ſcelerum-
„ que ejus ξυνωρίδας Maronem, Martinianum, Eu-
„ ſtathium, atque Euſebium, ordinis ſui ſtrumas
„ caſtigavit, ſic ſtylum adhortando ſtrinxit, ut va-
„ lidiſſimos ad reſipiſcendum ſubdiderit ſtimulos,
„ & a moribus depravatiſſimis in veræ virtutis,
„ ac ſimul veræ felicitatis viam miſeros iſtos erro-
„ nes deduxerit; immortali propterea encomio
„ longe digniſſimus. „

Sed neque illos præterire debemus, qui brevius eundem Iſidori characterem expedierunt. Et ſunt ſane complures, verum non eadem omnes felici-

felicitate & diligentia hoc in negotio verſati. Sic Petrus Morelli in carmine græco, inter *prolegomena* Iſidori, tribuit ſancto viro *ſcriptionem & diſputationem acrem*, addens, eundem *ſacras Literas veluti ex regula*, &, quod ajunt, *ad amuſſim explicaſſe*. Nicolaus Cauſſinus *Libro XV. de Eloquent. ſacr. & hum. ante medium: Iſidoro*, ait, *ineſſe argutiſſimam rotundæ orationis brevitatem.* Claudius Fleury *Libro XXVI. Hiſtor. Eccl.* §. 5. Epiſtolas Iſidori *laconice, & eleganter ſcriptas* affirmat.

Ludovicus Du Meſnil *Loco dato: Superſunt ejus literæ plurimæ, elegantes, & ſtylo conſcriptæ laconico.* Addit infra *: *Magnam præ ſe ferunt cognitionem ſcientiæ eccleſiaſticæ, magnamque erga omnes libertatem, ac fortitudinem chriſtianam.* Abbas Ladvocat, ante memoratus: *Epiſtolæ breves ſunt*, inquit, *ſed pulcherrimæ, & lingua græca, quam fieri poſſit, optime exaratæ: in quibus res graviſſimæ ſuper ſenſu Scripturarum, quæſtiones item de rebus divinis bene tractatæ, & ponderoſa quædam, quæ diſciplinam Eccleſiæ ſpectant, reperiuntur.* Denique Ignatius Weitenauer *Libro XI. Subſidiorum: Numeroſam ejus* (Chryſoſtomi) & *magnificam eloquentiam, latumque illud diſputandi, ac exornandi genus non eſt amplexatus. Ipſe breviter, & acute ſtringit, paucisque verbis multa comprehendit. Doctrinæ ſeveritate, & admonendi, ac reprehendendi libertate magiſtrum ſecutus eſt, quibus non exiguum pondus ipſa brevitas addit.*

Itaque in eo omnes conveniunt, Iſidori ſcopum eſſe docere, ſed graviter, ſed jucunde, & cum nervo quodam, id quod maxime decet epiſtolas, in quibus non licet eſſe longioribus, cum enim colloquia ſint inter abſentes, ubi frons, oculi, vultus, maxime autem vox deficit, ſcripto aliam vim indi, ac inſpirari quodammodo oportet, quo ſupple-

* *Libr. XXIII.* §. 20.

ſuppleantur illa omnia, & quaſi compenſentur. Id quod feliciter conſequitur laconismo ſuo, ut qui pondus addat mirificum, &, quos dixi, aculeos in animis relinquat.

Unum porro intactum præterierunt, quod meo judicio non ſit minimum in commendationem Iſidori: quoties per argumentum licet, oratorem ſe continuo prodere, eumque non vulgarem aliquem, ſed in quo plurimum ſit elegantiæ, majeſtatis, & lacertorum. Etſi autem non eſt diffuſus plerumque, uti Chryſoſtomus, ne tum quidem, cum eandem materiem verſat, atque ex illo proficit: numeroſus tamen ſemper eſt, & aſſurgit, dilatatque ſeſe, ac gigantis in morem tam firmo, quam ingenti gradu incedit.

Sed neque illud omittendum eſt, libertatem ejus, ipſi tam ſolennem, & propriam, non eſſe ejusmodi, quæ exulceret animos, ſed talem potius, quæ ab omnibus ferri, apud aliquos in pretio etiam, atque amoribus eſſe poſſit. Egregie vero eandem ipſius tuetur *Libro V. epiſt.* 421. ubi ſic dicit: *Neque loquendi libertas eſt impudentia, neque viciſſim impudentia loquendi eſt libertas appellanda: ſed lapſos pulchre reprehendens libertas eſt dicenda. Qui vero recte agentes convitiantur, eorum impudentia eſt nominanda. Illa quidem medicinæ eſt inſtar, hæc vero peſtilenti lui comparatur. Illa ægrotos ſanos reddit: hæc vero valentes conturbat.* Moderatus eſt ergo libertatem, eamque loco, tempori, maxime vero hominibus ſapientiſſime attemperavit. Quod ex locis ejus innumeris docere poſſumus. Unum affero, qui comparationem animi ejus aperte oſtendat. *Libro IV. epiſt.* 145. hæc ſcribit ad Theodoſium: „ Alius hoc, „ alius illo in meliorem ſtatum traducuntur. Neque „ illi, qui ſtimulis indigent, iidem etiam frœna „ patiuntur: ſed pigri quidem, atque ignavi, qui „ ad honeſtatem capeſſendam difficulter permoven-

„ tur, rationis plaga excitantur: qui autem juſto fer-
„ ventiores ſunt, nec facile retinentur, ac tanquam
„ pulli (indomiti) procul a linea feruntur, ii conſtrin-
„ gendo, retinendoque juvantur. Alii laudibus, alii
„ reprehenſionibus corriguntur, ſi utraque tempeſti-
„ ve adhibeantur: in contrariam vero cadent partem,
„ ſi extra juſta, & convenientia tempora evagentur.
„ Alii namque cohortationi cedunt, alii objurgatio-
„ ni: alii quidem in conventibus, ac cætibus homi-
„ num reprehenſi, alii vero in penetrali domus ad-
„ moniti ſuos nævos detergent. Solent enim alii
„ quidem, cum alioquin contemnerent eos, qui
„ ad ipſos verba faciunt, publica increpatione cor-
„ rigi: alii autem, cum ad publicas reprehenſiones
„ potius impudentiores fiant, omnemque pudorem
„ excutiant, privata, & arcana objurgatione, re-
„ motis arbitris facta, nec non ſi oſtendamus, nos
„ ipſorum vicem dolere, ad obedientiam inſtituun-
„ tur, & aſſueſiunt. Porro alios quidem per om-
„ nia obſervare convenit, quos nimirum illa opi-
„ nio, quod putant ſe latere, dum id moliuntur,
„ tanquam ſapientiores inflaverit: aliorum vero
„ nonnullæ ſunt actiones vitioſæ, quas etiam diſſi-
„ mulare oporteat, ne ad indolentiam irritentur,
„ tandemque per omnia tales evadant, qui nulla
„ ratione in officio queant contineri; quippe qui
„ pudorem, ac verecundiam, maximum illud obe-
„ dientiæ remedium, detriverint, atque abſterſe-
„ rint *. Præterea etiam iraſci nonnullis in ſpe-
„ ciem oportet, quamvis revera irati non ſimus,
„ & negligere aliqua, tametſi non negligamus. Et
„ alios quidem moderatione, & æquitate animi ſa-
„ nare; alios vero ſeparatione: & alios quidem
„ vin-

* **Sed & in Chatardi judicio ex ejusdem Iſidori verbis jam ante memoratum eſt, fuiſſe nonnulla, de quibus ſatius ducebat tacere, quam loqui.**

„ vincere; ab aliis autem vinci quoque videri, qui„ bus videlicet hoc expedit. „ Diſſimulavit igitur non pauca Iſidorus, quædam preſſit omnino, & ſilentio præterivit. Accedit, quod viro ſancto, famaque doctrinæ apud omnes ſummos, & infimos claro longe plus licuit, maxime privatis in literis, non coram, non longiore invectiva reprehendenti. Talem certe multo plures audiant, quam repellant. Nam ad illos fere, ut vidimus, epiſtolas dabat, qui vel amarent ipſum, vel ſuſpicerent, vel certe timerent: clarius dicam, quorum ſibi indoles perſpecta erat, omneſque aditus explorati. Quod ſi nihilominus contra accidiſſet (& accidit non ſemel) tantum abeſt, ut inde moveretur, ut videas potius, hominem in altiſſima pace perſiſtentem ipſas vexationes ac tumultus inde ortos lucro appoſuiſſe.

„ Reprehenſores vitiorum, ait *Libro IV. epiſt.*
„ 139. ſæpenumero ſolent improbi, cum ſint plu-
„ res, & male ab ipſis diſſonent, languentes, ac
„ ignavos reddere, quo minus libere in vitia inve-
„ hantur, eaque compeſcant. Miſcenda eſt igitur
„ comitate libertas reprehenſionum, & vituperium
„ charitate temperandum: atque ita admonitiones
„ adhibendæ ſunt. Quod ſi ne ſic quidem illi utili-
„ tatem ullam inde percipiunt, ſed inſuper etiam
„ male repudiant, ac traducunt eos, qui maximis
„ coronis digni ſunt, omninoque etiam a Deo
„ præconiis recte factorum ornabuntur: generoſo,
„ magnoque animo id ferant vitiorum reprehenſo-
„ res, & correctores: ac doleant, non quidem ſua-
„ rum rerum conſideratione (nihil enim aliud ipſis
„ accidit, quam quod ſcelerati, ac deteſtabiles viſi
„ ſint, cum tales revera minime ſint) ſed ſuper il-
„ lorum perverſitate, & inſania; quod ita incura-
„ bilibus morbis laborent, ut etiam medicis probra,

„ atque convitia ingerant „ *. Quæ omnia vel ideo fuſe commemoranda hoc loco putavi, ut planum facerem, quantum conſilio, ac ratione ageret in ea re, quæ eſt in arte dicendi omnium difficillima, viderentque omnes, oratorem noſtrum, quam diſertum, nervoſumque, tam prudentem etiam ac circumſpectum extitiſſe.

CAPUT III.

Eſſe & apud eum, quæ præ aliis placeant.

Facile colligi ex dictis poteſt, triplicis potiſſimum generis epiſtolas Iſidorum ſcripſiſſe. *Primum* genus eſt earum, quibus Scripturæ quæſtiones, ab omnis conditionis hominibus ſibi propoſitas, explicat, atque diſſolvit, *Alterum* generatim ſeu virtutes commendat, ſeu vitia perſequitur. *Tertium* denique, ubi certos homines nominatim perſtringit, hortatur, obſecrat, refellit, ſolatur &c. Primum genus, ut dicam, quod res eſt, etſi Sacras Literas excellenter, & mirifice interpretantur; eloquentiam tamen, gratiam, & vigorem eum, quibus ceteræ paſſim reſplendent, non præferunt. Quod nemo mirabitur, quando ipſa conditio argumenti ejus ſic tulit. Alterum genus, quod fere fuſiores epiſtolas complectitur, hac ſane una nota diſtinguuntur facile a ceteris, & primo aſpectu agnoſcuntur. Atqui hæ eximios, diductos, & egregie ornatos locos ſuppeditant. Tertium genus, etſi oratorem tam aperte non oſtendunt, tamen & amœnitatis, & efficaciæ plurimum præ ceteris habent. Haſque ego epiſtolas nihil hæſitans omnibus facile præponendas affirmem; quod neſcius ſum, quid in illis potiſſimum mirer, an aculeum illum, an libertatem,

* Legatur etiam *Libri III. epiſtola* 397. *ad Theodoſium Epiſcopum.*

tatem, an vero inſitum leporem, ac facilitatem, quæ duo miranda ſane in hoc homine fuerunt. En eorum exempla aliquot.

Pelagius monachus jam grandis natu loca identidem, & domos mutabat, non alia profecto, quam melioris victus cauſa, ſeu ut ipſe putabat, hoſpitii jure quodam. Qua tamen re bonis, pauperrimisque illis eremicolis magno erat oneri, eoque majori, quod excludere illum ſalva honeſtate vix, ac ne vix quidem licebat. Quare ſanctus Doctor, re comperta, ita breviter defricandum ſibi ſtolidum ſenem ſumpſit.

„ *Cani effuſi ſunt in Ephraim, & ipſe ignoravit;*
„ vitioſis nimirum affectionibus juveneſcens. Eo-
„ dem modo tibi quoque ingens annorum turba
„ canitiem invexit: & tamen rigidum, atque infle-
„ xum animum habes, ex alio monaſterio ad aliud
„ ſubinde migrans, atque omnes menſas perſcru-
„ tans, & explorans. Quamobrem, ſi tibi car-
„ nium nidor, atque obſoniorum condimentum
„ curæ eſt, iis, qui magiſtratus gerunt, potius
„ blandire, atque urbium caminos veſtiga. Ne-
„ que enim homines eremitæ facultates eas habent,
„ ut te, quemadmodum tibi gratum eſt, excipere
„ queant. „ Hæc tota eſt *epiſtola* 314. *Libri primi*, clara utique & ad hominem. Crediderim ego lixivio eo calenti quidem, aſt breviſſimo, plus apud Pelagium eſſe profectum, quam alius integra oratione præſtitiſſet.

Sed efficacior multo, & ingentis ſpiritus iſta eſt, numero 332. *ejusdem libri*, data *ad Euſtathium* quemdam, actuoſum quidem illum, ſed inquietum, & malum hominem, cum Euſebio infami Epiſcopo ſocium ſe ille adjunxiſſet. Sic vero habet.

„ *Sufficit diei malitia ſua*, inquit Dominus Chri-
„ ſtus; quandoquidem *etiam unius horæ malitia vo-*
„ *luptatis magnæ oblivionem affert.* Probus ille Epi-

 „ ſco-

„ ſcopus Euſebius ad univerſam Eccleſiam perturbatione implendam vel ſolus ſufficiebat. Poſteaquam autem te quoque improba voluntate hominem nactus eſt, eas jam vires habet, quæ toti terrarum orbi perturbando pares ſint. Ac proinde tum omnes ſacri ordinis viri, tum communis plebs, tum denique Dei famuli, qui in ſolitudine decertant, vota faciunt, ut vel importunitas tua ab illius improbitate disjungatur: aut utraque in benignitatem, ac vitæ rationem, ab hominum ſocietate, atque commercio minime abhorrentem commutetur: aut Deus lenitatem ſuam in acerbitatem convertat, vobisque pro iis, quæ & perpetraſtis, & impie in unum coëuntes animo agitatis, meritas pœnas rependat. „

Nec minorem gratiam, & aculeum videre eſt in ea, quam *ad Ageliden* Novatianum dedit; quando ex hæreſis ſuæ inſtituto quibusdam ſceleribus veniam negabat pertinaciter: ſe vero a peccato omni eximebat.

„ Si ea, inquit, in te prænotio eſt, ut quæ extremo judicio ſervantur, tibi explorata ſint, non abs re ante judicium homines condemnas; ut qui inani opinione tua, quid in pectoribus conditum ſit, compertum habeas: ſin autem naturæ libenter peccantis, ut homo, pars quædam es, atque ad examen omnino venturum te eſſe expectas, ut vitæ rationes a te exigantur: Dei judicium ne præripe, atque id potius ſtude, ut eos, qui peccant, ad pœnitentiam voces, quam ut ad deſperationem impellas. „ Eſt *Libro I.* 339.

Callimachum Comitem, virum principem, *ejuſdem Libri epiſtola* 316. ad liberos ſuos melius coërcendos amœniſſime hortatur, argumento ab ipſis ſtabulis, in quibus totus erat, petito.

„ Quemadmodum per liberorum procreationem parentes ſalutem conſequuntur, ſi liberorum

„ vita

„ vita ipſis curæ ſit: eodem modo contra illis continget, ſi eorum curam, atque cuſtodiam neglexerint. Ridiculum enim fuerit, equuleis quidem, tum quod ad inceſſum, tum quod ad cibum, & potum, atque omnem rectitudinem attinet, ingentem jam inde a prima ætate curam, ac ſolicitudinem impendi, quorum tamen & vile pretium eſt, & uſus mediocris, & celer interitus: homines autem, quos Deus effinxit, atque imagine ſua honeſtavit, ac rurſum in ſe ipſo renovavit, atque inſtauravit, feroces, & inſolentes relinquere, eoſque temere, quo libeat, ferri ſinere, quoque lubrica juventus haud intelligit. Si hæc tibi utilia videntur, da operam, ut omni honeſtatis, & gravitatis cuſtodia filios tuos obfirmes, ac communias. „

Quod ſi quis melius diſcernere inter viri hujus ſcripta velit, ipſummet adire debet; neque enim dubium eſt, experturum continuo, quod ego expertum me dixi, incredibilem ſcilicet & novam ſemper voluptatem. Quando multa ſunt, quæ valde delectent, plura quæ moveant, quæ vero doceant, infinita. Itaque jam mentem hominis mirabitur, jam calamum, & Iſidorum hunc non ſolum ſapientiſſimis, ſed facundiſſimis etiam ac eruditiſſimis hominibus accenſebit.

Adde etiam, ſi velis, Prolegomena Rittershuſii, Acta SS. *ad diem IV. Februarii*, Dupinum, Tillemontium, Ceillierium &c.

 DIS-

DISSERTATIO XI.

De Eloquentia S. Nili *Abbatis.*

CAPUT I.

Illuſtratur illa generatim.

Nilus patritio genere natus Conſtantinopoli, atque, ut illuſtris conditio ferebat, literis omnibus excultus, cum eloquentia maxime, & ſcientia juris promoviſſet, denique ad Præturam urbis evectus eſt, ſummam illam, & tantum non Imperio ipſi imminentem dignitatem. Opibus, ac potentia, ſi quis alius, florens uxorem habuit lectiſſimam, ex qua duos tantum liberos, marem, & fœminam ſuſcepit. Commodum ea tempeſtate Chryſoſtomus Sedi Conſtantinopolitanæ admotus eſt, cui amicitia conjunctus Nilus viri Sancti ſermone, atque exemplis eo ſenſim induci ſe eſt paſſus, ut poſtquam Præfectura abiiſſet, rebus humanis omnibus nuntium remitteret, ac una cum uxore, & duobus liberis monaſticen profiteretur. Diſtributis ergo ampliſſimis opibus duo beatitudinis candidati, nullis ſuorum lacrimis retineri potuerunt, quo minus ſobolem partiti, ſolverent urbe regia, & Nilus quidem cum filio in Montem Sina, uxor autem cum filia in Ægyptium Parthenonem ſecederet. Mirum non eſt, ex tanto facinore, cujus paulo ante ſpecimen in divo Paulino occidens viderat, & quo tantum non a ſe ipſo vir nobiliſſimus diſtrahebatur, ad ſummam brevi ſanctitatem perveniſſe. Sed maximam quoque celebritatem inde eſt conſecutus. Nec enim in urbe principe ad id ſpectaculi continere ſe clientium pietas, & populi ſtudia potuere; ſed aulam eremo, delicias ſquallore, & cruciatu mutantem ita ſunt admirati, ut ſermonibus, atque encomiis & domus,

& viæ,

& viæ, & Regia ipſa perſonarent. Annos aliquot in Sina commoratus, irruptione facta a barbaris, alios quidem monachorum cæſos, alios diſperſos, filium ipſum in ſervitutem abſtractum vidit; quem tamen poſt divina ope, ac præter omnem expectationem optimus parens recuperavit. Sacerdotio autem initiatus; cum ipſis Epiſcopis, & Principibus venerationi eſſet, ad extremam uſque ſenectutem non Monachos tantum, & familiares; verum nobiles quoque, ac omnem populum qua voce qua ſcriptis ad bonam frugem excitabat. Quare opera ſane multa reliquit, quæ ſtudio doctorum hominum Petri Franciſci Zini, Franciſci Turriani, Pauli Minervæ, Petri Poſſini, Leonis Allatii, Joſephi Mariæ Suareſii a ſitu tandem, & tenebris vindicata ſunt pleraque. His, quod ignotus pleriſque auctor eſt, & lucem ſcriptis ejus inferre oportebat, ſolito fuſius præmiſſis, demum ad ipſa elogia progrediamur.

Photius *Codice* 201. *Lectus item*, inquit, *eſt Nili Monachi liber in centum & quinquaginta tria capita diviſus; quibus precandi formam vir ille divinus expoſuit. Feruntur ejuſdem & alia plurima, lectu digna diverſi argumenti opuſcula, partim epiſtolæ, partim hiſtoriæ forma conſcripta, quæ non operum tantum perfectionem inſignem, ſed in dicendo quoque facultatem ejus teſtantur.*

Joann. Matthæus Caryophilus Archiepiſcopus Iconienſis *Præfatione in vitam S. Nili Junioris*, ita de Nilo noſtro antiquiore: *Quem pietatis monaſticæ ſplendor, & præclara ingenii monumenta de vitæ ſolitariæ inſtituto immortalem reddiderunt.*

Habedeisu Metropolita Sohem, quem Abrahamus Echellenſis latinum fecit, loquens de Nilo Monacho ait, eum *duos admirabiles Tomos compoſuiſſe*

Nicephorus *Libro XIV. Hiſtor. Eccleſ. cap.* 54. „ Admirando autem Nilo, inquit, patria Conſtanti-

„ nopolis fuit, cujus etiam propter egregiam ge-
„ neris nobilitatem Præfectus fuit. Potentia autem,
„ & opibus affluens aſceticam illis prætulit vitam.
„ Quippe qui ad exemplum divini Davidis ad do-
„ mum Dei abjici, quam in tabernaculis peccato-
„ rum habitare maluerit. Et cum eloquenti vi pol-
„ leret, divinæque gratiæ nervis validus eſſet, ſcri-
„ pta varia, quæ vitæ monaſticæ exercitium in-
„ ſtruunt, reliquit, verbis, & ſententiis ita com-
„ poſita, ut lectoris animum gratia incredibili re-
„ creent. Scripſit quoque divinorum Patrum in
„ monte Sina obitum martyrium, facundia, & af-
„ fectu tanto, ut ſatis inde colligere liceat, quam
„ eximia doctrina juxta, & virtute vir is fuerit:
„ ubi etiam ſuas & filiorum res paucis commemo-
„ rat, miſerabiliter veluti in tragœdia captivitatem
„ eorum exponens, cum barbari Blemmyæ excur-
„ ſione ſua cædem ingentem fecere. Quod opu-
„ ſculum, tanquam ſpirituale quoddam oblecta-
„ mentum ſtudioſis reliquit. Alios item libros opti-
„ mos edidit, ſpiritualis gratiæ non expertes, inter
„ quos primas eum ferre puto, quem ad græcæ ſu-
„ perſtitionis ſectatores ſcripſit *: & rurſum, qui
„ ab eo ad Eulogium compoſiti ſunt. Capita autem
„ collegit, aliqua quidem fuſius, multa autem com-
„ pendioſius tractata, in quibus ſpiritualem fru-
„ ctum, perinde atque nectar aut ambroſiam ali-
„ quam, oculis ſubjectum, ita ut facile percipi
„ poſſet, propoſuit. „

Menologium Sirleti *ad diem XII. Novembr. Natalis S. P. N. Nili. Hic fuit ſub Imperatore Mauritio ** ſanctarum Literarum eruditione, & ſanctitate morum inſignis, qui cum orationis facultate, & rectæ vitæ exemplo plurimos ad virtutis ſtudium excitaſſet, in pace quievit.*

Me-

* Deeſt hodieque.
** Lege *Marciano.*

Menæa *Græcorum*, *&* Anthologium *ad* 12. *Jan.* ita de Nilo: *Et eloquentia clarus*, *& S. Spiritus gratia potens nobiliſſimos libros edidit*, *qui ad religioſæ vitæ exercitationem pertinent.*

Menologium *Græcorum ad diem* 12. *Nov.* præter alia:

Perluit exundans Ægyptum Nilus; at omnem
Mortuus hic Nilus ſermonibus irrigat orbem.

Cui non eſt abſimile aliud de Nilo diſtichum, *octo vitioſis cogitationibus* olim præfixum.

Arva rigat Nilus fluvius, ſed pectora ſermo,
Ex monachi Nili qui fluit ore, rigat. *

Petrus Franc. Zinus *Epiſtola ad Auguſtinum Valerium Cardinalem de SS. Ephræm*, *Nilo*, *Marco & Eſaia:* eloquentiam non vulgarem Nilo tribuit, qua plurimum in animos poſſit: ſed & ipſo titulo *præclara*, *ac divina*, *doctrina & ſanctitate illuſtris Abbatis opera* appellat.

Cardinalis Baronius in *Notis Martyrolog. Roman.* 12. *Novembr.* Libros Nili *nobiliſſimi ingenii monumenta* dicit.

Nicolaus Glasserus Interpres Paræneticorum: *Dicendi quoque facultate*, *præclariſque doctrinæ dotibus inſtructus cum fuerit*, *variis ingenii monumentis nominis ſui memoriam ad poſteritatem propagavit.*

Franciscus *Cardinalis* Barberinus *Urbani VIII. nepos*, teſte Petro Poſſino in *Nuncupatoria Epiſtolarum*, cum nullus quidem Eccleſiæ Patrum eruditioni ejus incognitus eſſet, & omnes undecunque orti, quacunque uſi lingua ſine admiſſionali, ſine interprete, jure hoſpitii illum adirent: & quocunque tandem ævo, qualicunque loco vitam egiſſent, non minus familiariter illo uterentur, quam ſi æ-

* Alia duo diſticha ex *Codicibus MS.* affert Allatius *Diſſert. de Nilis num.* 4. *poſt initium.*

ſi æquales, ſi contubernales eſſent: præ ceteris tamen charus ipſi Nilus fuit; cujus opera intereſſe Eccleſiæ, ut quamprimum omnia ederentur, dicere ſolebat. Eundem hujus Purpurati erga Nilum amorem teſtatur Leo Allatius in easdem jam plenius collectas *præfatus ad Raynaldum Principem Eſtenſem*. Et iterum in *Diatriba de Nilis*; ubi ex ejus perſona nominatim ſuccum Atticum, & eloquentiam ſingularem ſancti viri commendat, ea de cauſa præ aliis Patribus contra hæreſes, pravosque mores magno uſui futuram dicens. Idipſum confirmat Joſephus Maria Suareſius. Certe ambo, ita volente Barberino, Nili opera, undique ab ipſo conquiſita, non aliis quam propriis ejuſdem typis forma majori Romæ ediderunt.

PETRUS POSSINUS *loc. cit.* quam ipſe de Nili ſcriptionibus exiſtimationem concepiſſet abunde declarat hiſce verbis: *Quis non dicam negare, ſed vel dubitare poterit, lucubrationum, quas S. Abbas Nilus in ſolitudine montis Sinai commentatus eſt, geminam, quæ divinæ legis indidem ortæ, debere natalem eſſe fortunam: ut æternis inſculpta monimentis per omnes ætates, ubicunque genus eſt hominum, ferri, legi, conſpici dignæ ſint?* Et mox: *Quid de librorum ejus auctoritate dicam? jam olim tanta, ut ipſorum unicum præjudicium decidendis ſubito graviſſimis, quæ orbem terrarum committebant, & perplexiſſimis controverſiis abunde ſufficere, pleniſſima dudum Concilia * judicarint. Denique commendatio quæ poteſt maxima e Scriptoris laude in libri pretium redundare, huic præcipue ſuffragari putanda eſt, ejus nomen Auctoris præferenti, qui miraculum ſui ſæculi propter vitæ ſanctimoniam, ejuſdemque ob ſapientiam oraculum habitus ſit.*

LEO ALLATIUS Græcorum doctiſſimus, & de SS. Patribus omnibus quidem, maxime vero de Nilo no-

* *Synod. Nicæna II. Act. IV.*

lo noſtro, ſi quis alius, præclare meritus in *Diatriba* ſua *de Nilis* quæ non præconia Nilianæ facundiæ addenſat? Ipſa fronte hujus operis *Aſcetam* vocat *virtute, doctrina, atque eloquentia præſtantiſſimum.* Et infra: *Neque enim illi copioſe loquens ſapientia, neque rerum in Scripturis obſcurarum explanatio, neque bonas artes, moresque ſubſerendi ſtudium, illudque ſupremum defuit.* Iterum ei dicitur *eloquentiſſimus, & chriſtianæ Philoſophiæ promus condus.*

In *Dedicatione* vero *ad Raynaldum Principem Eſtenſem, Egregium* appellat *Eccleſiæ Doctorem, qui non modo Chryſoſtomi, ex cujus ſchola prodiit, doctrinam redoleret, ſed pietatem etiam ubique ſpiraret hæreticis formidandam.*

Josephus Maria Suaresius Epiſcopus Vaſionenſis, qui ultimam Nilo manum admovit, ad eundem, quem dixi, Sereniſſimum Principem præfatus, *piiſſimum. & diſertiſſimum Abbatem* dicere haud contentus, illud rotunde pronuntiat: *Eloquentiæ græcæ verticem attigit ævo ſuo.* Addit in *Indice Operum*, cum ad Interpretationem accederet: *Nili iſtius in aula Conſtantinopolitanorum Imperatorum tum florentiſſima innutriti, ac eruditi concinnitatem, & nitorem mirifice* (animum ſibi) *perculiſſe.*

Joann. Baptista Cotelier in *Notis ad Tom. 2. Monumentor. Eccleſ. Græc.* Nilum noſtrum *elegantem* dicit *Scriptorem.*

Joannes Mabillon *Tract. de Stud. monaſt. Volum. I. pag.* 76. & 77. cum S. Nilum ſcriptis, & virtutum cumulo ubique gentium celebrari dixiſſet, iſtuc addit: *Extant apud nos variæ ejuſdem Epiſtolæ, compendiariæ quidem, ſed oppido elegantes, pluresque Tractatus aſcetici.*

Hæc auctores de Nili facundia. Plura enim exſculpere non potui in tanta paucitate eorum, qui res & ſcripta Sancti Viri attigerunt. Forte Antwer-

pien-

ſi æquales, ſi contubernales eſſent: præ ceteris tamen charus ipſi Nilus fuit; cujus opera intereſſe Eccleſiæ, ut quamprimum omnia ederentur, dicere ſolebat. Eundem hujus Purpurati erga Nilum amorem teſtatur Leo Allatius in easdem jam plenius collectas *præfatus ad Raynaldum Principem Eſtenſem.* Et iterum in *Diatriba de Nilis;* ubi ex ejus perſona nominatim ſuccum Atticum, & eloquentiam ſingularem ſancti viri commendat, ea de cauſa præ aliis Patribus contra hæreſes, pravosque mores magno uſui futuram dicens. Idipſum confirmat Joſephus Maria Suareſius. Certe ambo, ita volente Barberino, Nili opera, undique ab ipſo conquiſita, non aliis quam propriis ejusdem typis forma majori Romæ ediderunt.

Petrus Possinus *loc. cit.* quam ipſe de Nili ſcriptionibus exiſtimationem concepiſſet abunde declarat hiſce verbis: *Quis non dicam negare, ſed vel dubitare poterit, lucubrationum, quas S. Abbas Nilus in ſolitudine montis Sinai commentatus eſt, geminam, quæ divinæ legis indidem ortæ, debere natalem eſſe fortunam: ut æternis inſculpta monimentis per omnes ætates, ubicunque genus eſt hominum, ferri, legi, conſpici dignæ ſint?* Et mox: *Quid de librorum ejus auctoritate dicam? jam olim tanta, ut ipſorum unicum præjudicium decidendis ſubito graviſſimis, quæ orbem terrarum committebant, & perplexiſſimis controverſiis abunde ſufficere, pleniſſima dudum Concilia * judicarint. Denique commendatio quæ poteſt maxima e Scriptoris laude in libri pretium redundare, huic præcipue ſuffragari putanda eſt, ejus nomen Auctoris præferenti, qui miraculum ſui ſæculi propter vitæ ſanctimoniam, ejusdemque ob ſapientiam oraculum habitus ſit.*

Leo Allatius Græcorum doctiſſimus, & de SS. Patribus omnibus quidem, maxime vero de Nilo no-

* *Synod. Nicæna II. Act. IV.*

lo noſtro, ſi quis alius, præclare meritus in *Diatriba* ſua *de Nilis* quæ non præconia Nilianæ facundiæ addenſat? Ipſa fronte hujus operis *Aſcetam* vocat *virtute, doctrina, atque eloquentia præſtantiſſimum.* Et infra: *Neque enim illi copioſe loquens ſapientia, neque rerum in Scripturis obſcurarum explanatio, neque bonas artes, moresque ſubſerendi ſtudium, illudque ſupremum defuit.* Iterum ei dicitur *eloquentiſſimus, & chriſtianæ Philoſophiæ promus condus.*

In *Dedicatione* vero *ad Raynaldum Principem Eſtenſem, Egregium* appellat *Eccleſiæ Doctorem, qui non modo Chryſoſtomi, ex cujus ſchola prodiit, doctrinam redoleret, ſed pietatem etiam ubique ſpiraret hæreticis formidandam.*

Josephus Maria Suaresius Epiſcopus Vaſionenſis, qui ultimam Nilo manum admovit, ad eundem, quem dixi, Sereniſſimum Principem præfatus, *piiſſimum. & diſertiſſimum Abbatem* dicere haud contentus, illud rotunde pronuntiat: *Eloquentiæ græcæ verticem attigit ævo ſuo.* Addit in *Indice Operum*, cum ad Interpretationem accederet: *Nili iſtius in aula Conſtantinopolitanorum Imperatorum tum florentiſſima innutriti, ac eruditi concinnitatem, & nitorem mirifice* (animum ſibi) *perculiſſe.*

Joann. Baptista Cotelier in *Notis ad Tom. 2. Monumentor. Eccleſ. Græc.* Nilum noſtrum *elegantem* dicit *Scriptorem.*

Joannes Mabillon *Tract. de Stud. monaſt. Volum. I. pag.* 76. & 77. cum S. Nilum ſcriptis, & virtutum cumulo ubique gentium celebrari dixiſſet, iſtuc addit: *Extant apud nos variæ ejuſdem Epiſtolæ, compendiariæ quidem, ſed oppido elegantes, pluresque Tractatus aſcetici.*

Hæc auctores de Nili facundia. Plura enim exſculpere non potui in tanta paucitate eorum, qui res & ſcripta Sancti Viri attigerunt. Forte Antwerpien-

pienſes Hagiographi, ubi *ad* 12. *Novembris* deferentur, nova quædam miniſtrabunt.

CAPUT II.

Diſcerniculum eloquentiæ hujus inquiritur.

Equidem facundiſſimus Aſceta noſter pro ratione operum, quæ tam varia, & tam multa perſcripſit, ſtylum quoque temperat, & alium, atque alium habet dicendi modum; plerumque tamen haud difficile fuerit diſcernere eundem a reliquis, & internoſcere notas illi proprias, & peculiares. Et primo quidem monere debemus, quod minime ſecutus eſt Chryſoſtomum præceptorem ſuum, qui ſcilicet (ut in concione populari) amplus ubique, & diffuſus ingenti copia, atque ubertate exundat. Brevitatem vel maxime ſectatur Nilus, amans ſumma capita, quæque protrahere, & inculcare diutius licebat, ita velut lectoris in manibus relinquens, ut expendere ea, ac amplificare per ſe ipſe poſſit. Joſephus Maria Suareſius in *Libro Chronologico de vita Nili Abbatis*, *quamvis*, inquit, *ſumat pro tempore, vel materia Nilus diverſos eloquentiæ vultus, tamen ipſius preſſior eſt, quam S. Joannis ſtylus. Doctor etenim ille Sanctus, Antiochiæ natus, Aſiatica tumens facundia, & aſſuetus forenſi copiæ, in concionibus, & accuſationibus invehebatur exultans potiſſimum. At Nilus ſtylo utebatur aulico, ideoque dictio Nili caſtigatior eſt.* Ad prioris vitæ conſuetudinem alia præterea acceſſit conſuetudo, ſcribendi aſcetica, quibus maxima pars conſtat ſcriptorum ejus. Erat autem brevitas ſtylus proprius Aſcetarum, contra quam hodie ſolet. Nam & S. Ephræm in *Sermonibus* ſuis, & S. Baſilius in *Aſceticis*, & Joannes Carpathius in *Præceptis ad Indiæ Monachos*, & S. Diadochus, S. Maximus Confeſſor, Marcus Eremita, Heſychius Presbyter in *Capitibus*, deni-

que

que S. Dorotheus in *Parænetica*, S. Theodorus Studita in *Catecheſibus*, aliique complures * in aliis ejusmodi Scriptionibus ſane perbreves ſunt univerſi: & forte hac ipſa de cauſa, ſi candide loquendum eſt, plus noſtris inſinuant ſe animis, fidemque facilius inveniunt. Ubi vero aliud Nilus argumentum aſſumit, ſtylum continuo vertens, ſatis oſtendit, nec copiam ſibi, nec ſplendorem deeſſe. Quod ſane non ſolum ex fragmentis homiliarum, ſed tractatibus etiam nonnullis, epiſtolis vero quam pluribus ad oculum patet. Sed Vaſionenſem *eodem loco* audiamus. Etſi enim multa paſſim interloquitur, & nequit eruditionem ſuam profecto nimiam moderari, ſolerter tamen, imo curioſe, quæ huc pertineant, ad examen revocavit. Reverſus ad comparationem cum Chryſoſtomo inſtitutam ſic dicit: *Nihilominus S. Joannem imitatur in Periſteria, & in vitiorum inſectatione; eruditus ipſius λόγοις, id eſt Sermonibus, quos penes ſe perſcriptos habebat. &c.* ** Et infra: *Nilus quidem in præceptis exundantem coërcebat eloquentiam, eaque contrahebat in Capitula, unde nomen ſortitus eſt* κεφαλαιώτε, *ſtylum uſurpans brevem, ac imperativum, Epictetum etiam adhibens, quem & chriſtianæ aptavit Philoſophiæ, auſteritatemque Stoicorum duriorem emollivit: in διηγήματι autem laxavit fræna elocutioni .... & floribus Rhetoricis purpuravit phraſes ſuas.* Idque deinceps nominatim de cæde Monachorum, & de Panegyrico vir doctiſſimus affirmat. Concionibus quoque Nili ſermonem quemdam figuratum, quem vocat, & adornatum tribuit. *In concionibus*, ait, *cujusmodi eſt ea de gladiis duobus, quam græce, latineque præbui, & illæ duæ de Paſchate, vel Reſurrectione Chriſti, quarum*

* Copioſe in hanc rem in *Notis ad Capitulare Theodulphi Epiſcopi Aurelianenſis* Jacobus Sirmondus noſter, *pagina mihi* 274.

** Vide *Libri II. epiſt.* 293. & *Libri III. epiſt.* 13.

rum Epitomen, vel fragmenta inſeruit ſuo μυριοβίβλῳ *Photius cod.* 276. *a ſe lectas eas referens, purpuratis eloquii ſui explicuit, reſolutis turgens* νιφάδεσσι, *efferbuitque uti Pindarus apud Horatium profundo immenſus ore.* Quod ne exaggeratum putes, fragmenta eadem Poſſevinus in Apparatu *aurea:* Raynaudus vero *florulentas illas, & vernantes homilias* appellavit.

Sed neque cum brevis eſt Nilus, & ſummatim perſtringit, elinguem, atque exſuccum putes. Nihil minus. Stylus ejus compreſſus, Laconicus, & in arctum coiens tantum abeſt, ut vim ac gratiam minuat, ut contra augeat quam plurimum, ſimilibus potiſſimum, & popularibus ſententiis, quibus omnia reſpergit. Leo Allatius in eadem *Diatriba Tit. V.* movens quæſtionem: *an oratio exhortatoria ad Abbatem Theodorum Byzantinum hujus noſtri ſit Nili?* negat ob phraſin, & genus dicendi tenue, ſententiarum quoque deſpicientiam. Dein occupans adverſarium, ſi quis diverſum teneret: *Ne,* inquit, *opponas familiaria colloquia. Noſter Nilus cum infimis ſermonem faciens, non remittit ſpiritus, ſed æquali diffluens eloquentia concionatoris, populi animos, quoquo vult, aſportat, & vinculis continuis illigat, & conſtabilit.*

Altera dos Nili gravitas eſt, & ſeveritas quædam Evangelica. Loquitur, ut vivit, verbiſque velut depingit mores ſuos. Eleganter de hoc auctor nuperus Ignatius Weitenauer *Libro XI. Subſidior. Veluti chriſtianus Cato eſt, ſerius, & rigidus cenſor, ſuis ipſius moribus vitia improbans, & condemnans, oſtendens poſſe fieri, quæ exigit. Quis illo gravior in laudandis virtutibus? Acerbior in vituperandis vitiis, in ſententiis profundior, in docendo, ediſſerendoque illuſtrior?* Quæ ſane omnia Iſidori Peluſiotæ ſunt, Nilo hac quoque in parte æqualis, ut mihi quidem extra dubium ſit, ambos a præceptore Chryſoſtomo

id im-

id imbibiſſe. Habet tamen & hic modus amœnitatem, & unctionem ſuam; quod non a bile, non ab impatientia, verum a zelo proficiſcitur, pectusque incoctum honeſto oſtentat. Quare ſupra laudatus vitæ ſcriptor in *Præfat. Operum*, mel quoddam aut vinum fœcundans, ac ſuave reperiſſe ſe in eo putat, quibus influat in animos, firmetque ad pietatem, & feraces efficiat. Clarius Petrus Franciſcus Zinus, qui cum in *Epiſtola ad Aloyſium Lipomanum Epiſcopum Veronenſem* Abbatem iſtum auctoritate gravem, plurimo rerum uſu, & doctrinis cœleſtibus eruditum dixiſſet, acrem ei tribuens in corrigendis vitiis gravitatem; in *alia* ad Coadjutorem ejus *Auguſtinum Valerium* ſapienter addidit: *Ubique ſemper dulci quadam ſeveritate, & eloquentia chriſtiana de Timore Dei, de tremendo judicio, de pietate, de religione, de virtutibus omnibus complectendis, deque vitiis evitandis, de bonis moribus, de beata vita ita loqui, ut magnam & ſingulis, & univerſis tum utilitatem tum etiam voluptatem ſit allaturus.* Probatque exemplo ipſius Lipomani, qui ipſe teſtatur, in ardua illa Polonica legatione Nilum hunc multum attuliſſe ſibi conſolationis. Menologium Græcorum *ad diem XII. Nov.* diſerte ait, *Sermones ejus vi rationis, & Spiritus Sancti gratia perungere; per epiſtolas autem, & capitula pleroſque divino etiam amore Chriſto admoviſſe.*

Denique nec illud in Nili charactere omittendum, quod, quidquid fere loquitur, aut venit a Scripturis, aut ad Scripturas ducit. Sane primo aſpectu id ſtatim ſe offert legentibus, & jam a Zino * fuit animadverſum. Vaſionenſis vero Epiſcopus in *Præfat.* grandiori verbo uſus: *Sacratis e Libris*, inquit, *doctrinæ religioſæ deducit rivos.* Satis autem oſtendit hic ipſe Nili interpres, ex Chryſoſtomi

* In ead. ad Lipomanum data.

ſtomi diſciplina profectum, ut ſacros Libros frequenter haberet in manibus, ab animo autem nunquam dimitteret. Ita enim in Libro, quem dixi, chronologico: *Verſarat diurna, nocturnaque manu Nilus, & diuturna lectione triverat Libros ſacros; adeo ut illos imbibiſſe videretur: locos eorum ſcite, atque appoſite applicabat, & exponebat concinne, ſeque in his exercitatiſſimum, & germaniſſimum S. Joannis Chryſoſtomi diſcipulum exhibebat.* Me quod attinet, uti Chryſoſtomo, Iſidoro Peluſiotæ, & Theodoreto, ita Nilo quoque multum debeo cognitionis divinarum Literarum. Sed delectum modo inter ſcriptiones faciamus.

CAPUT III.

Ubi maxime vigeat eloquentia Nili, oſtenditur.

Abbas Ladvocat in *Lexico hiſt. portat.* in quo ſuccinctum, moderatum, nec indiligentem Criticum agit, inter opera Nili monet præcipue æſtimari *Epiſtolas* ejus, & *Exhortationes ad vitam ſpiritualem.* Quod ſi generatim intelligit vir eruditus, non refragabimur: ſin ſpeciatim de eloquentia pronuntiat, vix poſſumus aſſentiri. Oratorem ſe Nilus maxime oſtendit in duobus illis opuſculis, quæ Poſſinus Latine reddita *Pariſiis anno* 1638. in lucem emiſit. Primum inſcribitur *Hiſtoria*, ſive *Narrationes, quibus cædes monachorum montis Sinæ &c.* deſcribitur. Hoc enim non ſolum Nicephorus, ſed res ipſa præferre ceteris videtur. Per otium compoſitum eſt, habetque affectus quam plurimum, ut ea de cauſa reprehendatur vir Sanctus a græco *Menæo* 12. *Novemb.* quaſi filium ſuum captivum plus, quam decuerat, ibi luxiſſet. Verum inanis hic ſcrupulus eſt, ob quem, ut recte Suareſius *ib.* obſervat, rerum ignari ipſum adeo Jobum, Sanctiſſimum virum, inter lamenta ſua criminari poſſent.

Hic

Hic ipſe auctor loquens de ſcriptis, ubi præcipue lucem, coloresque eloquentiæ, Nilus adhiberet, iſtuc primo loco ponit. Sed legatur Petrus Poſſinus in *Præfatione* ad hoc ipſum opus.

Alterum Panegyricum opuſculum *de laudibus Albiani Galatæ* quam maxime etiam oratorium eſt. Singulari enim nitore formoſiſſimi hominis caſtitatem prædicat, qui ad ſacra miniſteria evocatus in ſolitudinem ſeceſſerat, luſtratisque locis ſacris corporis cruciatui, & prædicationi inſtans demum in Nitria fato conceſſit. De oratione hac Vaſionenſis ita paucis definit in *Libro chronologico : Hanc in genere demonſtrativo laudationem numeris Nilus omnibus abſolvit elegantiſſime.* Plura vide iterum apud citatum Petrum Poſſinum.

Sequitur duplex Tractatus ad *Eulogium Monachum*, cujus laudem apud Nicephorum *loco* ſupra *citato* videre eſt.

Inter minores vero ſcriptiunculas tum per ſe, tum multo proborum uſu, fructuque commendata eſt illa de octo vitiis capitalibus: neque dubitat acer Criticus Claudius Fleury *Libro XXII. Hiſtor. Eccl. §. ibidem 22. celeberrimam* appellare. De cetera turba ſententiarum, præceptionum, documentorum illud generatim uſurpem, quod de *Præceptionibus ſententioſis* ſpeciatim Nicolaus Glaſſerus Interpres admonuit. Cum enim in uſum ſcholorum eam ederet, diceretque illos potiſſimum libellos eligi oportere, quibus juventus & proficeret in literis, & mores ſimul pietate condiret, ita ſubdit: *De Nili libello non eſt, quod dubitemus; cum ad omnia hæc poſſit plurimum; eſt enim elegantius politus, virtutum præceptis gravis, antiquitatis auctoritate pius, prorſusque aureus.*

Quid vero de Epiſtolis? nempe iſtuc unum jam ſupereſt, ut ultimo loco ſtatuantur? Abſit, ut ita ineptire poſſimus. Nihil enim ſeu regendis

moribus aptum, ſeu ad Scripturam noſcendam eruditum magis. Plus dico, ſi totum proponis corpus Epiſtolarum, nihil hæſitem operum omnium longe præſtantiſſimum aſſerere. Licet enim non negem, quod nec Suareſius diſſimulat, differre illas inter ſe, neque omnes ejusdem pretii, ornatus, & elegantiæ eſſe, lectu tamen digniſſimas nemo negaverit etiam illas, quæ pro re nata ſubito effuſæ impetu, exciderunt verius, quam fluxerunt ad varios, *Pleræque breves ſunt*, inquit Fleury ſupra laudatus *eod. loc. ſtylo acri, & conciſo ſcriptæ.* Quod ſi quis epiſtolas Iſidori Peluſiotæ legerit, apud hunc aliis verbis haud opus, quam illis de trivio petitis: *ovum ovo ſimilius* non eſſe.

Sed nemo melius, nemo majori candore noſcendas dedit Petro Poſſino, quem operæ pretium fuerit denuo audire. „Non vendito, inquit, „ has epiſtolas elegantiæ ſingularis laude, nec iis „ vindico leporis attici florem primum, qualis aut „ in Iſocrateis aureo eloquentiæ ſæculo, in arce „ ipſa Minervæ ſcriptis, nativus eminet, aut qua- „ lis in Syneſianis longo intervallo regionum, & „ temporum peregre deportatus, licet adſcititius, „ pro ingenuo tamen fallit. Scio, & ultro con- „ fiteor earum auctorem, alterum orientalis Eccle- „ ſiæ Paulinum, cum lectiſſimam conjugem, cum „ urbis Conſtantinopolitanæ Præfecturam, cum „ opes immenſas, & ſpes majores in ætatis vigore, „ fortunæ arriſu, ac favore ſummo, Chriſti cauſa „ relinqueret, famam quoque ingenii, & eruditio- „ nem, quam magna mentis indole, ſtudiis a „ puero incenſis, miris tum profectibus, tum ap- „ plauſibus excoluerat, pari ſeveritate propoſiti „ contempſiſſe: nec fas fere ſibi magis eſſe puta- „ viſſe in illo religioſo ſeceſſu montis Sinai, cum „ quo civitatem regiam, & comitatum Auguſto- „ rum familiaritatemque mutaverat, aulicos, qui-

„ bus inſueverat, politi ſermonis ſales, ac lepores
„ uſurpare dicendo deinceps, ſcribendove, quam
„ ſemel depoſitos florentis fortunæ cultus, abdica-
„ torumque infulas, atque inſignia magiſtratum
„ reſumere. Ne carere tamen omni gratia hunc
„ librum autumes; cogitare te oportet, natos, &
„ eductos in regno principes, ſi quo forte caſu
„ aut conſilio pannos privatos, ac viles induant,
„ erumpentibus ſubinde radiis male diſſimulatæ
„ majeſtatis prodi: formarum quoque inſignium,
„ quas ætas, ac valetudo populatæ ſunt, in rugis
„ ipſis anilibus, & triſti macie amabiles reliquias
„ agnoſci. Quare ut Carthaginenſis Cypriani, ut
„ Paulini, quem memoravimus, Nolani ſcriptæ
„ poſt ſuſceptam profeſſionem Philoſophiæ auſte-
„ rioris Epiſtolæ, quæ extant, etſi horrorem af-
„ fectent quemdam, ac ſpirent ſectæ rigidioris,
„ quod vel ſic tamen non dubia lineamenta reti-
„ neant eloquentiæ prioris, oculos adhuc moran-
„ tur, etiam delicatorum, & de talibus faſtidioſe
„ cenſentium: ita non deſpero, quin moroſis quo-
„ que iſtis elegantiarum aucupibus aliquid occur-
„ ret in ſtylo, ac dictione Sinaitæ Abbatis noſtri,
„ quo is cum venerabili ſquallore ruris eremetici,
„ & aſperitate quadam ſacra Moſaici, quem ac-
„ colebat, Rubi, nitorem mitem Athenarum, &
„ olivæ Palladiæ uberem amœnitatem videri poſſit
„ conjunxiſſe, Verum in his (quod jam indi-
„ cavi) ſummam fiduciæ non pono: abundeque
„ magnam hujus editionis commendationem duco,
„ ſi ea, quæ legenda offero, utilitatis meræ fru-
„ ctu ſeſe ipſi probare, lector ſenſerit; raro licet,
„ aut nullo lenocinante flore venuſtatis. Nihil
„ admodum in his epiſtolis verboſæ, ac fucoſæ
„ urbanitati datum; adeoque in hoc genere res ad
„ vivum Nilus reſecat, ut, quaſi literis etiam
„ ſcribendis præcepto teneretur, Diſcipulis dato,

 „ cum

„ cum evangelizatum mitterentur, neminem ſalu-
„ tandi, compellationes ſolennes, officioſaque bene
„ precantium verba velut otioſa vitet. Jam Scri-
„ pturæ teſtimoniis acervatim congeſtis, nec iis
„ explicatis, ſed verbulo curſim indicatis uno,
„ paſſim omnia conſpergit, nonnulla cum mole-
„ ſtia lectorum, ſi qui forte totam, quanta eſt,
„ utriuſque fœderis Scripturam, eamque græcæ
„ editionis, haud paulum plerisque in locis a vul-
„ gata hodierna diſcrepantis, præſentem memoriæ
„ non habuerint. Denique monachica ibi quæ-
„ dam, ſtudio, ac profeſſione religioſi ſilentii,
„ etiam ultra laconicam, verborum præparca bre-
„ vitas ſententias obſcurat, dum in arctum cogit.
„ Cæterum hæ velut ariſtæ ſpicas obvallant, fru-
„ gis optimæ pleniſſimas. Doctrina morum hic
„ traditur, exquiſitiſſime exacta. Theologia nus-
„ quam ſanior, ac purior. Quæſtiones officio-
„ rum, & conſcientiæ a nullo, quod ſciam, Pa-
„ trum diſtinctius, ſubtilius, prudentius ſolvuntur.
„ Sunt in his epiſtolis ἐπιπληκτικαὶ complures,
„ quas cenſorias latine dixeris, objurgatrices vi-
„ tiorum. His nihil aculeatius, nihil excitandis
„ e veterno peccatoribus aptius legitur. Sunt προ-
„ τρεπτικαὶ, ac παραινετικαὶ non paucæ, hortativæ
„ aut admonitoriæ, quibus acri diligentia, plena
„ copia, efficaci gravitate omnis fortunæ, omnis
„ ætatis homines ad omne ſingularium virtutum
„ commoventur, informantur decus. Sunt &
„ δογματικαὶ nonnullæ (doctrinales vocare liceat)
„ παραμυθικαὶ item, conſolatoriæ, συμβουλευτικαὶ
„ præterea, conſilia dubitantibus opportuna ſug-
„ gerentes. Neque, ut multa curſim genera tran-
„ ſigam, inter has deſunt, expoſitrices aliquæ ge-
„ ſtarum rerum, aliæ conſuetudinum veterum in-
„ dicatrices, quædam interpretatrices ſacrorum Ora-
„ culorum, quas opinor, ἱστορικὰς, πολιτικὰς, ἑρ-
μηνευ-

„ μηνευτικὰς græci dicerent, præter alias, quas pi-
„ get perſequi, ſpecies non paucas. „

Leo Allatius, recenſitis Nili quam plurimis operibus, denique ita concludit: *Sed longe, longeque plurima, & permulto etiam clariora ſuperſunt edenda hujus ſanctiſſimi Viri opuſcula, quæ faxit Deus, ut tandem aliquorum ſtudio, & diligentia in lucem veniant.* Præſtitit id ex parte Epiſcopus Vaſionenſis, verum haud ſatis feliciter; nævis enim quamplurimis laborat Editio ejus, & facilius reor nova parabitur, quam caſtigetur iſta, & numeris ſuis omnibus abſolvatur.

Atque his perlectis & expenſis, ſpero tam ignotum poſthac Nilum Sacris oratoribus non futurum, ac fuit hactenus; cum plurimi, non dico de facie, ſed ne de nomine quidem noſſent. Supereſt, ut rei periculum faciant, & deinceps eum auctore ipſo coram agere aſſueſcant, certi, a congreſſu, & familiaritate illius non niſi ægre admodum ſe avellendos. Quod ſi vero quidam cognitum melius, perſpectumque habent, ſed plura reſcire de tanto homine volunt, adeant eos, qui ex profeſſo agunt de Scriptoribus Eccleſiæ, atque ea de cauſa ſingulis fere Diſſertationibus noſtris ad calcem ſunt adjecti.

DISSERTATIO XII.

De Eloquentia Theodoreti *Cyrenſis.*

CAPUT I.

Exiſtimatio, quam meretur.

Theodoretus nobili loco natus Antiochiæ, a parentibus, qui Macedonii aſcetæ precibus eum impetrarant, vixdum ſeptennis in monaſterium eſt miſſus, in quo pietate pariter, & literis imbueretur. Hic vero præceptoribus ea ætate celeberrimis Theodoro Mopſveſteno, & Joanne Chryſoſtomo in omni doctrina ſacra, ac profana

progreſſus tantos fecit, ut famam ſibi maximam compararet, & denique ad Cyrenſes Inſulas expeteretur. Diœceſis ampliſſima octingentarum parœciarum; ſed plena hæreticis, quorum iſti Arium, illi Macedonium, alii Apollinarium, plerique vero Marcionem ſequebantur. Hos inter novo Antiſtiti perpetuæ dimicationes, nec pauca pericula erant ſubeunda. Verum facundia ſua innumeros lucratus, ex ſolis Marcionitis decem hominum millia reduxit ad Eccleſiam. Nec præterire debemus, quod pagi cujusdam incolas feroces illos, & eadem peſte infectos, ingenti animo per ſe ipſe accedens, cum obviam armati prodiiſſent, ita oratione demulſit, ut poſitis armis, & aditu permiſſo, primum quidem ſerpentem æneum, quem adorabant, comminuerent, mox hæreſin una omnes abjurarent. Pacata provincia ſua, ut primum otii aliquantum eſt nactus, ad ſcribendum ſe contulit, eo ſucceſſu, ut Eccleſiæ hoſtes nullius magis ſeu eruditionem, ſeu eloquentiam reformidarent. Dicendo autem tantum valuit Theodoretus, ut ad eum ingentia ſæpe agmina, ac velut emoti ſedibus ſuis populi confluerent, exclamantibus præ ſtupore ipſis Presbyteris, & cum cathedra abiret, non caput ſolum, & pectus, & manus, ſed genua adeo deoſculantibus. Multi *Lumen* eum vocabant non Orientis ſolius, ſed *orbis univerſi*: Joannes vero Patriarcha Antiochenus, cum intereſſet concionibus ejus, exilire præ gaudio, & manibus plaudere ſolebat. Dum ergo propter eximias dotes ubique celebratur, nec parum ſibi ipſe tribuit, invidiæ paulatim cœpit patere, ac multis deinceps malis, ipſique etiam hæreſi involutus, admiſtos ſemel errores tanto periculoſius, quanto eloquentius tuebatur, donec divina aſpirante gratia ad ſanam mentem reductus, Neſtorium ſuum penitus ejuravit.

Lau-

Laudatores ejus longiſſimum ſit commemorare. Nam quotquot fere de eo ſcribunt (& ſunt plurimi, neque ignobiles) Latini & Græci, veteres & recentiores, Catholici & hæretici, omnes nullo diſcrimine Theodoreti eloquentiam prædicant. Et alii quidem dicunt, hominem uti doctrina nemini, ſic facultate dicendi pauciſſimis cedere, quantumque eruditione inſtrueret, tantum facundia delectare. Alii aſſerunt, diſciplinas omnes ita complexum animo, ut tamen oratoriam, & delicias ſermonis nunquam poneret. Alii inter primos Doctores collocant, qui quam plurimum Eccleſiæ rebus commodaſſent. Alii nullius volunt tam multa nos ſcripta habere inter Græcos, ſolo Chryſoſtomo, & forte Cyrillo exceptis: ex quibus iſtum eloquentia, alterum aliis rebus ſuperaret. Quoniam ergo omnes haud poſſumus, ſaltem aliquos audiamus.

PHOTIUS, quoties de Libris Theodoreti judicat, in laudem facundiæ ejus excurrit. Et quidem *codice* 204. ubi rurſum de conſueta illi forma dicendi meminit, velut admiratione tactus, *divinum virum* appellat, & hoc in argumento, ubi parum, ne dicam, nihil eloquentiæ licebat.

JOANNES EUCHAITA in *Elogiis Scriptorum Eccleſiaſticorum* ligata oratione perſcriptis & ipſe *divinum virum*, *Magiſtrumque optimum* vocat, *qui in omnibus haud impar eſſet maximis Eccleſiæ Paſtoribus.*

NICEPHORUS CALLISTUS *Libro XIV. cap.* 30. *Eis ipſis annis*, ait, *Eccleſiam Cyri quoque gubernavit vir in græcis juxta, & chriſtianis diſciplinis præclarus, qui libros multos Eccleſiæ utiles reliquit.*

ANONYMUS in Epigrammate, quod in *MS. Auguſtano* græcum extat, tribus verſibus uberrimam Theodoreti facundiam indicat, quando eum velut Nilum exhibet, Græcorum agros inundantem copioſe,

pioſe, & pinguefacientem. Aliud. idque plurium verſuum ex Savilio dat Valeſius in *Prolegom. Hiſtor. Eccl. Theodoreti.*

RODOLPHUS GUALTHERUS, Interpres *Sermonum de Providentia,* in *Nuncupator. ad Joachimum Vadianum: Fuit is* (Theodoretus) *eruditione inſigni, eloquentia pari, & docendi facilitate admirabili inſtructus. Unde plurimis ingenii ſui monumentis Eccleſiam adjuvit, & Chriſtianæ fidei puritatem defendit.*

JOANNES BAPTISTA GABIUS ad *Pium IV.* ſummum Pontificem præfatus in Prophetiam Danielis Theodoretum *virum diſertiſſimum* appellat. Et *ad Cardinalem Vitellium,* cui Ezechielem nuncupavit: *Plurima,* inquit, *nobis ingenii ſui monumenta, atticam venuſtatem redolentia, reliquiſſe.*

SIXTUS SENENSIS in *Bibliotheca ſancta: Attica,* ait, *vir eloquentia celebris, & ſanctorum voluminum explicatione clariſſimus, hæreticorum quoque impugnator acerrimus.*

ANONYMUS in *epiſtola ditioni Birckmannicæ præfixa* non contentus *divinum plane Theodoreti in explicandis ſacris Literis acumen, & mirificam in omni genere diſciplinarum ſcientiam vocaſſe,* de diligentia, ſtudio, & contentione viri hæc addit: „Idque hoc „ nomine conſecutus eſt, ut inter reliquos græ„ cos Scriptores, qui hac via immortalitatem no„ minis ſui reliquerunt, facile in primis ponen„ dus ſit, nullaque illius memoriam in catholica „ Eccleſia obſcuratura ſit unquam oblivio. Quis „ enim illo in myſteriis ſacroſanctæ Scripturæ „ explicandis acutior? quis in exponendis ſingu„ lis rebus apertior? quis in tractando doctior? „ in dicendo ſuavior? in diſſerendo nervoſior? in „ movendo vehementior? Neque ut reliqua di„ cam, quis illo vel fortius Catholicam Eccleſiam „ defendit: vel acrius contra veritatis hoſtes pugnavit?

„ navit? Eſt certe hic vir tanta cum laude in omni „ doctrina volutatus, ut non, qui eum laudet, „ aſſentator, ſed qui non celebret, obtrectator „ ſit habendus. Libri illius, ut eſt in Canticis, „ favum diſtillant, mel & lac ſub lingua ejus. „ Is ille eſt, qui id, quod perpaucis admodum „ contigit, cumulatiſſime præſtitit, ut non ſolum „ ſacrarum Literarum intelligentiam, verum etiam „ omnium artium, totiusque philoſophiæ ſcientiam „ conſecutus videatur. Non eum Poëtas, non „ Oratores, non Hiſtoricos, non Philoſophos, non „ rerum naturas ignoraſſe, qui vel mediocriter in „ illius ſcriptis verſati ſunt, facile affirmabunt. „ Denique ita concludit: „ Sed quid ego multus „ ſum in hujus diviniſſimi viri laudibus, quem „ etiam me tacente præclariſſima hæc opera ſatis „ laudant? „

Claudius Sanctesius in *Hexaſticho* de Theodoreto:

Nemo inter Græcos brevius, nemo aptius iſto
Scripturas aperit, hæreticoſque premit.

Nicolaus Caussinus *Libro III. de eloq. ſacr. & hum. cap.* 14. uti ante Clementem Alexandrinum, ita nunc Theodoretum *inter eloquentes ſumme doctum*, *inter doctos ſumme eloquentem* appellat.

Henricus Valesius in *Præfat. Tom. II. Hiſtor. Eccl. Græcor. Theodoritus Epiſcopus Cyri vir tum ſuis ſcriptis, tum aliorum teſtimonio celeberrimus.*

Christianus Lupus in *appendice ad Synod. Chalcedon. Tom. I. pag.* 895: *Theodoreti eruditio, eloquentia, epiſcopalis conſtantia nullo egent teſtimonio.*

Joannes Garnier in *Hiſtoria Theodoreti cap.* 2. Theodoretum aſſerit *ſacris, profaniſque doctrinis pene omnibus mentem admirabiliter excoluiſſe. Animo par fuiſſe ingenium, capax nempe, ac omnibus do-*

ſtrinis aptum: avidum ſciendi, & felici memoriæ, dicendique facultati pene prodigioſæ conjunctum.

Petrus Annatus *Libro IV. Apparatus Artic. I.* hæc inter alia de Theodoreto ſcribit: *In hoſtes Eccleſiæ lingua pugnavit, & calamo vir ille magnus, ſtylo fluidus, & eloquio facilis, copioſus, & amænus, orientalis Eccleſiæ Doctor celeberrimus.*

Claudius Fleury *Hiſtor. Eccleſ. Libro XXV.* *Theodoretum,* inquit, *doctrinæ & eloquentiæ maxima laude floruiſſe.*

Abbas Ladvocat in *Lexic. hiſtor. portat.* *Omnia opera Theodoreti lectu digna* admonet, *quæ gloriam illi immortalem compararint.*

Hæc pro elogio, & teſtimoniis eloquentiæ ſufficere poſſunt. Quare ad characterem progredimur.

CAPUT II.

Notæ, quibus diſcernitur.

De charactere Theodoreti ſane auctores plurimi commemorant. Photius *codice* 203. „ Vir „ hic, inquit, ſane doctus non Hippolyto modo, „ verum etiam aliis multis propheticorum ſermo„ num interpretatione, atque explanatione longe „ antecellit. Dictio ejus commentationi, ſi cu„ juſquam alius, aptiſſima. Nam & puris, ſigni„ ficantibusque verbis abdita quæque, & obſcura „ revelat, & jucunditate quadam quaſi delinimento, „ ſuavique lepore ad ſui lectionem invitat. Quin „ & ex eo, quod ad ambages nullas digreſſio„ nesque a propoſito argumento recedat, ſatieta„ tem non modo nullam affert, ſed ea inſuper, „ quæ in dubium vocantur, ſine ulla vel confu„ ſione, vel diſſipatione facile, & commoda rati„ one lectores ſuos docet. Vocum item ejus „ delectus, atque ipſa compoſitio ab atticæ elegan-

tiæ

„ tiæ origine non refugit, niſi quid forte curioſius „ illic occurrat, quod quis multorum auribus inſolitum dicat. Hoc conſtat, nihil eum, quod „ ad interpretandum faciat, declinare, adeoque in „ ſummum evaſiſſe optimorum interpretum culmen, ut non facile ſis aliquem reperturus, qui „ illo melius obſcura explicet. Sunt quidem & „ alii pure loquentes, qui propoſitarum ſibi rerum „ ſenſum haud ſegniter inveſtigent: at ſimul & „ perſpicue dicere, & nihil interim cognitu neceſſarium vel brevitatis cauſa prætermittere: non „ item ad diverticula, vel ad doctrinæ oſtentationem digredi (niſi hoc forſitan non ſine utilitate „ ſic adhibeatur, ut percipi nequeat, quod a re „ propoſita diſcedatur) hoc certe præ ceteris rebus omnibus a bono Theodoreto ſtudioſe curatum eſt, non in hoc ſolum opere, ſed fere dixerim in omnibus ejus ſcriptis, quæ multa ſane „ reliquit, quibus S. Scripturam induſtria ſua mirifice illuſtravit.„ Quæ ultima verba ſatis confirmant judicium Garnerii recte annotantis *Diſſertat. II.* quæ de ſtylo, & ratione interpretandi haberet Photius, etſi commentarios in Danielem reſpicerent, latius tamen procul dubio pertinere. Similia Photius dicit *Codicib.* 31. 46. 56. *&* 205. *Codice vero* 273. *pulchritudinem verborum*, *& nominum*, *jubarque cogitationum* illi tribuit. *Codice* tamen 31. non diſſimulat translationum audaciam, quam in Hiſtoria interdum oſtendiſſet.

Nicephorus *Libro XIV. cap.* 52. *Fluidum admodum* cenſet, *copioſum*, *in elocutione facilem*, *& atticam gratiam redolentem.*

Joannes Baptiſta Gabius *ad Vitellium*, *loco ſupra laudato: Fuit illius*, inquit, *multa*, *& copioſa*, *atque perſpicua*, *& leniter fluens eloquentia.*

Sixtus Senenſis jam allegatus *admirabilem docendi facilitatem* dicit ſortitum.

Anony-

Anonymus alius a ſuperius citato, ſed & ipſe ex *Edit. Birckmanni Tomo II: In rerum explicatione*, ait, *& tradenda doctrina brevis & dilucidus, in dicendo jucundus, in argumentando ſubtilis, in monendo acris. Rationibus, cum opus fuit, nemo validius hoſtes oppugnavit, ut crebro etiam ſuo ipſos gladio jugulet. Auctoritatibus ſi certet, vix ullus vel omni exemplorum genere, vel ſumma non cœleſtis tantum doctrinæ, ſed totius antiquitatis cognitione acrius inſtat.*

Hieronymus Platus *de Bono ſtatus Religioſi Libro III. cap.* 11. diligentiam hominis & planitiem laudat.

Daniel Heinſius *orat.* 3. *Video*, inquit, *Theodoreti lenitatem in dicendo, in interpretando ſine ambitione ulla candorem, in errorum confutatione planam & nervoſam argumentorum copiam, maxima antiquitatis cognitione inſtructam.*

Nicolaus Cauſſinus *Libro XV. de Eloq. ſacr. & hum. ante medium* θελητήριον illud celebrat, επαγωγὸν ἢ δυσματων, quod tanti facere Græci ſolent.

Jacobus Sirmondus in *Vita: Stylo vero*, inquit, *is lepos & elegantia, quæ & lectorem ſine faſtidio teneat, & perſpicuitati brevitate non officiat.*

Cardinalis Bona in *Notitia Auctorum: Fluidum* appellat *Theodoretum, copioſum, & undequaque doctiſſimum.*

Joannes Garnier *Diſſertat. II. ad finem cap.* 3. in ſtylo Theodoreti *elegantiam*, & quaſi *limpiditatem* animadvertit.

Quæ ſane ſingula ſi ſpectamus, ut debemus ſpectare, varium pro vario argumento Theodoretum oſtendunt. Non minus tamen & iſtud nos docent, perſpicuitatem & nitorem præ ceteris exculta ab eo, atque adamata fuiſſe. Sed quid illud, quod Nicephorus *loc. cit. Sectatorem magni Joannis Chryſoſtomi* vocat, *illumque ſibi*, ait, *quaſi prima-*

primarium exemplar ſtylo conformando propoſitum habuiſſe? Conſentiunt cum Nicephoro & alii; ſed, ut verum fatear, nulla idonea ratione, niſi hanc afferamus, quod, quæ ille fuſe admodum in Commentariis Scripturæ diduxerit, contrahere Theodoretus ſoleret, ac velut breviario quodam includere. Id quod Sixtus Senenſis & Joannes Garnerius jam monuerunt; ſed & ipſe alicubi in Præfatione diſertis verbis profitetur. Nec minus explicatione eget, quod Jacobus Billius in *Prolegomen. ad Nazianzenum* animadvertit; iſtuc ſcilicet, quod tam ſtudioſe Doctorem hunc ſectatus ſit Theodoretus, ut ejus quandoque vocabula, & phraſes affectaret. Verba ejus uſurpaſſe nemo inficiatur, qui quidem prolatos ab eodem Billio utriusque locos viderit. Id tamen non minus certum, nihil de cothurno, nihil de ſchematis, nihil de acumine Gregorii aſſumpſiſſe, ut qui claritatis amator eſſet, eamque brevitati conjungere modis omnibus allaboraret.

Hæc ſingulatim de notis Theodoreti, quæ tamen eo ex capite nondum videntur ſufficere, quod pleraque Commentarios fere, Dialogos, & Hiſtorias tangunt. Quod ſi de Orationibus & Epiſtolis ſit ſermo, quæ præcipuam habere laudem infra dicetur, paulo aliter debemus pronuntiare. Et mihi quidem in his viſus ſemper Theodoretus dicendi dotibus univerſis ſic inſtructus, ut vel ea conjungat, quæ apud unum eundemque multo rariſſimum ſit ſimul invenire. Uti enim in Commentariis brevem videmus, ſolidum, perſpicuum; quique ipſa dictione eundem ſemper nitorem præferat, ſic in iſto genere argumentis potenter inſtat, doctrinæ copia lucem infert, phraſi vero & numero tenet, recreatque mirum in modum. Quod ſi in adverſarium incidit, quod ſit ſæpiſſime, ut bello a teneris aſſuetus, educatusque in caſtris, omnem

omnem effugio locum præcludit. Tum vero jam non molli brachio rem agit, ſed incumbit toto robore, & quidquid ſive ingenium, atque doctrina, ſive ars & eloquentia miniſtrant, una expromens, velut nervis, lacertiſque validiſſimis complexus ſtringit, premit, elidit obſiſtentem ſibi falſitatem. Sæpe autem ſtraviſſe haud contentus arma hoſti eripere amat, & proprium ei telum in viſcera adigere. Neque pii motus, & affectuum igniculi deſunt. Sic enim incitatur, ut maxime decet tantum Doctorem, quin id affectet, quin procurrat longius, quin tragicum ſpiret, vaſtusque aliquando, & deformis evadat. Videas & pompam apud eum, & colores, & munditias Rhetorum, & urbanitates, quæ ille omnia ut nunquam prodigere ſolet, ita in loco, & tempore, cum maxime juvant, egregie novit pro cauſæ ſubſidio adhibere. Porro quia non ubique totus proſtat, & hac ipſa de cauſa non omnibus familiaris eſt auctor, ante omnia ad lectionem ipſam provocamus, ſpe freti, quiſquis ipſummet ſubinde adierit, aſſenſurum nobis facillime, atque adeo ex ſolis hiſce lineamentis illico totam hominis faciem agniturum.

CAPUT III.

Libri, ubi maxime elucet.

Ut nemo negarit eloquentem ubique Theodoretum, & ſui quam ſimillimum in eodem genere, atque etiam illa, quæ ſcripſit conciſius, nitere omnia: tamen & iſtuc eſt dandum, eſſe apud ipſum alia aliis multo potiora. Et quidem omnium conſenſione primas ferunt *Conciones* illæ decem *de Providentia,* quibus nihil eſt curatius, ſive apparatum, ſive ſplendorem, ſive rem ipſam, ſive ſermonis elegantiam ſpectare quis velit. De his Garnerius *Diſſertat. II.* ita merito pronuntiavit: *Nihil*

hac elucubratione, quæ decem ſermonibus abſolvitur, aut eloquentius, aut admirabilius non dicam a Theodoreto, ſed ab alio ullo felicioris etiam Græciæ Scriptore in hanc rem editum eſt, ut in ipſa videatur auctor oſtendere, quantum in arte oratoria valeret, quamque poſſet eloquentiſſimis quibusque invidiam movere. Scribenti forſan indignatio ſua auxiliata eſt. Hæc vero ipſa eſt cauſa, cur putet non Cyri, ſed Antiochiæ dictas. *Dicti igitur*, ait, *ſunt Antiochiæ, in urbe Orientis primaria, quæ quia literis græcis erat excultiſſima, imo literarum fons uberrimus, tantarum deliciarum ſenſum habere potuit, quas Cyrenſium ruditas, ac pene barbaries non capiebat.* Addit: *De his ego præſertim ſermonibus propter admirabilem eloquentiam interpretor Theodoreti verba de Joanne Antiocheno ſibi, cum diceret, plaudente:* Differentibus nobis ſic afficiebatur, ut ambas ſæpe manus non teneret, & de ſede ſua conſurgeret &c.

Eædem orationes alios quoque quam plurimos habent laudatores, & memini Theophilum noſtrum Raynaudum multa ex iis, nec fere ſine elogio, in Theologiam ſuam naturalem transferre. Neque ego dubitem, hodieque in Concionibus ſive diductas tantiſper, ſive ſolummodo in vernaculam translatas contra impietatem, & blaſphemias incredulorum momenti quam plurimum eſſe habituras. Rudolphus Gualtherus, Zwinglii gener, & operis hujus editor ita illud extollit: „ Utinam hic mihi „ ea adfuiſſet verborum vis, quæ facundiſſimi Scri„ ptoris eloquentiam exprimere potuiſſet; quem „ oratorem fortiſſimum, & omni artium, totiuſque „ Philoſophiæ cognitione inſtructum fuiſſe vel uni„ cus hic libellus facile teſtari poteſt. Aſtrorum „ enim & cœleſtium orbium tantam cognitionem „ habuit, quanta in chriſtiano homine eſſe debet: „ Aëris, terræ, & aquæ naturam exactiſſimo ſtu„ dio perſpexit: humani corporis fabricam ad unguem

„ guem tenuit: nihil illi ad artium expoſitionem „ deſuit: moralis Philoſophiæ partes ita cognovit, „ ut nihil in eo vel ſummus Philoſophus deſiderare „ queat. Accedit his ſacræ Scripturæ ſingularis „ notitia, in cujus tractatione doctus, argutus, „ clarus, facilis, & brevis eſt. Quæ omnia ſi „ mihi quoque pari elegantia, copia, & perſpicui- „ tate exprimenda eſſent, eadem omnino mihi „ quoque neceſſaria fuiſſet eruditio, eadem di- „ cendi vis, eadem tractandi perſpicuitas, qua „ Theodoretus claruit. „ Subdit, ideo ſe vertiſſe has orationes, ne tantus theſaurus cum Eccleſiæ communi detrimento, lateret diutius. Imo divinæ providentiæ, tam pie ab illo aſſertæ, donum in eo agnoſcit, quod tamdiu amiſſæ, cumque tineis, & blattis bellum gerentes, inventæ tandem ſint, & nobis reſtitutæ.

Nicolaus Majoranus, qui proximo poſt Gualtherum anno idem opus Romæ edidit, ad *Nicolaum Rodulphum Cardinalem*, *Eo*, inquit, *dicendi genere, orationisque elegantia, eo diſpoſitionis ordine, ea argumentorum ſubtilitate, & ſententiarum gravitate, ac copia ſcriptum inveni, ut ejus lectione his præſertim temporibus chriſtianarum literarum amatores fraudare nefas putaverim, ſperaverimque non minimum gratiæ me apud veræ pietatis ſtudioſos initurum, ſi talem, tam bene de Chriſtiana Religione meritum auctorem quaſi intermortuum ad vitam revocarem.*

Victorinus Strigelius, qui easdem orationes *anno* 1564. *Lipſiæ* edidit, præter alias multas laudes ita habet: „ Neque vero nudis propoſitioni- „ bus cum adverſariis Providentiæ congreditur; „ ſed laxat habenas orationi, ut ſit ſplendidior; „ nec tantum docet lectorem; ſed etiam delectat, „ & movet. Quam ſplendida imago mutuæ „ communicationis proponitur in prima oratione, „ ubi de incrementis, & decrementis dierum, &

„ noctium

„ noctium diſſeritur? Quem non delectet pictura „ politiæ apum in oratione quinta? Quid eſt autem ſexta, niſi perpetua Antitheſis commodorum, & incommodorum, quæ comitantur divitias, & paupertatem? Septima eſt collatio Dominii & ſervitutis congruens ad Pindari ſententiam: *Juxta unum bonum duo incommoda Deus tribuit hominibus, quæ inſipientes non norunt ferre eleganter; at boni pulchra foras vertunt.* Quid dicam de venuſtate ſimilitudinum a corpore humano, a re medica & a re navali ſumptarum, quibus quaſi quodam ſale omnes orationes perſperguntur. In octava pathetice exaggeratur & ſcelus fratrum Joſeph, & pietas Danielis, ac Sociorum ejus. Quantum porro ſplendoris eſt in orationibus, quæ attribuuntur Joſeph ad Dominam, Chriſto ad diabolum, animæ, & corpori ad Deum? Sed ſingula ornamenta elocutinis perſequi neque propoſitum eſt nobis hoc loco, neque neceſſarium.„

Fridericus Syllburgius in *Præfat. orat. contra Græcos, aureolos* de Providentia *libros* vocat, aitque meminiſſe ſe, eos magna cum voluptate audire, cum adoleſcenti ſibi explicarentur.

His de Providentia Sermonibus jungenda oratio *de Charitate* edita primum *Romæ anno* 1580. a Gerardo Voſſio. Hanc Raynaudus ſummopere extollit non ſemel, & Garnerius eloquentiæ ſpecimen quoddam ait eſſe, incentivis pietatis refertum, in qua charitatis natura, præſtantia, effecta, et cauſæ copioſe exponantur.

Tertio loco Epiſtolæ veniunt, de quibus Nicephorus *Libro XV. cap.* 54: *Legi ſupra quingentas ejus epiſtolas, græco ſermone optime compoſitas.* Garnerius ait: *Nihil hoc in genere ſcribendi perfectius; nam quæ ſunt Epiſtolarum virtutes, brevitas, perſpicuitas, elegantia, urbanitas, modeſtia, obſer-*

vantia decori, *& ingenioſa*, *prudensque*, *ac erudita ſimplicitas in epiſtolis Theodoreti admirabiliter elucent, ut ſcribentibus exemplo eſſe poſſint.* Easdem, præſertim ad amicos officii cauſa datas jam ante idem impenſe laudavit in *Hiſtoria Theodoreti cap.* 3. Porro exemplum capi poteſt mox a primis duabus ad Anonymum, quibus, ut idem *loco priore* advertit, *nihil elegantius*, *& ingenioſius*.

Sequuntur de curandis affectionibus Græcorum *Libri XII.* quos ſane moderni Critici ſuſpiciunt vehementer, ſummisque laudibus extollunt. Fridericus Sylburgius in *Præfat.* ante dicta *egregium* appellat *nobilis Theologi opus*, & nominatim in iis magnifica encomia Martyrum miratur. Philippus Labbe in *Diſſertatione de Scriptorib. Eccleſiaſt.* vocat *admirabiles*, *ac plane divinos*. Fuſius Zenobius Acciaolus *ad Leonem X. Doctiſſima*, inquit, *Theodoreti monumenta ſtudioſis omnibus legenda propoſui*, *quibus qui legendis oculos*, *animumque admorint*, *tam multiplici rerum cognitione plena invenient*, *ut facile confeſſuri ſint*, *nullos eum Poëtas*, *nullos Oratores*, *nullos Hiſtoricos*, *nullosque præſertim philoſophos latuiſſe*: *nullusque tam doctus ſit homo*, *qui ex ejus lectione nova ſibi*, *atque inaudita*, *quam plurima non ſit accepturus*. Denique: *utinam*, exclamat, *ſtyli quoque nitorem*, *qui ſummus in Theodoreto conſpicitur*, *exæquare vertendo licuiſſet! Conſummatum profecto librum latini homines habuiſſent.* Jure vero miratur Garnerius Silentio præteritum ab antiquis: *Mirum vero accidit*, inquit, *neque a Photio*, *neque a Nicephoro recenſeri opus tam exquiſitum*, *totque libris comprehenſum*. Cauſam in illud conjicit, quod forte in paucorum manus venerit propter reconditam doctrinam externam, cum Scriptores illi duo eorum duntaxat operum meminerint, quæ vulgo notiora haberentur. Addit *infra* in laudem operis? Opinari ſe, illud eo tempore Theodore-

doretum compoſuiſſe, quo, junior adhuc, & ſæcularibus literis plenus, & ſuam Gentibus eruditionem poſſet oſtentare, & cum aliis ſuæ ætatis eandem materiam verſantibus de laude contendere. Certe tantum eruditionis, profanæ præſertim, hic videre eſt, ut Syllburgius recenſitis curioſe auctoribus, qui nominatim ibi appellantur, novem ſupra centenos enumerarit, ſacris in cenſum minime venientibus. Quod autem pretium operis immenſum auget, iſtuc eſt, nullum aptius hoc ſæculo opponi Deiſtis noſtris poſſe. Julianus enim Apoſtata, defectionis ſuæ cauſas ſcripto complexus, novam quaſi faciem gentiliſmo induxit, & philoſophicam quamdam religionem fabricavit, tanto veteri illa peſtilentiorem! quanto plauſibilius cultum plurium Deorum veluti Secundariorum Dei unius Supremi confeſſione temperabat. Itaque improbabat ipſe priorum Ethnicorum abſurditates, ſimul tamen chriſtianorum, & Judæorum ſuperſtitionem, ut putabat, ex ſuis ipſorum libris homo nequiſſimus convincebat. Librum hunc, quem Gentiles veluti ſcutum aliquod opponebant noſtris, Patres maximam ejus ſæculi partem totis viribus impetere aggreſſi, alii quidem ſermonibus ad populum habitis, Theodoretus, & Cyrillus perſcriptis libris confutarunt. Sed palmam haud dubie Thedoretus tulit, ſive quis ordinem ſpectet, ſive ſtylum, ſive eruditionem, quam maxime oportuit venditare adverſus hominem eum, qui cum alias, tum in infami hoc libro inſcitiam Chriſtianis, atque barbariem identidem oggerebat.

Hæc citra controverſiam præcipua ſunt operum Theodoreti. De ceteris, puta *hæreticarum fabularum libris quinque*, de *divinorum Decretorum Epiome*, de *Philotheo*, de *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, de *Eraniſta*, ſeu *Polymupho*, atque illis, quæ habentur in appendice, item quæ *Venetiis* 1759. primum prodierunt,

dierunt, nolo jam ſermonem trahere: & ſatis eſt, quæ addi poſſent, apud Garnerium legere, qui ſtudioſe Scriptiones ſingulas percenſet. * Sufficit, quod in Eraniſtam idem admonet, ſermonis perſpicuitatem & puritatem, quam ibi laudaret Photius, reliquis operibus omnibus convenire. Quod vero Theodoretus vix ullum ſe credidit opus elaboratius ediſſe, ſuasque in eo vires ipſe miratur, habuit ille quidem rationes ſuas; in his enim maxime libris expromit, atque tuetur conceptos errores. Quamquam, ut verum dicam, quod formam, atque facundiam ſpectat, recte a Gennadio *Scripta fortia:* ** ab Herveto *opus nulli alteri poſtponendum, ubi acerrime, & ſubtiliſſime diſputaret*, dici potuerunt. Ipſe Garnerius: *Eraniſten igitur,* inquit, *elaboravit tempore mandatum Imperatoris mox ſequente, id eſt anno* 446: *elaboravit, inquam; nam tota uſus eſt vi mentis ſuæ, totaque, qua valebat plurimum, arte, ad lectorum animos ſuavi quadam, facilique collocutione primo quaſi faſcinandos: dein ſuis ſyllogiſmis illaqueandos, ut ſibi viderentur, in partes colloquentes non aliena ratione duci, ſed ſponte ſua venire.*

Illud omittendum non eſt, ne quis forte turbari ſe ſinat, cum Philotheum convitiis omnibus profundi a quibusdam audit. Nempe cum hæretici ætatis ejus ſenſa de miraculis, de ſpontanea afflictatione carnis, de cultu reliquiarum, Invocatione Sanctorum, erectis in memoriam Martyrum templis ibi legunt, neceſſe eſt concitari eos, & plus

---

* Præter *divinorum decretorum Epitomem,* per oblivionem omiſſam; quod in opere poſthumo minime mirum.

** Hæc enim intelligit Gennadius, etſi falſo tradit adverſus Entychen compoſita, cujus tunc utique virus nondum eruperat.

plus quam ſatis habere, ut opus peſſime habitum denique omnino auctori abjudicent. Sed nolumus cum his tempus perdere, neque nati ſumus ad omnium ſputa lingenda; præſertim hac in cauſa, quæ nihil attinet ad præſentem Tractationem. Certe ut omnia in eo deſiderent adverſarii, nitorem, & elegantiam Theodoreto propriam nunquam deſiderabunt. Imo Poſſevinus in *Apparatu*, atque etiam alii *elegantiſſime conſcriptas* eſſe dicunt haſce vitas SS. Monachorum.

Porro de Commentariis illud adhuc notare debemus, nihil eſſe ſtudioſis Scripturarum, atque adeo ſacris oratoribus utilius: neque in ullo græcorum Patrum majorem ſacræ Paginæ ſcientiam extitiſſe, atque in iſto fuit. Abbas Ladvocat Commentarios in Epiſtolas Pauli, & ceteros ſacros Libros *excellentes* appellat. Quod autem Paulinos præponit, ex communi ſententia factum: ſoletque a multis Scripturarum peritiſſimis viris comprobari. Nuperus auctor Ignatius Weitenauer *Subſidiorum Libro XI. Inter ejus* (Theodoreti) *commentarios eminent Paulini. Cum enim nihil ſit magis arduum, quam Pauli contextum ubique perveſtigare, ac dilucide ante oculos ponere, Theodoretus id ubique feliciter aſſecutus eſt, & breviter quidque expediit, ut perfectum Interpretem appellare non dubites.* Cui concinit Sixtus Senenſis, accuratus cenſor, illud affirmans, in his *commentariis ſuccincte, quantum fieri poteſt, eleganter, ordinate, ac pie ſenſus Pauli explicari, & ſententias ſententiis, quod in Paulo videtur difficillimum, miro artificio conjungi.* Sed nemo magis laudavit amico illo Anonymo, ad quem primo eos miſerat Theodoretus, precatus, ut ferret ſententiam; quam tulit denique, immenſas operis laudes reſcribens. vide Epiſtolas 1. & 2. *ad Anonymum.* Laudes, ac Criſin reliquorum commentariorum, puta *Quæſtionum in Octateuchum, in*

*Libros Regum, in Libros Paralipomenon, Interpretationis in Pſalmos, in Cantica *, in Eſaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem, duodecim Prophetas minores* vide in *Præfationibus* ſingulorum operum, collectis a Sirmondo, & apud Garnerium *Diſſertatione II.*, ubi minutim, & accurate de ſingulis agit.

Pro additamento Diſſertationis ſervient præter Dupinum, Tillemontium Ceillierium &c. Garnerius in *Auctario.* Pagius *ad ann.* 427. *num. XVIII.* & 451. *num. XLVII.* Fleury *Libro XXV.* & *XXVII.* &c.

DISSERTATIO XIII.

De Eloquentia S. Joannis *Damaſceni.*

CAPUT I.

Præſtantia, & laus ejus.

S. Joannes Damaſcenus, a patria ſic dictus, natales habuit ſplendidos, & maxime illuſtres. Puer admodum Coſmæ Monacho Italo, viro doctiſſimo, a piratis Saracenis capto, in diſciplinam traditus, atque ab eodem una cum fratre adoptivo, ejusdem cum præceptore nominis, & Majumenſi poſtea Epiſcopo, ſcientiis omnibus imbutus eſt. Patre poſt fatis functo Principi Saraceno a conſiliis fuit. Qua dignitate non minus, quam doctrina, & eloquentia illuſtris, cum contra Leonem Iſaurum Orientis Imperatorem, qui tum maxime contra imagines rugire, & furere cœperat, calamum aliquoties ſtrinxiſſet, confictis a Tyranno literis proditionis apud Principem ſuum poſtulatur. Qua accuſatione oppreſſus, velut comperta perfidia, dexteram manum amiſit quidem, verum Dei

* Quamnon immeritó in dubium Garnerius vocat.

Dei parentis implorata ope eodem adhuc die recuperavit *. Porro miraculo attonitus Joannes valedixit omnibus atque in Laura S. Sabæ, quo Coſmas ſenior jam præceſſerat, junior autem ſequebatur, vitam aſceticam profeſſus eſt. Hic autem divino monitu ad ſcribendum revocatus Eccleſiæque Hieroſolymitanæ Presbyter factus, cauſam fidei, diu qua voce, qua ſtylo præclare ſuſtinuit. Multa illi, imo perpetua lectio præcipuorum, Præſulum Baſilii, Nazianzeni, Chryſoſtomi, Theodoreti, a quibus uti Theologiæ intimam cognitionem, ſic elegantiam, & nitorem ſermonis eum traxit, quem in implexis plerumque, ac difficilibus argumentis omnes hodieque impendio mirantur. Sed ne abeam longius, auctorum teſtimonia adſcribo.

Sacrum Concilium Generale *Septimum*, quod Nicææ in Bithinia celebratum eſt, *Actione 6. Epiphanius contra Anathematiſmos &c.* Joannem dicit ab oriente tuba pro Chriſto ceciniſſe, atque adverſus inſanos novatores contra Eccleſiam armatos admonuiſſe omnes, & cohortatum eſſe.

Theophanes in *chronographia* ** non contentus Joannem *Doctorem egregium, ſanctitate vitæ æque, ac doctrina fulgentem* dicere, addit ***, *rite cognominatum Chryſorrhoam propter floreſcentem in ipſo, tam quoad doctrinam, quam mores, auri inſtar micantem ſpiritus gratiam.*

Auctor Vitæ S. Stephani *junioris*, pro imaginum cultu, ac defenſione a Conſtantino Stercorario crudeliſſima nece affecti, hunc Martyrem teſtatur, præterquam quod ſermonum Joannis dimicationumque adverſus Iconomachos mentionem faciens

* Ita Patriarcha Hieroſolymitanus in *vita*, ducentis annis poſterior Damaſceno, nec tamen temere ideo rejiciendus.

** *ad annum* 13. *Leonis* Iſauri.

*** *ad annum* 19 *ejusdem.*

ciens divinum virum, ac cœlitus afflatum dicebat, *lepidam* quoque *linguam* ejus prædicaſſe, qua multis in epiſtolis acerrime Imperatorem perſtrinxiſſet.

JOANNES PATRIARCHA *Hieroſolymitanus*, ſcriptor vitæ ejus præter alia, quibus ingenium, diligentiamque admirabilem & eruditionis omne genus extollit, ſtyli quoque elegantiam non uno loco vehementer prædicat.

CEDRENUS in *Compendio Hiſtoriarum ad annum* 10. *Leonis Iſauri*, *Erat*, inquit, *Sanctus hic Joannes & vita, & ſermone magiſter optimus, omni divina, humanaque cognitione repletus.*

SUIDAS in *Lexico* de Joanne, & Coſma ſodali ejus: *Joannes Damaſcenus, cognomento Manſur, vir & ipſe doctiſſimus, ætatis ſuæ nulli eorum, qui doctrina illuſtres fuere, ſecundus. Scripta ejus complura ſunt, & maxime philoſophica, & in Sacram Scripturam Paralella ſelecta, & Canticorum canones jambici, & ſoluta oratione. Eodem tempore Coſmas etiam Hieroſolymitanus floruit, vir ingenioſiſſimus, & omnino ſpirans modulationem illam Muſicam. Canticorum certe canones Joannis, & Coſmæ hactenus fuerunt incomparabiles, neque etiam, quoad noſtra vita propagabitur, comparationem admittent.*

NARRATIO de vita & converſatione S. Joannis Damaſceni, ſane ſimplicula, quæ apud Gravium, Lequienum &c. jam non niſi latine extat, *cap. ult.* ubi de Libris, & eloquentia ejus aggreditur dicere: *bene loquacem hirundinem* vocat, *& bene ſonantem philomelam, irreprehenſibilem turturem, & ſimplicem columbam, Eccleſiæ omnino delectabilem perdicem, fidelium non inclinabilem columnam, & gloriam & firmamentum; hæreticorum autem obſtructionem, & ſubverſionem, & obſtaculum, derelinquentem nobis editas dulces, & delectabiles enarrationes, & opera plena gratia, & fide, & ſapientia exiſtentia.*

MENO-

MENOLOGIUM GRÆCORUM *die quarta Decembris: Inclytus vero Joannes poſtquam & ipſe multa id genus, aliaque plura perfecit, ac tum ſuarum rationum vi, tum Scripturarum demonſtrationibus eruditis impiam Iconomachorum, qui ſacras imagines oppugnabant, hæreſim plurimum impugnavit, quin & multa quoque reliquit Eccleſiæ Dei monumenta, quorum ope, ac ſubſidio accurata cujuscunque rei, quæ in quæſtionem cadit, cognitio comparatur, in uberi demum ſenectute vitam abſolvit, quam centum, & quatuor annos egerat.*

CONSTANTINUS LOGOTHETA in *Oratione infra alleganda*, Damaſcenum non dubitat cum SS. Baſilio, Gregorio, & Chryſoſtomo comparare.

SYNAXARIUM BASILII *Imperatoris ad diem* 29. *Novembris, apud Bollandianos & Lequienum*, Joannem noſtrum dicit *omni gentilium diſciplina, inſuper etiam divinis Literis eruditum, qui ſuarum Orationum, & Demonſtrationum e Scripturis deſumptarum efficacia Iconomachorum hæreſin confudiſſet.*

MENOLOGIUM aliud græcum SIRLETANUM, *apud Henricum Caniſium Tomo* 2. *& Lequienum, ad eundem diem* 29. *Novembris, Joannem*, ait, *parentis cura & diligentia, omnem Encyclopædiam edoctum, & divinitus inſpiratas Scripturas bene didiciſſe perſcrutari. Omnis eruditionis, & monaſticæ inſtitutionis participem, denique orationis facultate, & Sanctarum Scripturarum teſtimoniis impiam hæreſin eorum, qui ſacras imagines impugnarent, vehementer confutaſſe, ac redarguiſſe. Multa erudite, & accurate ſcripta reliquiſſe, in quibus omnium fere quæſtionum ſolutio inveniatur.*

MENÆA Græca inter alia vocant *cytharam ſpiritu reſonantem, qui aures ſimul & mentem mulceret, & Eccleſiæ ordines omnes mellifluis ſuis vocibus exhilararet; aſtrum* item *fulgentiſſimum, portitorem lucis, ſydus illuſtrans Eccleſiam, & lampadem fulgentem iis,*

qui ſedent in tenebris. Et cetera ſimilia verboſius dicta, quibus turget totus Canon, ac reliquæ divini officii partes.

Macarius Ancyranus *contra Barlaamum cap.* 35. *Damaſcenum autem cum dico, omnes Doctores, atque Theologos in unum collectos ſignificavi. Magnus etenim hic os, & interpres Theologorum omnium eſt. Quapropter in iis, quæ ille ſcribit, non* DICO, *ſed* DICIMUS, *ait. Cujus quanta ſit in eo orationis ſublimitas, & dogmatum integritas, & amuſſis, quantum ſit in omnibus percelebris gloria, inter œcumenicas ſanctas Synodos ſeptima commemorat.*

Ex Latinis Vinçentius Bellovacensis in *Speculo Hiſtoriali*, atque ex eo S. Antoninus, etſi fabuloſa plurima addenſant, ex ſola tamen fama diſertum fuiſſe ignorare haud potuerunt, præter *vitæ meritum, & morum honeſtatem eloquentiæ* etiam *nitorem* Damaſceno tribuunt.

Joann. Bapt. Mantuanus *Libr.* 5. *Baſtor.* de Joanne noſtro. - - - *toto fulget ceu Lucifer orbe.*
Et docet exemplo vitæ, quid agamus, & ore.

Joannes Trithemius *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* non uno loco doctrinam, & Scripta Joannis, atque in divinis æque, ac ſæcularibus literis eruditionem commendat.

Henricus Gravius Dominicanus, qui primus Damaſceni opera edidit, in *Nuncupatoria:* „ Cum „ pace aliquamdiu Eccleſiæ reſtituta, omnium Zi„ zaniorum ſeminarium infelix genius, pie cre„ dentium ſaluti rurſum invidiſſet, ac Neſtorium, „ Eutychium, Monophyſitas, Iconomachos, ac „ plura id genus portenta ad concitandam, & con„ vellendam fidei catholicæ cymbam excitaſſet, eo„ rumdemque ope, & opera totum ferme Orien„ tem conturbaſſet, mox ſupremus ille Navicula„ tor, ſui muneris nequaquam oblitus, ſpectatiſſi„ mum illum Theologum Joannem, a metropoli „ Sy-

„ Syriæ Damaſco cognomento Damaſcenum, orbi „ exhibuit, quem velut Herculeum quemdam fidei „ noſtræ ὑπερασπιςὴν tot hæreſiarcharum monſtris „ objecit. „ Dein Suidæ allato teſtimonio, quod ſupra dedimus ita pergit. „ Fuit enim ille incre- „ dibili dicendi vi, ac feſtiva varietate mirabilis, „ vere χρυσονημος, nec infra nomen ſuum χρυσορ- „ ῥοας, utpote cujus ex ore aurea quædam ſcatu- „ rigo aſſidue proflueret, qui κατὰ τὴν μέλιτταν „ latiſſima prædeceſſorum ſuorum volumina Theo- „ logorum tanquam prata ἀπανθισάμενος ex ele- „ gantiſſimis paſſim lectis floſculis ἀνθολογιαν quam- „ dam concinnavit, mira cum induſtria, tum arte „ adverſus omnes retro ſæculorum hæreſes depu- „ gnans. Ad quam ſane palæſtram non ἄνοπλος, „ ut modo multi, ſed exquiſita plane ſacrarum Li- „ terarum, orthodoxarumque ſententiarum πανο- „ πλία inſtructus acceſſit. Cujus rei ſpecimen uni- „ verſa fere Chriſtiano, vel Theologo neceſſaria „ ita pro rerum pondere, & dignitate pertractat, „ ut ingeniine acumen, an linguæ facundiam plus „ admirere, prorſus addubites. Quamquam illud „ non tam clare ex latina traductione, quam ex „ græco opere emicat, quod nuper divino benefi- „ cio ad ſtudioſorum manus perveniſſe, magnope- „ re gaudemus. „ Et *infra:* „ Sub Leone III. Iſau- „ rico, velut quoddam Eccleſiæ lumen præcipuum „ effulſit, circa annum reſtitutæ ſalutis DCC, & „ XXX. jam tum orbi notiſſimus, ac ſermone „ omnium frequenti uſque adeo celebratus, ut in „ Eccleſia Orientali non minus, quam Occidentali, „ poſtea ſemper ſpectatiſſimis Eccleſiæ Doctoribus „ pro ſuo merito ſit annumeratus. „

Antonius Possevinus in *Apparatu part.* 1. Damaſcenum vocat *virum eloquentiſſimum*, & *omnibus diſciplinis excultum.*

Petrus

PETRUS RIBADENEIRA *in Vitis SS. die 6. May*, cum fuſum Joanni elogium texeret, eloquentiæ ejus minime eſt oblitus. Ait enim Vorſa, proſaque oratione miros omnino libros, tractatusque de divinis myſteriis cœpiſſe conſcribere, quos Sancti Patres græci, catholicaque Eccleſia valde ſuſpexerint, & æſtimarint. Mox facundiſſimum, & in ſcribendo accuratiſſimum vocat, qui vita, & doctrina illuſtrarit Eccleſiam, tamque eleganter ſcripſerit, ut propter eximiam facundiam Chryſorrhoam Græci vocitarent.

Cardinalis BELLARMINUS *Libro de Scriptorib. Eccleſiaſt.* Joannem *ſcripſiſſe multa præclara opera* admonet.

JACOBUS TIRINUS in *Indice Auctorum* Joannem Damaſcenum *ſcientiis omnibus excultum* aſſerit.

ANDREAS BRUNNERUS in *Faſtis Marianis ad 6. Maji: Scripſit illa*, inquit, *quæ hodieque orbis omnis miratur.*

GUILIELMUS CAVEUS in *Sæculo Iconoclaſtico ad ann.* 720. ait: *Joannes in paterna domo a Coſma liberalibus diſciplinis inſtitutus præclaram ſibi doctrinæ, & eloquentiæ famam brevi comparavit.* Et iterum *infra: Doctrinæ & eruditionis famam, nemo, cui ſanum ſinciput, ei denegabit. &c.*

MICHAEL LEQUIEN Dominicanus, præ ceteris omnibus egregie meritus de Damaſceno, ut cujus auctiorem multo, & elegantiorem, accuratioremque editionem curavit *ipſo initio Præfation. generalis.* „ Joannem Damaſcenum inter præſtantiſſimos „ Doctores ſuos cenſet Eccleſia Orientalis, ac præ„ cipuo ſemper honore coluit, cum propter ele„ gantiſſima cantica plurima, quæ vir ſanctus edi„ dit, & quibus magna pars officii Eccleſiaſtici Græ„ corum conſtat, propter quæ etiam Ἰωάννης ποιη„ τὴς, Joannes Poëta, nuncupatus eſt, tum im„ primis propter ingentem rerum præſertim divina-

rum

„ rum ſcientiam, atque eruditionem, qua omnia „ fere, & ſingula chriſtianæ fidei myſteria eximia „ perſpicuitate, aut catholicis ediſſeruit, aut adverſus hæreticos propugnavit. Quod in cauſa fuit, „ ut Χρυσοῤῥόας cognominatus ſit, ſumpto vocabulo tum ab aureis doctrinæ fluentis, quibus aſfluit, tum etiam ob flumen Chryſorrhoam, quo „ Damaſcus, civitas ejus patria alluitur. Quamobrem ex omnibus Eccleſiæ Patribus vix ullius „ opera a Theologis avidius expetita ſunt, quam „ quæ Joannes Damaſcenus poſteritati conſignavit. „ Græcos omitto, quibus ceterorum inſtar ipſe „ ſemper unus fuit. At magnam quoque exiſtimationem in Occidente habuit, ex quo ejus libri „ latine reddi cœperunt.

Joannes Croiset in *Exercit. piet.* ita Joannem laudat: *Opera varia eaque excellentia compoſuit, plena eruditionis, & pietatis. Inter alia majorem tractatum de cultu ſacrarum imaginum, ſermones ad defenſionem fidei, libellos item ad devotionem pertinentes magno numero, qui unctione, & divina quadam eloquentia redundant.* Additque: *Velut doctiſſimorum & ſanctiſſimorum Patrum unum inde a morte Eccleſiæ venerationi extitiſſe.*

Laurentius Berti in *Eccleſ. hiſt. Breviario ſæculo VIII. cap.* 4. *Joannes*, inquit, *Monachus, ac Presbyter Damaſcenus, ob eloquentiam vocatus χρυσοῤῥοας a χρυσος* AURUM, *&* ῥεω FLUO; *quamvis interdum nimis fuiſſe credulus videatur* *, *docte tamen, eleganterque conſcripſit de fide orthodoxa, de hæreſibus, nec non contra Acephalos, ſeu Monophyſitas, Neſtorianos, & Manichæos, orationesque ſacras, ſtylo perpolito, & exculto.*

Ita

* Quam parum id vitio dandum ea ætate, ubi nulla Critices cura fuit, præclare ſummorum etiam Patrum exemplis oſtendit Lequien in *Præfat. gener. num.* 13.

Ita Eruditi de eloquentia Damaſceni non ſumma illa quidem, ut cui in ejusmodi argumentis, quæ ille tractavit, perparum licebat, magna tamen, & quæ ſatis oſtendat, quid in alia fœcundiori materia præſtare potuiſſet. Juvat ergo cum Leone Allatio *l. c.* ita concludere. *Omnes non elinguem, indoctumque, ſed facundiſſimum, & rebus divinis apprime eruditum fuiſſe pronuntiant.*

Neque nihil eloquentiam contuliſſe opinor, ut homines ſua ætate doctiſſimi Jodocus Clichtoveus, Donatus Veronenſis, Henricus Gravius, Jacobus Billius, Franciſcus Zinus, Joachimus Perionius, Godefridus Tilmanus, Bilibaldus Pirkeimerus, Aldus Manutius, Marcus Hopperus, Petrus Pantinus, Fronto Ducæus, Joannes Aubertus, Dionyſius Petavius, Philippus Labbe, Franciſcus Combefis, Leo Allatius, Michaël Lequien recenſendum, edendum, vertendum, digerendum in communes locos, melioremque ordinem, ornandum denique & illuſtrandum modis omnibus ſibi ſumerent. Idem dicam & de communibus ſtudiis, quibus plenam ejus, exactamque editionem alii expetierunt, alii promoverunt, alii exceperunt. Certe Clerus Gallicanus in Comitiis 1636. celebratis magno conſenſu decrevit, uti illa quamprimum committeretur idoneis hominibus; Præſules item varii, & doctiſſimi rem eandem inter primas curas numerarunt: denique Dominicani Ordinis Præſides duo allaborarunt magnopere, ut id operis eum aliquando exitum haberet, quem reipſa videmus, & Eccleſiæ non minus, quam ipſi auctori omnes gratulamur.

CAPUT II.

Rationes ſtyli propriæ, & peculiares.

Recte de charactere Damaſceni Joannes Patriarcha, vitæ ſcriptor, aſſeruit, ſubtilitatem, facilitatem, & gravitatem feliciter conjuncta in eo videri.

Sane,

Sane, ait, *quisquis in ejusmodi lucubrationes illius cum judicio animum attenderit, ſenſorum altitudinem, & dictionis elegantiam cum majeſtate conjunctam admirabitur* *. Id vero patientiæ laboris tribuit, curæque elimandi, quidquid vir ſanctus conſcripſiſſet. Sic enim *eodem loco* ſcribit: *Labores laboribus cum primis addebat, mentemque ipſam undequaque in ſe cogens, libros, quos elaborarat, collectos recognoſcebat, ornando, perpoliendoque, & caſtigando accuratiſſime dictionem, ſenſum, numerum, & conſtructionem, & ſicubi pulchritudo floſculis luxuriaret, aut modum excedere videretur, eam prudenti judicio reducebat ad gravitatem, ne quid ſeu oſtentationis, ſeu levitatis, & vilitatis libri ſui ſecum traherent.* Quam auctoris aſſertionem in *Notis ad eundem* Lequienus egregie confirmat, miram codicum diverſitatem cum in dialectica, tum in diſſertationibus iis, quibus imagines defendit, ipſemet expertus. Neque id Ribadeneira ſæculo, & quod amplius, antiquior intactum reliquit; diſertis enim verbis in *Flore SS. ad 6. Maji* admonet, quod Joannes diligenter ea, quæ ſcriberet, limare ſoleret, ut & ſua verbis eſſet dimenſio, atque elegantia, ſententiis vero gravitas, commodaque & apta diſpoſitio, nec tamen vanitas aliqua, aut oſtentatio inde eluceret. Hæc vero induſtria eos quam maxime decet, meo judicio, qui, quemadmodum Damaſcenus, provinciam docendi ſuſcipiunt, & quæſtiones ſolvere aggrediuntur: Quid enim juvant cetera, cum non intelliguntur? Hunc ergo noſtrum reſpiciant, quem ea haud dubie de cauſa Hieronymus Platus *Libro III. de bono ſtat. relig. cap.* 11. uti *doctiſſimum*, ita *in difficillimis fidei dogmatis enodandis aptiſſimum* vocat.

Secundo gratia quædam, & ſplendor naturalis utramque in Damaſceno paginam implent. Id quod

* Num. 36.

quod ex loco Theophanis, ſupra laudato, de efflo-reſcente in ipſius ſermone gratia ſpiritus, atque in-ſtar auri radiante, ſed etiam ex Menæis, pariter al-legatis, lepore demum a S. Stephano in libris Da-maſceni agnito, haud obſcure colligi poteſt. Nec male Joannes Baptiſta Mantuanus *loco citato* in eam rem admonuit:

Qui cupis ingenium magni cognoſcere Patris,
Huc ades, illius lege græca volumina: nectar
Divinum invenies, decurret in ora legentis
Manna fluens, ut mella favis ſtillantia preſſis.

Tertium, quod peculiare Damaſcenus habet, illud dicas, quod Patrum veterum dictione utitur, eorumque ſententiis orationem ſuam veluti radiis quibusdam, ſeu ut ipſius loquitur, *fimbriis aureis*, exornat. Leo Allatius in *Diatriba num.* 42. ita habet: „ Sanctorum Patrum & magni nominis aucto-„ rum ſententias & capita inde avulſa pro opportu-„ nitate materiæ, quam tractabat, exſcribens, in „ propria ſcripta ſæpiſſime, etiam tacito nomine „ retulit. Damaſceni acre ingenium, vivax, prom-„ ptum, curioſum, vehemens multa ſemper moli-„ tur, ac perficit, quæ poſtea, ut firmiora, orna-„ tiora, deſiderabilioraque domo exirent, dictis, „ ac ſententiis Patrum condecorat. Id nec ipſe de „ ſe negavit, qui ſe apiculam imitari ſcribit: „ *Atque ita demum* * *veritatem erroris interemptricem, eliminatricemque mendacii afflatorum divinitus Prophetarum, nec non eruditorum a Deo piſcatorum, divinorum quoque paſtorum, & Doctorum ſermonibus veluti fimbriis aureis exornatam, decoratamque, Deo, ejusque gra-*

* Verba inſero ex nova Lequieni verſione, non illa, quam Allatius adhibuit.

gratia aſpirante explicabo. Et: *Nihil porrò, ut modo dicebam, quod meum ſit, afferam; ſed quæ a probatiſſimis quibusque magiſtris elaborata ſunt, collecta in unum, quantum per me licuit, brevi, compendiarioque ſermone exponam.* „ Quis doctrinam (pergit Allatius) ſic exornatam, prudenterque fundatam, „ tuto, ſecureque, ac apertis ulnis exceptam in „ interiores mentis, cordisque partes non figat? „ Hoc eſt vere, ſanc̃teque ſcribere. „ Nempe, ut alias eſt dictum, lectioni Patrum ſe dederat penitus, atque addixerat vir ſtudioſus, quod vel ſola poſſint Paralella demonſtrare, ubi ex omnibus fere græcis Doctoribus pro quovis argumento uberes, & ſplendidas ſententias elegit, & in certa capita ingenti labore congeſſit. Utut autem totus in Patribus, iisque diſertiſſimis habitaret Joannes, tamen Gregorium Theologum de rebus divinis differentem præ aliis ſequendum ſibi & imitandum exiſtimavit. Hujus enim, ut ante me plures adverterunt, non ſolum auctoritatibus ſua ſcripta communit, verum ex ejusdem verbis ſuos etiam locos conſuit, pauciſſimis admodum, ubi res tulit, commutatis. Qua ipſa in re mirari ſubit modeſtiam Sancti Viri, quod per ſe præſtare nullo negotio poterat, & more noſtro etiam debebat, prodentis ultro, malentisque, ut illis, quos legerat, quam ut ſibi a lectore doctrina, eloquentiaque adſcriberetur. Sic enim ipſe non ſolum, cujus ſingula forent, profitetur in Libris Paralellorum, ſed Præfationem quoque ad eos libros ingenue ita concludit: *Ac ſiquidem recte, & ut par eſt, volumen hoc concinnatum eſt, divino id auxilio adſcribi debet: ſin vero pingui minerva, parumque felici ſucceſſu, hoc imbecillitati meæ tribuendum erit.*

Leo Allatius in opere *de Libris Apocryphis*, cujus partem, quæ Damaſcenum ſpectat, primum Lequienus edidit, *num.* 33. de dictione Damaſce-

nica ait: *Licet oratoriis floſculis, & accurata exponendi forma non luxuriet, fluit tamen inoffenſa, ſui facilitate decora, contemptu gravis, ſententiarum pondere clara, ſevera, æqualis, divina.* Idem *ib. num.* 64. in Joanne cum adverſariis congrediente alia quædam animadvertit, minime hic loci prætereunda. *Compoſitio*, inquit, *non ita ſubſultans, ſed auſtera magis, & ſubturbida, ex pluribus nominibus nomina facta, Scripturarum loca non fuſe expoſita, ſed tantum, ut ita dicam, propoſita, diſputationes ſæpius inculcatæ de fidei noſtræ dogmatibus, . . . hæreticos & male ſentientes, & præcipue Acephalos, & Judæos vexantes, repetitiones ſæpius admixtæ, quibus ſe auctor dicit ad propoſitum redire, aliaque minutiora, quæ in Damaſceno, tanquam Damaſceni propria, nusquam non ſeſe offerunt.* Jam ante Cardinalis Baronius *ad ann.* 727. *Num.* 18. lucubrationes Damaſceni easdem *aculeatas, ad feriendos adverſarios bene diſpoſitas, & loricatas, ad defenſionem paratas* dixit. Brevius, & melius Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis in *Dialogo contra hæreſes* inedito apud Allatium *Diſſertat.* 1. *de Libris Eccleſiaſticis Græcorum* Joannem noſtrum *divinum, & rebus Theologicis pertractandis acerrimum* appellavit.

Michaël Lequien in *Præfatione generali num.* 16. ita hæc omnia breviter complexus eſt: „ Auctoris „ noſtri dictio, ſeu dicendi, ſcribendive ratio, ubi „ dogmata fidei ediſſerit, aut tuetur, ſimplex eſt, „ & perſpicua. Totus eſt in re, quam agit, voci„ bus propriis, & uſitatis explicanda. Quamob„ rem in libro præſertim de fide orthodoxa non „ tam ſuis, quam anteriorum ſe Eccleſiæ Doctorum „ verbis identidem utitur. In orationibus vero, ac „ homiliis ſimplex quidem eſt, nec comptus ad„ modum, & Laconicus; uti nec ejus ætas, & pa„ tria tunc ferebant: aſiaticam vero eloquentiam „ nonnihil redolet. In longiſſimas periodos quan-

„ do-

„ doque effunditur, quarum confertim congeſta, „ ſibique ſuccedentia membra acerrrimum, ardentiſſimumque ejus ingenium ſpirant, acceptisque „ ut plurimum e Scriptura locutionibus, atque ſententiis conſtant. „

Et hæc de ſtylo, notisque ſcribendi, quas quidem obſervare in Damaſceno licet, ſufficere poſſint.

CAPUT III.

Opuſcula, quæ reliquis præferri ſolent.

Tam multa ex Damaſceni operibus temporum injuria perierunt, ut licet hoc & ſuperiore ſæculo quam plurima reperta ſint, tamen vel ipſo fatente Lequieno plura hodieque deſiderentur. Porro inter ea, quæ extant, principem haud dubie locum Cantica tenent, id eſt, hymni in feſta religionis noſtræ ſcripti, & divino in officio publice recitati. Laudat eos impenſe Euſtathius Theſſalonicenſis Commentario fuſo, erudito, atque elegante in Jambos Pentecoſtales: laudat Joannes Hieroſolymitanus: laudat Narratio de vita & converſatione S. Joannis Damaſceni capite primo allata: laudat Menologium Græcum: laudat Synaxarium Baſilii Imperatoris: laudat Menologium Sirletanum; neque id obiter faciunt, ſed ita, ut ſatis innuant, caput operum eſſe, quod præferatur ceteris, & quo maximam ſibi gloriam vir ſanctiſſimus compararit. Suidas, quem ſupra audivimus, ita extollit, ut dicat, Damaſcenum præter Cosmam, ſtudiorum ſodalem, in eo genere nec habuiſſe parem, nec deinceps habiturum. Quam ejus ſententiam, utpote judicis maxime idonei, magno conſenſu probant omnes Scriptores, & noviſſime ſuo quoque calculo Lequienus confirmavit: ſpeciatim Allatius *loc. dat. Verſus Damaſceni cum alias elegantiſſimi ſint, ſelectis*

ſemper verbis nitidi, quantitate ſyllabarum ſemper commodi, erroribus ſemper innoxii. Quæ omnia conſiderantibus nobis ſummopere dolendum venit, ex tanto theſauro partem fortaſſis minimam nobis ſupereſſe; niſi forte in quibusdam Græcorum monaſteriis adhuc deliteſcunt, ubi ſane, quocumque ſumptu ac labore, in ea inquirere deceret, ut poſtquam eccleſiæ orientis tamdiu illis perſonarunt cum piorum maxima voluptate, in noſtris quoque templis exaudirentur. Plura vide apud Leonem Allatium in alio opere, quod *de Melodis Græcorum* nomen habet.

Poſt Cantica excellunt *Libri de orthodoxa fide*, de quibus dicere aggreſſus Joannes Patriarcha ſic ſcribit: „ In primis ſacrum illud volumen, atque ut „ ita loquar, tabulam divinitus exſculptam exaravit; „ quæ quidem univerſis, ſeu ſapientibus, ſeu in„ doctis, non mediocre ſolatium affert, & inſtar „ januæ eſt ad ſubeunda Theologiæ myſteria, ce„ teraque veræ fidei dogmata, nec non ad brevi, „ compendiariaque ratione ſpeculandum, & cogno„ ſcendum ea, quæ aut in intellectum, aut in ſen„ ſum cadunt. Quem profecto librum ego cœlum „ dixerim, utpote qui rectis demonſtrationibus, „ tum a natura, tum a Scriptura petitis, iisque „ plane eruditis, tanquam ſyderibus ſplendeat. „ Quocirca quisquis in cœlum iſtud non contue„ tur, nec illius pulchritudine delectatur, hic vel „ cæcus fuerit, aut tenebris obſitus. Sed & infe„ licem dicere non dubitem, qui ad divinum hunc „ ſplendorem cœcutiat. „ Quæ verba Patriarchæ etſi ſimul Librum de Dialectica, & de hæreſibus ſpectant, præcipue tamen ad libros, quos dicimus de orthodoxa fide, referuntur. Et ſupra de eo opere: *Quis porro exactam illius Theologicorum placitorum ſcientiam, & accurationem non agnoſcat, & admiretur ex elementari ejus, vel ut melius dicam, abſolutiſſimo*

ſimo in dogmaticis libro? quem ſi quis totius rectæ doctrinæ ſanctionem, & Moſaicas tabulas appellet, a vero neutiquam aberraverit. Elegans quoque, ſed fuſum illis elogium pangit Conſtantinus Acropolita; cujus de vita Damaſceni narratio oratorio & paraphraſtico more amplificata, commodius legetur ab aliis, quam a me toties exſcribatur. Jodocus Clichtoveus, qui in hoc opus commentatus eſt, *præclarum* appellat, item *copioſum ſane, fæcundum, & utile, nihil eorum, quæ ad fidei elucidationem pertinent, omittens.*

Donatus Veronenſis in *Præfatione græca,* linguæ græcæ amatoribus inſcripta, eo progreſſus eſt, ut diceret: „ En igitur hunc Damaſcenum vobis elargimur, qui de omni chriſtiana religione explicatiſſime diſſerit; qui ſolus illud, quod ſtudioſi omnes optimo, felicique conatu ſemper quærunt, in noſtra diſciplina executus eſt. Ecquodnam vero iſtuc? ut plane in omni arte Enchiridion aliquod habeatur, quod eorum, quæ in illa valde neceſſaria, ac difficillima ſunt, memoriam refricet. Hoc porro Damaſcenus ea quidem perſpicuitate contexuit, ut jam mulieres, ſi ita loqui fas ſit, & homines literarum rudes, modo græci idiomatis prorſus expertes non ſint, univerſa accurate percipiant, ea vero brevitate, ac compendio, ut paucarum horarum ſpatio eadem legendo perluſtrent. Enimvero aliorum Theologorum, ac chriſtianæ doctrinæ Magiſtrorum ſententias, quæ multis, innumerabilibusque libris continentur, perpaucis, breviſſimisque capitibus enarravit. Quin imo, ut mihi videtur, quæcunque ceteri omnes nullo ordine, nulla arte de chriſtiana fide ſcripſerunt, ea ſapientia, ac doctrinæ methodo ad ſuum ordinem, artemque revocavit, ut omnes, qui hoc ſolummodo volumen legerint, erudite deinceps, & accurate de

„ rebus divinis omnibus diſputare poſſint. Eccur „ ergo tantum theſaurum in uſum veſtrum conver- „ tere cunctamini. „ Henricus Gravius in *Nuncupatoria*. alias citata, *Succedunt*, inquit, *quatuor illi nunquam ſatis laudati de orthodoxa fide libri, in quibus Damaſcenus ratione mirabili omnia, quæ chriſtiano vel pie credenda, vel ſcitu neceſſaria ſunt, ſuccincte pertractat.* Leo Allatius in opere memorato *num.* 32. *Libri de fide orthodoxa graves ſunt, divini ſunt, non ſunt elingues, aſſurgunt quandoque, & nutantem excitant, & hærentem firmant, & adverſarium quam evidentiſſime, & admodum robuſte concutiunt.*

Michaël Lequien cum alias inter ea, quæ integra extant, primas huic operi defert, tum in *Prologo* ita affirmat: „ Eundem, quem Theodoretus „ in divinorum dogmatum Epitome inſtituerat, „ ordinem tenuit Damaſcenus, at non item metho- „ dum. Ille enim ex proprii ingenii molimine, „ adductis ſacræ Paginæ teſtimoniis adverſus hære- „ ticos varia componens argumentorum genera, „ compendiariam Theologiæ digeſſit tractationem: „ noſter vero non ex Scriptura ſolum, verum etiam „ ex conglobatis Sanctorum Patrum ſententiis ea, „ qua par erat, tum perſpicuitate, tum brevitate „ inexhauſtum traditionis promptuarium protulit, „ in quo nihil reperire ſit, quod vel ab œcumeni- „ cis Synodis ſancitum non fuerit, vel a probatis „ Eccleſiæ magiſtris acceptum. In primis vero ſe- „ cutus eſt Gregorium Nazianzenum, qui ob accu- „ ratiſſimam in rebus divinis eruditionem Theolo- „ gus audire meruit, quique vix ullum chriſtianæ „ doctrinæ caput intactum reliquit in ſuis, quæ ſu- „ perſunt, operibus, absque ullo vel leviſſimi erro- „ ris nævo, aut ſuſpicione. Hujus libros ea lege- „ rat aſſiduitate, ut omnes fideli memoria com- „ ple-

„ plexus videatur *. Quocirca in hoc paſſim ope-
„ re non tam Joannem Damaſcenum, quam Gre-
„ gorium Theologum orthodoxæ fidei myſteria
„ ediſſerentem audieris. Adhæc Baſilium Magnum
„ adſcivit, Gregorium Nyſſenum, atque in primis
„ eorumdem amiciſſimum Nemeſium Emeſæ in Sy-
„ ria Epiſcopum: Cyrillum item Alexandrinum,
„ Leonem Magnum, Leontium Byzantinum, Ma-
„ ximum Martyrem: Athanaſium quoque, Chry-
„ ſoſtomum, Epiphanium, atque ut alios taceam,
„ Scriptorem illum, qui Dionyſii Areopagitæ no-
„ men aſſumpſit. Horum omnium lectis hinc inde
„ ſententiarum floribus ſaluberrimæ doctrinæ ſua-
„ viſſima mella confecit. Id enim propoſuerat ſibi,
„ ut ſua nequaquam, aut nova cuderet, ſed vete-
„ rum potius placita, variis in voluminibus ſparſa,
„ in unum opus Theologicum congereret. . . . .
„ In laudem igitur cedat Joannis Damaſceni, quod
„ ipſe Catholicorum Doctorum primus confertiſſi-
„ mum ſententiarum volumen digeſſerit. Quam-
„ obrem nedum in Oriente, verum etiam in Occi-
„ dente, & apud Latinos magna ſemper fuit apud
„ Theologos ipſius auctoritas. „

Certe quisque inter legendum rite attenderit, idem ſentiet; nec dubitabit confiteri, in hoc Theologiæ compendio nitorem cum accuratione, & brevitatem cum claritate velut de palma concertare. Atque utinam, qui illum in docendo imitati ſunt, etiam in ſcribendo imitari potuiſſent! Neque enim ulla ratione tolerandum videtur, ut cum nobiliſſima ſcientiarum in cunabulis ſuis tantum ſplendoris externi quoque conſecuta ſit, & primum auctorem habuerit non dico ab omni barbarie alienum, ſed auro etiam affluentem, multi ſe Theologos non pu-

 tent,

* **Ecce quomodo vir Doctiſſimus ea confirmet, quæ nos ſuperiori capite admonebamus!**

tent, niſi peregrinis vocibus, ſtyloque ferreo res obſcurarent verius quam illuſtrarent. Qua de re jucundum eſt Dionyſium Petavium, & Joannem Gisbertum audire, qui uti aliis in rebus, ita & hac in parte longiſſime abeundum ſibi a ceterorum conſuetudine exiſtimarunt.

Poſt hos Libros veniunt *Orationes*, ſeu Diſſertationes potius *de Imaginibus*. Quarum priores duæ (nam tertia ex prioribus magna parte contexta eſt) doctrinæ ſoliditatem, libertatem ſcribendi, nervos item & ornamenta eloquentiæ præferunt haud obſcure. Prima eſt veluti fundamentum; altera declarationi ſervit. De his Joannes Hieroſolymitanus in *vita*: *Bene prolixos tractatus alios Joannes contexuit, quibus de divinarum imaginum adoratione iterato diſputabat: & quo divinæ imaginis pulchritudinem in ſe perfectius jam ab initio expreſſerat, eo ſublimius, & elegantius de venerabilium imaginum cultu, & honore diſſeruit.* Menologium quoque Baſilianum & Sirletanum, quæ ſupra audivimus, easdem graviſſimis verbis prædicant. Mitto alios, etiam recentiores Criticos, qui miris laudibus hæc opuſcula extollunt. Solis fortaſſe Acatholicis diſplicent: ex quibus Joachimus Camerarius *Notis in Chronologiam Nicephori Patriarchæ*, quidquid incoctæ bilis collegerat, in illud ſcriptum effudit, *indignum*, clamitans, *fama pietatis, ac doctrinæ illius.* Sed Leo Allatius in *Diatriba*, non ſemel laudata, de Damaſceno & ſcriptis ejus, acerrimo lixivio perfuſum hominem depexuit ad vivum. Unicam ex eo plagulam decerpo, quæ huc maxime fecerit. „ Sed „ quid tandem, inquit, in eo ſcripto eſt, quod eſt „ indignum vel pietate vel doctrina illius? an non „ ibidem & ſacræ Scripturæ ſententiæ, & veterum, „ ac ſanctiſſimorum Patrum teſtimonia paſſim ubi„ que Eccleſiaſticam Traditionem comprobantia „ occurrunt? Quid argumentis e Sacrarum Litera-

„ rum

„ rum penu depromptis validius? quid rationibus „ evidentius? quid concluſionibus ſeverius? quid „ ſententiis dignius? quid ſtructura rerum illuſtrius? „ Utinam cenſores iſti ſcripta ejusmodi legerent, „ & doctrinam ponderarent! Sane & pietate Dama„ ſceni, & doctrina digniſſimum opus faterentur. „ Nihil enim in eo eſt, quod Damaſcenum non „ ſpiret, quod Damaſcenum non referat, & ad „ Damaſcenicam dignitatem non aſſurgat. „ Natalis Alexander *Sæculo VIII. cap.* 3. *art.* 4. easdem orationes *egregias, ac luculentas* appellat. Joannes vero Croiſet, ſupra citatus, ſoliditatem in illis, & vim concludendi laudat, plenosque doctrina, & viva quadam, ſuccoſaque eloquentia dicit, addens & illud: ubique, quod quæſitum eſſet, effeciſſe; confirmaſſe in fide Catholicos, & hæreticos in ruborem dediſſe.

His ego Diſſertationibus continuo aliam contra Neſtorianos ſubjungam, quam Gregorius Protoſyncellus *contra Epiſtolam Marci Epheſini Sermonem exactiſſimum contra Deo inviſam hæreſim Neſtorianorum* dicit, & reapſe in codice Manuſcripto eundem titulum gerit. Lequienus in *Admonitione* ita lucubrationem iſtam laudat: *Ad hujus operis commendationem hoc unum monebo. Joannem Damaſcenum pro tuenda unius perſonæ Chriſti deitate variis ſacræ Scripturæ utriusque inſtrumenti teſtimoniis ea arte, vi, & perſpicuitate pugnare, ut vel unum hoc opuſculum ſufficere mihi videatur ad obfirmandos fidelium animos contra graſſantem hodie Socinianæ perfidiæ luem, illosque ad catholicam fidem revocandos, qui ſincero noſcendæ veritatis ſtudio id perlegerint &c.*

Hanc pretio, & dignitate ſequitur vel comitatur *Dialogus contra Manichæos*, de quo etſi dubitaret Billius, an genuinus eſſet, eo quod in damnatis non niſi pœnam damni admittere videatur, *elegantem* tamen, & *argutam, atque eruditam eſſe hanc di-*

ſputationem dicit, *dignamque plane, quæ Damaſceni nomen præferat.* Porro genuinam eſſe Leo Allatius, Lequienus, & alii plures oſtenderunt. Jucundum eſt legere, quam nullo negotio ſpurciſſimorum hominum deliria, qui aſtu, & vafritie ſua tamdiu Catholicis illuſerant, in apertum proferat, deteſtetur, argumentis, & concluſionibus variis exagitet, denique doctrinam hanc ejusmodi eſſe oſtendat, quam non Evangelio tantum, ſed moribus quoque, & quieti publicæ adverſam igni ferroque oporteat coërcere,

His adde nihilo inferiorem *Tractatum contra Jacobitas:* de quo Lequienus, in laudando ſane non profuſus, ita habet in *Admonitione: Nihil hic addam in tractatus hujus commendationem, quo alium adverſus Monophyſitas accuratiorem, aut urgentiorem vix reperire ſit, nec apud Leontium, tametſi Turrianus* * *Damaſcenum ex fontibus Leontii rivulos ſuos irrigaſſe ſcripſerit in Præfatione ad hunc librum. Nonnulla noſtrum auctorem ex Leontii libris mutuatum eſſe inficias non eo: at plura ipſaque validiora in hoc, quod damus opere, occurrunt, quam quæ apud Leontium occurrunt.*

Neque omittendus hoc loco fuſus pariter *Tractatus de duabus in Chriſto voluntatibus* contra Monothelitas æque ac Monophyſitas perſcriptus. Henricus Gravius in laudatiſſima *Præfatione* operum, *Sequitur*, inquit, *celebratum illud opus de duabus in Chriſto voluntatibus. & operationibus, reliquisque naturalibus proprietatibus, ac duabus naturis, & una hypoſtaſi: quo libro adverſus hæreſes tunc recens exortas invictus ille Chriſti pugil fortiſſime depugnat.*

Inter

* Adde & Leonem Allatium in *Diatriba* ſæpius allegata, qui tamen non negat plurimum & firmitatis, & ornatus a Damaſceno ſuperadditum.

Inter orationes Panegyricas longe ceteris præcellunt tres illæ *in Dormitionem Virginis*, & prima *in Nativitatem* ejusdem. Joannes Croiſet. *l. c.* ait, Damaſcenum eloquentiam ſuam in parvis præcipue opuſculis exprompſiſſe, cum de excellentia, & magnalibus Deiparæ loqueretur. Et de tribus *in Dormitionem* nominatim ita habet: *Sermones admirabiles, quos de glorioſa Aſſumptione B. V. ſcripſit, ſatis oſtendunt, auctorem, ut ſic dicam, inſpiratum fuiſſe, Sanctumque Spiritum aſſiſtentem habuiſſe in omnibus ſcriptis ſuis.* Sed & Natalis Alexander jam allegatus orationes de Deiparente *elegantiſſimas* appellat.

Miror autem, quod illa, qua vir ſanctus Transfigurationem in ipſa Eccleſia Thaborea explicavit, & quam editor David Hœſchelius *concionem illam pereleगantem* vocat, non plures, uti merebatur, præcones inveniret. Mihi certe mirifice placuit, cum propter nervum, atque doctrinam, tum ſplendorem ipſum, & elegantiam minime vulgarem. Puto autem in eandem ſententiam ituros, quotquot homiliam hanc expenderint apud ſeſe, ac paulo moroſius degustarint.

Sermonem de S. Barbara, quod quidem eloquentiam ſpectat, & ipſum laude dignum duco. Leo Allatius *loc. dat.* Arſenii Corcyrenſis, & Joannis Damaſceni neque indoctas dicit, neque inelegantes orationes in eandem Sanctam. Idem fere de *Panegyri in Chryſoſtomum* ſtatuo; nam auctorum fides ex æquo forte vacillat in utraque. Ceteras vero orationes, ut ingenue dicam, parum ego quidem moror.

Porro qui plura de Damaſceni ſcriptis cognoſcere velit, adeat ille Dupinum, Ceillierium, & hiſtoricos quosdam Sacros, & Eccleſiaſticos, quos ego, quia omnibus proſtant, & copia hic non inopia laboratur, tranſcribendos non putavi. Addantur item Joannes Patriar-

Patriarcha Hieroſolymitanus in *vita* : Et Conſtantinus Acropolita Logotheta *Sermone in S. Joannem Damaſcenum*, *Interprete Joanne Franciſco de Rubeis Jureconſulto Romano*, præſertim *numeris* 16. 63. 64. 65. Extat *ad calcem Tomi II. Maji inter Acta SS. Antiverpienſia*. Eſt autem mera paraphraſis Joannis Patriarchæ. Georgii Chioniadis *Expoſitiones in Damaſcenum* ego non vidi. Præfationes Franciſci Turriani in quædam S. Doctoris opuſcula apud Henricum Caniſium. Hippolytus Marraccius *de Scriptoribus Marianis*. Leo Allatius in *Diatriba* toties laudata *de S. Joanne Damaſceno*, *& ejus Scriptis*. Michaël Lequien in *Prolegomenis*, *Notis*, *& Animadverſionibus* Editionis ſuæ. Joann. Chr. Colerus peculiari *Diſſertatione Witebergæ* 1714.

APPENDIX

de Eloquentia Georgii *Nicomedienſis* per Saturam.

Venimus juvante Deo ad ultimum eorum Patrum, quorum de eloquentia dicendum fuit. Eſt is Georgius quidam, Monachus primum, tum Chartophylax Eccleſiæ Conſtantinopolis, denique Metropolita Nicomedienſis. Hic cum alia non pauca, tum vero orationes plurimas, apprime elegantes, literis mandavit. Certe in Catalogo Librorum Principis Antonii Cantacuzeni græce manuſcriptorum centum omnino & ſeptuaginta earum recenſentur.

Erant, qui Georgium hunc cum Georgio Piſide, vel Piſſide confunderent. Quod ſi recte, & ratione, næ illi præclare admodum eloquentiæ ejus conſuluerunt. Piſides enim, ſi quis alius, ſtylo valuit, præcipue ligato. Ut alia præteream, quæ apud Nicephorum, Nicetam Choniatem & Leonem Allatium videri poſſunt, multi Græcorum Euripidi adeo comparare, ne dicam anteponere eum ſunt auſi. Quam in rem diſertiſſimi Pſelli Epiſtolam habemus admirabilem, fratri Andronici Ducæ reſcriptam;

ptam; ubi harmoniam ejus, & ſonitum, paritatem, facultatem, copiam, leporem, elegantiam, alacritatem denique, qua rebus omnibus veluti vitam impertiret, & ipſe non tam ſcribere, quam pingere Allatio eſt viſus. Sed ut cetera conveniant omnia, & Piſides quoque Chartophylax, & Nicomediæ Præſul evaſerit: alium tamen ab eo fuiſſe, & temporum intervallo longiore disjunctum Epiſtolæ Photii ſuadent. Harum aliquot Georgio Nicomediæ inſcriptas dat Montacutius; ex quibus illud habemus, familiarem fuiſſe homini, & ad eum propter ſimilitudinem ſtudiorum referre ſolitum, quoties implexum, atque ambigium aliquid occurriſſet. Epiſtola 156. Grammaticis & Poëtis immerſum innuit apertiſſime.

Sed ſive unus ſit Georgius, ſive duo, parum nos juverit; quando utriusque opuſcula deperdita maximam partem, aut certe tam retruſa ſunt, ut ſpes exigua affulgeat recuperandi. Hæc ipſa eſt cauſa, cur tam ignotus hucusque Nicomedienſis fuit, ut ſi per Allatium ſtetiſſet, plurimi, etiam eruditi, ne nomen quidem illius reſciviſſent. *Oratio* quidem *in Præſentationem* dudum eſt edita; verum hæc, aut ſi quid aliud lucem vidit, nimis erat exiguum, quam ut multis innoteſcere poſſet. Certe ipſius Bellarmini diligentiam effugit. Tandem Allatius, poſtquam *de Scriptis Georgiorum* minutim, & accurate diſſeruiſſet, reliquias ejus aliquot collegit, ſtylumque miratus Combefiſio miſit, dudum optanti, uti oratoribus Marianis græcos quosdam fontes poſſet aperire. Ab hoc igitur latine redditus, & *Tomo I. Auctarii anno* 1648. inſertus eſt.

Nemini vero mirum debet videri, ſi tam pauci ſunt, qui de eo literis aliquid conſignarunt, neque habet ille laudatores, qui lectores vix invenit, medio priore ſæculo detectus primum, inſuper non, ut alii, editus ſeparatim, ſed *collectioni*

gran-

grandiori inter opera variorum velut turbæ cuidam immiſtus. Etſi ergo numerum non faciunt, qui Georgii meminere, adducam eos nihilominus; quia, ut ante per decurſum, ita nunc quoque ad finem malo aliorum ſtare ſententia, quam meam obtrudere.

Quanta ſit apud Græcos exiſtimatio eloquentiæ ejus, ex illo licet conjicere, quod Lambeccius *Commentar. VIII. Bibliothecæ Cæſareæ Viennenſis pag. 222.* teſtatur, Georgium multis in MSS. velut per Antonomaſiam titulo *Rhetoris* ſignificari. Id ipſum jam ante notavit Leo Allatius, ubi de oratione in illud: *Stabat juxta Crucem.*

Index librorum, qui extant in Patriarchio Conſtantinopoli hæc quoque verba habet adſcripta: *Georgii Metropolitæ Nicomediæ orationes panegyricæ valde pulchræ.*

Antonius Possevinus, antequam impreſſus eſſet Georgius, hanc illius in *Apparatu* mentionem facit, priori prorſus ſimilem: *Georgii Metropolitæ Nicomediæ orationes Panegyricæ valde elegantes.* Neque ideo conficitur, hæc inde verba tranſcripta eſſe, quando, qua erat ſolertia, Bibliothecarum angulos omnes rimatus eſt, & codices manuſcriptos non tot quin plures Poſſevinus perlegit.

Ab eo tempore perpetuum de Georgio ſilentium, ipſeque Allatius in opere *de Georgiis*, paulo ante dicto, fuſo alias, & eruditiſſimo, quod aliis forte nimium tunc intenderet, præter morem, & inſtitutum ſuum nihil prorſus de ſtylo Georgii, nihil de eloquentia generatim memoravit.

Con-

Combefisius porro ſummopere Georgii eloquentiam ſuſpexit; & cum homilias ejus decem, pleraſque Marianas, emitteret in lucem, iſtuc inter cetera præfari minime dubitavit: *Præclariſſima offero devotiſſimi Mariæ laudatoris in eandem, ejusque præſertim exordia, & infantiam monumenta, ut nihil hoc argumento præclarius forte aut ediderit vetuſta ætas, aut nova, noſtraque viderit. Scio cum aliis fore admirationi ſtyli nitorem, ac elocutionis gratiam, ſi modo ipſum lector Georgium apud ipſum, tibique per ſe loquentem adire poſſis. Nihil enim meam moror verſionem, quam etſi non malam omnino facere ſtudui; haud tamen polliceri poſſum abſolutam omnibus numeris, & ut ipſum in ea Georgium deſiderare non poſſis* *. Quibus verbis tantum dicit vir eruditus, ut plus ne potuiſſet quidem. Quis enim neſcit (ut noſtra ſileamus) quis neſcit, inquam, quæ hoc in genere Joannes Damaſcenus, quæ Bernardus, quæ Amedeus Lauſannenſis, aliique perſcripſerunt, non docta illa tantum, & expolita; ſed quæ mella fundere, & cœleſti quadam ambroſia manare legentibus omnibus videantur? Hos autem ſi vel ſequi potuiſſe laus non ultima debet cenſeri, quanto major fuerit aſſequi omnino, aut præcurrere?

* Et ſane deſideramus in ea Georgium, uti in aliis Combefiſii verſionibus alios Scriptores. Quo enim plus operæ navavit Græcis, tanto minus Latinis videtur impendiſſe, interpres difficilis admodum, obſcurus, & qui ſæpe, ut maxime velit, non poſſit tamen ſeſe explicare. Hic certe non pauca tam ſcabra, tamque involuta occurrebant, ut locos infra dandos, ne moram lectori injicerent, aliter omnino reddere oporteret. In quo tamen, ut evaderem clarior, non delicatiſſimas voces, ſed ſenſum Georgii ſpectabam. Malo enim liberam, imo paraphraſticam verſionem, quam plenam illam helleniſmis, elumbem, carentem omni lepore, atque ornatu, denique ita impeditam, ut ſine novo interprete intelligi non poſſit.

rere? Vide eundem in *Recenſitis auctoribus ad Bibliothecam PP. concionatoriam*.

Tertius, qui de facundia Georgii commemorat, HIPPOLYTUS eſt MARRACCIUS, diligentiſſimus, imo totus in Deiparæ, elogiis recenſendis. Verum iſte, licet maximo, tamen irrito labore quæſitus a nobis, non comparuit in hodiernum diem.

CARDINALIS BONA in *Notitia Auctorum* ejusdem Georgii orationes allegans: *Georgii*, inquit, *Nicomedienſis orationes, in quibus ſumma pietas, & eloquentia nitet.*

CASIMIRUS OUDINUS in *Supplemento de Scriptorib. Eccleſiaſt.* de eloquentia Georgii pauciſſimis hiſce verbis commemorat: *Scripſit orationes varias elegantes.*

AUCTOR item *Articuli* GEORGIUS NICOMEDIENSIS in *Lexico magno Lipſienſi*, haud paulo diligentior aliorum articulorum auctoribus, atque idem etiam græce doctus, unico verbo magnificentiſſime Georgii eloquentiam extulit, quando Sermones ejus *ſtylo incomparabili* perſcriptas affirmavit.

His præmiſſis ſatius fuerit, quædam ex ipſomet eloquentiſſimo homine curſim ſaltem, & velut promulſidis loco delibare. Sic certe non minus, quam teſtimonio Criticorum Lectoris orexin excitabo.

Oratione 6, quæ eſt *Secunda ad Deiparæ ingreſſum in templum*, Sanctitatem illius ex eo oſtendit, quod tenerrima ætate nihil repugnans abjungeretur a parentibus; ſed & parentes prædicat, quod minime molliter ſeceſſum ejus tuliſſent. Utrumque autem ita amplificat admirabili quadam facilitate.

„ Vide, quam longe aliena eſſet ab iis, quæ „ infantiæ videntur, quando necdum infantiæ ter„ minos exceſſerat. Templo quippe oblata, at„ que abſtracta a parentibus, licet fere maternis

uberi-

„ uberibus adhuc hæreret, iisque affixa eſſet, nullam ex naturæ tyrannide violentiam ſenſit, nihil de immoto illo propoſito remiſit, nec oculos turbari neſcios diducens poſt eos, intus animo commota eſt. Quod plane merito admirationem habere debet, animoque illo innocente, atque ab omni culpa immuni dignum exiſtit. Sic enim univerſi homines comparati ſumus, ut ad parentes, ac cognatos vi quadam pertrahamur: dumque innumera ſæpe abſtrahunt ab iis, nullum tamen per naturam unitos nos poſſit ſeparare. Atque hoc maxime in affectu liberorum locum habet, quem nec timores excutiant, nec voluptates ſuffurentur. Quin etiam cum corpora ſejuncta ſunt, illæſus eodem modo permanet, nec una ipſe ſecatur, & dividitur naturalis amor. Quare licet vi a matris ſinu infantem avulſeris, ipſo habitu, ac voce injuriam inclamat, manuſque extendens in parentem, & oculos miſerabiles, plenosque lacrimis continuo intentos, ac apertos habens, fletu etiam lugubrem vocem mittens, revocansque matrem palam prodit dolorem, nec metu minarum compeſcendum, nec largitione ulla pulcherrimarum, & pretioſiſſimarum rerum emolliendum. Quin potius ita ſe habet, ut in illud, quod quærit, ſemper defixus iis, quæ ad mulcendum prætenduntur, ne attendat quidem; eorum vero, quæ moleſtia afficiunt, terrentque, unum illud remedium ſciat, maternis rurſum viſceribus adhærere. Hæc autem expers humanæ omnis conſuetudinis, ac affectionis nihil inde mota, naturæque neceſſitate ſublimior eam ſe præbuit, ut neſcius voluptatum animus nulla earum rerum caperetur. Ac quamvis diuturna fuit ſeparatio, tamen nihil moleſte illam tulit. Quod vel mundiſſimum pectus adulta jam, &

„ provecta ætate tam vacuum omni cupiditate fuit; „ uti impolluta hæc jam in ipſa infantili erat? „ quæ anima, quæ ratio, quæve mens gravi de-, mum ſenectute ſic perfectionem ſectata eſt, ſic „ imperfecta abjecit, uti hæc prima juventute? „ Dein ad parentes ſermone transgreſſus.

„ Ne illi quidem, inquit, chariſſimi pignoris „ ſejunctionem moleſtius tulerant. Non ſunt com- „ mota paterna viſcera: non illo naturæ ſtimulo „ vulnerati, rurſumque ad puellam converſi, quod „ ſolet, ſaltem deſiderio eam amplexati ſunt: Ni- „ hil vocum necdum ſat diſtinctarum dulcis bal- „ buties revocata in memoriam eorum animos „ perturbavit: non, quibus fruebanter ante, aſpe- „ ctus, convictus, ac ſpeciei informatio inhærens, „ objectaque menti gravius contriſtavit. Neque „ enim perinde moleſtum, ſi bonum aliquod nun- „ quam adfuerit, uti eſt, ſi iterum illud auffe- „ ratur. Quod enim experimento non degu- „ ſtavimus, ejus quidem poſſidendi cupiditas te- „ net: illius autem, quo potiti jam ſumus, amiſ- „ ſio amplius quid ad triſtitiam importat. Ac „ maxime cum caremus iis, quorum impenſior „ cura fuit, longe auctior nobis mœſtitia accedit. „ Et ſane Juſti, ſi quidem ægrius ferre volebant, „ veroſimiliter ita ſe mutuo erant allocuturi, „ Quid enimvero multæ, conſtantesque illæ pre- „ ces nobis contulerunt? quid ſupereſt ex divino „ munere? quid juvit partus? quod ex prole ſo- „ latium? Donum fœcunditatis non in partu, ſed „ conſequenti ætate fructum habet, & levamen „ laborum, & impletio ſpei ſuo tempore exiſtit, „ atque ea de cauſa paternæ benedictionis ſucceſſio „ expectatur. Nobis autem quid reliquum ad „ eam conſolationem, qui poſt immenſum labo- „ rem non niſi obſcuram, atque inanem ſpem „ habemus? Utique pronum erat, ut talia Juſti

loque-

„ loquerentur, ſi humani aliquid paſſi eſſent. „ Verum his omnibus ſuperiores, ac ſi manibus „ tenerent, quam obtulerant Deo, nedum nulla „ emiſerunt verba, mœrorem animi indicantia, ſed „ gratiarum etiam actiones ſincere prætenderunt, „ quod ipſis ejusmodi fructus parentes eſſe, quod „ Deo ſuas primitias ſacrare, quod florem tum „ maxime erumpentem Sanctis Sanctorum inferre „ conceſſum eſſet. O juſtorum acceptiſſimam „ hoſtiam! o oblationem redemptionis mundi pre- „ tium factam! o bonam radicem, ex qua opti- „ mum illud germen prodivit! Quibusnam verbis „ Joachimum, ac Annam prædicem? quibus en- „ comiis velut floribus quibusdam eorum varie „ coronam intertexam? quibus cogitationibus, „ quæ omni facultate cogitandi majora ſunt, „ mirabilia conjectem? „

Eadem oratione devotiſſimam, plenamque fiduciæ ſupplicationem expromit, ita Dei parentem Virginem allocutus:

„ Sed o Deipara! nomen ſupra modum deſide- „ rabile, ne eorum, quæ dicta ſunt, tenuitatem „ contemne. Impenſioris enim ſunt voluntatis, exi- „ gua licet dicendi facultate prodierint. Suſcipe „ ea, nec dedignare, & ſicut dicenti mihi ſer- „ monis copiam ſubin præbes, ita ne preces „ quoque meas rejicias. Siſte ſuffragio tuo bella „ in tuum populum commota: vindica potenti tua „ virtute gregem in te confidentem. Nullum „ auxilio tuo firmiorem armaturam opponimus. „ Unicum eſt, quod illa fortius ſperemus, po- „ tentia ſcilicet filii tui. Quin & ejus ipſius be- „ neficium tibi tribuimus. Cum enim jugiter „ eum offendamus, deſpicabiles manemus, indig- „ nique ſumus, quorum ille curam agat. Tu „ itaque mediatrix accedens illi nos reconcilias; „ tu imitatione ejus benigniſſima facta clementiam

„ immenſam in noſtri miſerationem inflectis, ne-
„ que ceſſas intercedere pro nobis. Plane enim
„ congruum hoc tum ejus bonitati, tum patroci-
„ nio tuo. Idcirco te noſtri generis primitias *
„ aſſumpſit: ut per te diſpenſatione gereret res
„ noſtras, humanæ ſe naturæ obnoxium fecit.
„ Nos a transgreſſione pœnæ eramus obnoxii;
„ ſed & ipſe diſpenſationis, qua nobis clemens
„ conſuleret, debitor eſt factus. Per duo hæc
„ ſumma gratiam efflagitamus: per aſſumptam ex
„ te carnem, & per te loco primitiarum noſtra-
„ rum ei oblatam. Congrua ratione nixa oratio!
„ Expectatio bona! Spes certa, firmaque! Tametſi
„ enim innumerabilis cumulus peccatorum adver-
„ ſatur, & oppugnat, & divinæ clementiæ mu-
„ nera prohibet: nulla eſt tamen delictorum mul-
„ titudo tanta, ut ejus poſſit bonitatem ſuperare.
„ Scimus, quam caduca, & labilis ſit natura no-
„ ſtra: exſuperantem ejus indignitatem novimus:
„ non ignoramus immenſa delicta noſtra, atque
„ eam ob rem te Mediatricem prætendimus. Vi-
„ des univerſam ſpem chriſtiani populi ex te pen-
„ dentem. Fac ergo potentia tua, ut bene illi,
„ ac proſpere eveniat. Nullum aliud perfugium
„ ab inſtantibus malis habet præter inexpugnabile
„ illud auxilium tuum. Principes noſtri ſuam
„ Tibi fiduciam addixerunt: loco univerſorum ar-
„ morum Te opponunt: Te ut ſcuto ac lorica
„ obmuniunt ſeſe: Te coronam gloriæ ubique ſe-
„ cum geſtant: Te Imperii ſui vallum ſtatuerunt:
„ Tibi ſceptra regni crediderunt. Exurge igitur
„ cum virtute magna in conſpectu populi tui, &
„ filii tui inimicos diſſipa; ut ab impio eorum fu-
„ rore liberati lætemur una, & exultemus, tuum-
„ que glorioſiſſimum, ac ſupra modum deſidera-
„ bile nomen magnificantes, Patrem, & Filium,
& Spiri-

* Reſpicit Præſentationem Virginis.

„ & Spiritum ſanctum adoremus in ſæcula ſæcu-„ lorum, amen.„

Idem *oratione*, quæ iſtam antecedit, ſeu *prima de ingreſſu in templum* defixus in myſterio Incarnationis, Deumque in ſinu Virginis conſiderans, ita habet:

„ Tanta illa ruina jacebat natura. Neceſſarius „ erat, qui inſtauraret. Et vero inſtaurata eſt „ non alterius, quam ipſius opera, qui condide-„ rat; quæ nova quædam eſt, ac inaudita reparatio, „ non nudo præcepto, ut pridem habuit creatio; „ ſed diſpenſatione, ac carnis per Dei clementiam „ aſſumptæ Sacramento. Non Angelis reparatio-„ nis ejus negotium, ſed ipſe ſibi, ut in noſtram „ ſe vilitatem demitteret, indulſit. Neque ſatis „ habuit reparare; inſuper & aſſumere illam natu-„ ram noſtram voluit, aſſumptamque in ſede pa-„ terna collocavit. Quid ad ineffabilem illam „ benignitatem, impenſiusque in humanum genus „ ſtudium cogitaverim? Quibus encomiis immen-„ ſam illam in rem noſtram demiſſionem celebra-„ verim? Quibus laudibus virginem, per quam „ ea geſta ſunt, perſequar? Virginem, inquam, „ per quam reparatum figmentum fuit. Quis „ tantus honor poſſit exhiberi, qui exæquet pu-„ ritatem ejus, ex qua, amator factus, ipſe au-„ ctor ædificavit tabernaculum ſuum? in qua ha-„ bitare non renuit? in qua impletum fuit pater-„ num conſilium? in qua Sanctiſſimus Spiritus re-„ quievit? Quænam ei gloria pro meritis reſpon-„ deat, quam Creator ipſe, ſe uno excepto, rebus „ omnibus oſtendit ſublimiorem? O pretium, „ quod valore munus omne exſuperat! O inter „ decora decorum maxime decus! o Deipara re-„ rum pulchrarum ſupremum ornamentum! Tu an-„ tiquæ noſtræ ingenuitatis ruinam partu illo ſu-„ pra naturam reparaſti: Tu primæ imaginis ex-

„ tinctam venuſtatem ad pulchritudinem priſtinam „ reformaſti: Tu parentis primæ triſtes partus tuo „ ipſa partu in fœturam gaudii convertiſti: per „ Te exul humanum genus rediit in patriam; „ per Te immortales paradyſi delicias recepimus: „ per Te receſſit gladius verſatilis: per Te ad oc„ cluſæ beatitudinis gaudia ingreſſus patuit: per „ Te expectationes Prophetarum impletæ ſunt: in „ Te vaticinia eorum optatos exitus habuerunt; „ in Te reſurrectionis noſtræ certa pignora habe„ mus: per Te confidimus nos regnum cœlorum „ conſecuturos. „

Atque ejuſmodi locos complures habet elegantiſſimus hic Scriptor. Nuſquam enim dimittit ſplendorem, vim, numeros, copiam, & quidquid ad animos ſive tenendos, ſive etiam permovendos valet. Maxime vero *Exordia* ejus, plena dignitatis, atque etiam ardentes *Epilogi* placent; quæ ideo præ ceteris notari, & imitando exprimi ab iis velim, quicunque ſive Cœlites, ſive Myſteria Fidei debent celebrare. Verbo dicam, optandum quam maxime, ut vel plura talis viri habere poſſemus: aut tantus ille Criticus, quantus Orator extitiſſet. * Sic enim non dubito, parem nos illi in hoc genere neminem habituros. Sed juvat quorumdam Georgii Sermonum etiam ſingillatim meminiſſe.

Et *Quartus* quidem, qui Georgio Chartophylaci inſcribitur, indubitatus eſt illius fœtus; ſiquidem, ut Allatius oſtendit, ex Chartophylacio ad inſulas Nicomedienſes translatus ſit hic noſter. Com-

* Quod enim in argumenta ea incidit, quorum vix ullum in Hiſtoria veſtigium, neque tum ſolebant homines, maxime Græci dubia a certis, ſpuria a genuinis ſecernere: fieri aliter haud potuit, quam ut fabulas nobis identidem, & ſomnia Apocryphorum enarraret.

Combefiſius in *Notis ad hanc orationem*: *Ut Georgii noſtri*, inquit, *aut alius ſit hæc oratio, luculenta certe eſt, ac diſerta, dignaque, ut juris publici fiat, ac proponatur, uti aliæ Georgii, Mariæ conceptæ laudatoribus; ex qua diſcant, nedum ut exerceant calamum; verum etiam, in quo exerceant* *.

De *Quinto* & *Sexto* Idem affirmat: *Inter omnes autem videri poſſet præcipuus laudator Mariæ in Templo oblatæ noſter Georgius, omnium facile luculentiſſima hac, ac ſequenti oratione.* Et certe ſumma ibi cura, nervus admirabilis, & perpetua jucunditas eſt, ut dolendum ſit vehementer, eos tot apocryphis narrationibus, veluti maculis quibusdam reſpergi.

Oratio *Octava* de Virgine Cruci adſtante nihil habet fabularum admixtum, plena item eſt affectibus, & omnino facta ad commovendum. Sane nullam ſcio hujus argumenti vel a moderno conſcriptam, quæ cum iſta in comparationem poſſit venire. Combefiſius ait: *Videri poſſit hæc oratio aliis Georgii in Mariam multis partibus potior: qua jam non librum apocryphum, ſed evangelica ipſa verba accuratiſſimus laudator in eam enarrat. Ut quis autem adjiciat animum, viderit Metaphraſtem, ac Nicephorum pleraque ex ea mutuatos, ſiqua egregia in Mariæ illam conſtantiam in Cruce monumentis conſignata habeant.* Leo Allatius *de ſcriptis Georgiorum* ſatis prolixam vocat, & elegantem, laceram tamen & ipſam, qua ſane nihil in eo argumento vidiſſet accuratius, aus gravius. Addit, adnotaſſe in ejus principio neſcio quem: *Eſt autem & hæc oratio præſtantiſſima.* Denique cum propter ſtylum, tum tractandi modum abjudicatam

X 4 Geor-

* Genuinum hic iis infigere videtur, qui Conceptionem Virginis immaculatam propugnant.

Georgio, Pſello vindicat. Eandem orationem alii etiam, quotquot de Deiparæ doloribus paulo accuratius ſcribunt, citare ſolent, exſcribere, & modis omnibus commendare.

Nonam quoque orationem Combefiſius *egregium plane* vocat *viri diſertiſſimi, ac Mariæ devotiſſimi monumentum.* Verum in hac uti candorem, & elegantiam mirere, ſic pondus rurſum ac firmitatem deſideres.

Ceteras, quas præterivi, etſi laudem & ipſæ habent: tamen ſi rem potius, quam verba conſidero, minime auſim cum ſuperioribus illis exæquare.

Superſunt aliæ duæ Georgii orationes, hactenus non editæ, *Encomium* ſcilicet *in Sanctos Zachariam, & Eliſabeth*, quod extat in Bibliotheca Cæſarea Viennæ: ac *Homilia in Hypapantem*, quæ in Bibliotheca Coisliana ſervatur. Teſtes ſunt oculati, de prima Lambecius *Commentar. VIII. pag.* 212. de ſecunda Montfauconus in *Biblioth. Coisli. pag.* 423.

Clauſula

Cum hujus, tum ſuperioris Libri.

Vidimus multos Patrum, Græcorum ac Latinorum vere fuiſſe eloquentes. Et tamen quam multa, quamque divina eorum opera vel latent hodieque, vel quod eſt triſtius, omnino interciderunt! Neque enim hic mentitus eſt Oudinus *, cum multa dicit in MSS. abdita, impreſſis multo potiora. Quid ſi addas tot alios Patres, quorum de eloquentia nihil fere, præter teſtimonia, ſupereſt? Ingentem eorum Indicem ſolus Hieronymus pertexuit. Ubi vero reliqui, longe plures, qui fugerunt memoriam, vel ſequentibus primum ſæculis

* *Præfat. in Supplement. Bellarmini de Scriptorib. Eccleſiaſt.*

culis floruerunt? Quæ omnia expendentibus nobis, juvat cum Venerabili viro Ludovico Granatenſi ita concludere: *Horum autem eloquentiſſimorum Patrum, aliorumque exemplo, ut hoc obiter admoneamus, intelligere licebit, nequaquam Rhetoricæ artis præcepta divino ſpiritui obſiſtere; cum utrumque in his viris ſanctiſſimis videamus, qui & Dei ſpiritu pleni, & artis atque eloquentiæ ſtudiis inſtituti artificioſiſſime, & elegantiſſime ſcripſerunt.* *

Sed & illud hic ad calcem ſubjicere oportet, quod Hieronymus paulo ante laudatus Catalogi ejus fronti inſcripſit: *Diſcant ergo Celſus, Porphyrius, Julianus, rabidi adverſus Chriſtum canes, diſcant eorum Sectatores, qui putant, Eccleſiam nullos Philoſophos, & eloquentes, nullos habuiſſe Doctores, quanti, & quales viri eam fundaverint, exſtruxerint, & ornaverint: & deſinant fidem noſtram ruſticæ tantum ſimplicitatis arguere, ſuamque potius imperitiam agnoſcant.* Hoc ipſum, inquam, infidelibus hodiernis iterum oggero, & oggerere non ceſſabo, provocans eos, ut ſi viri ſunt, ſiſtant ex ſuis aliquem, cujus ſive doctrinam, ſive eloquentiam cum illa noſtrorum committere poſſint.

* *Libro VI. Eccleſ. Rhetor. ſive de rat. concion. C. X.* §. 3.

Adventoria amiciſſimo viro NN.

qui

de eloquentia Dionysii, dicti *Areopagitæ*, Auctoris ſententiam quæſierat.

Quid de Dionyſii facundia ſentiam, requiris? aſtute iſtuc, & pro ſolenni ſcilicet tuo. Quaſi enim neſcirem ego, quantum tribuere Illi ſoleas, quamque multus ſis in legendo, atque ornando eo, occupare ſcriptionem noſtram, & amici judicium corrumpere inſtituiſti. Ideo jam rogas, jam urges, jam minaris, facisque omnia ea, quæ ſolent, qui extorquere aliquid conſtituerunt. Nonne palam ſunt conſilia tua? numquid deprehenſum te vides? Perſonam igitur pone; rogantis, inquam, perſonam; non enim amicorum ſunt armatæ preces; & ſi verbo Hieronymi licet abuti: *Nemo ſic petit, ut minetur* *. Sed Teſtimonia, quæ operoſe ex Græcis quibusdam congeſſiſti, expendi a me cupis. Horum *primum* adduxiſti ex credito Chryſoſtomo *homil. de Pſeudoprophetis*, ubi ille Dionyſium *Volucrem cæli* vocat, haud dubie ad ſublimitatem ejus, & eminens quoddam dicendi genus reſpiciens. *Secundum* ex S. Andrea Cretenſi in quadam *de Deipara oratione.* Hic enim jam *Sublimem illum divinorum interpretem*, jam *ſublime volantem cælorum aquilam*, jam *beatam plane ejus linguam* dicit, *verba hujusmodi prolocutam. Tertium* ex Joanne Damaſceno **, qui eundem *divinum Areopagitam*, *ſanctiſſimum, & eloquentiſſimum Dionyſium, divinis in rebus conſiderandis*, *& explicandis excellentiſſimum* appellat. *Quartum* ex Photio *codice* 231. in

* In *Vita Pauli primi Eremitæ.*

** Locos hos duos, quia rite non annotaſti, adhuc requiro; ſed tu per otium id melius videbis.

in quo ſic dicit: *Dionyſius ille ſermone quidem magnus, ſed major contemplatione:* ſeu, ut Schotti verſio habet: *Dionyſius copioſus quidem verbis, copioſior tamen ſpeculatione.* *Quintum* ex Simeone Metaphraſte in *vita.* *Quod autem ad linguam* (ejus) *pertinet, etſi prius non in iis, in quibus oportebat, philoſophice tamen, & attice, multoque cum diligentia erudita fuit.* *Sextum* ex Nicephoro Calliſto *Libr. II. Hiſtor. Eccl. cap.* 20, iſtud aſſerente, illum *ſcripta ſublimia rerum divinarum contemplatione, ſententiis, & elocutione admiranda prorſus, & excellentia, longeque ab iis, quæ pro hominum captu edita ſunt, diſſita compoſuiſſe.* Locos hos, ut verbis tuis adſcripta ſunt, probe expendi. Scias tamen, ne ſic quidem in animum induxiſſe me, uti de Doctoris hujus eloquentia diſſererem. Quid, ain', ergo negabis illam? Minime gentium id quidem; ſed quod delicata res eſt, inter partes arbitrum agere. Invidiam vereor, eoque majorem, quod Græcorum multi ſunt citra controverſiam eloquentes, quos tamen vel invitus debeo præterire. Uti igitur nihil de Athenagora dixi, nihil de Gregorio Thavmaturgo, nihil de Amphilochio, de Æenea Gazæo, de Baſilio Seleucienſi de Sophronio, de Andrea Cretenſi, de Theodoro Studita, de Germano, ac Nicephoro Patriarchis, nihil de Photio, de Metaphraſte, de Theophane Cerameo (quo ſcilicet aliis locum facerem, magna cura ſelectis) tanto magis Dionyſium tuum, nunquam extra contentiones poſitum, ſed neque pro populo factum, omittendum putavi. Et fieri id potuiſſe, exclamas, ut de ſtylo ejus iniquius aliqui exiſtimarint? Sed ut ſunt humana, noſti, in his præcipue rebus quemlibet loqui, uti magis affectus eſt. Neque ſoli Acatholici, ſoli intemperantes Critici, ſed ex noſtris quoque non pauci, iidem & græce docti, & multa moderatione, varia in dictio-

dictione Dionyſii reprehendunt. Diſplicet * Platoniſmus quidam perpetuus, œſtrum poëticum, oratio nihil habens nativi, ne dicam primo ſæculo uſitati, ſed turgida illa, involuta, ſcatens inanibus verbis, illaque etiam affectans, quæ, ampliſſimo licet ſono, diſtinctum nihil, & expectatione dignum ſignificant. Mitto cetera, ne ſtomachum tibi moveam. Quod ſi & iſta fers molliter; quo uno quidem dolorem lenias, & quo gratius præſtare nil poſſim, quædam tibi fors incognita, in favorem Dionyſii recitabo. Dices, ſat ſcio, oſtendere velle me, quod & tua illa, & longe plura, jam ante in numerato habuerim. Sed dicito per me, quidquid libet; non curo facetias tuas, quibus in ipſo ſæpe beneficio maleficium requiris. Sufficit, teſtimoniis teſtimonia eſſe reddita, & quod, invito obtruſiſti, volenti quam maxime, imo cupienti pleniſſime compenſatum.

S. Maximus in *Eccleſiaſt. Myſtagog. cap.* 1.

Summam Dionyſio *de rebus divinis altiloquentiam*, & mox diſtinctius, *orationem eorum, quæ mente comprehendiſſet, accuratiſſimam, & perfectiſſimam interpretem* tribuit; in qua, ut explicat, res captu omni ſuperiores velut in ſpeculo puriſſimo elucerent, atque ita in lectoris mentem reflecterentur.

Menæa Græcorum *ad diem* 3. *octobr.*

Dionyſium vocant *divinum oratorem, ſanctum ſupra cœleſtes elevatum fornices, qui cœlitum ordines & exercitus, & ſplendores ſublimitate ſermonum, & interpretatione ſapientiſſima cunctis manifeſtaſſet.* Addunt: *Verborum ipſius vocem, quaſi ſonum quemdam cœleſtem vehementem, impias mentes ſermone gratiæ attonuiſſe, & clariſſimis divinorum documentorum fulgoribus corda fidelium colluſtraſſe: vitam ejus eſſe mirabilem, ſermonem mirabiliorem: linguam pellucidam eſſe, os ignem ſpirare.*

Micha-

* Aliorum judicia refero.

Michael Syncellus, ſeu Syngellus in *Encomio S. Dionyſii.*

Hic eſt, qui non ſolum omnia diſſerendi ſcientiæ ornamenta complexus eſt, Stoicorum, & Epicureorum, ceterorumque Philoſophorum doctiſſimus, & attice, & literate loquentium facundiſſimus, idemque eruditiſſimus, Rhetorum eloquentiſſimus. Infra autem: *O linguam*, clamat, *rebus divinis explicandis, ſacriſque pandendis maxime neceſſariam, quæ recondita hæc, & arcana myſteria planiſſima nobis effecit! Vere, ut divinum habet eloquium*, Calamus Scribæ Velociter Scribentis *appellata eſt. O Clariſſimam mentem! quæ hujusmodi cogitationes, quæ omnem ſenſum, atque ſermonem antecellunt, edocta eſt, & divinibus illuſtrata! Quæ enim mens acutiſſime, & divine perſpiciens, non omnem hæreticorum infenſiſſimam contemnet aciem, in breviſſimis divinorum horum verborum præſidiis proſtratam, atque conſumptam, tanquam multitudinem inter moleſtiſſimas quasdam vulneratorum voces, ſanguine, pulvereque fœdatam?*

Suidas in *Lexico* ſeu *Collectaneis*,

„ Dionyſius Areopagita, Epiſcopus Athenienſis, vir eloquentiſſimus, atque ad profanæ diſciplinæ faſtigium provectus, auditor Pauli in chriſtiana Religione, ac ab ipſo Epiſcopus Athenarum conſtitutus: in patrio autem græcarum diſciplinarum ſtudio omnibus præcellebat; nam cujuslibet, ut ita dicam, quæ ab ipſis celebrabatur, ſectæ peritiſſimus erat. . . . Porro ejus ſapientiæ, & eloquentiæ accurata demonſtratio eſt, eximia & ſingularis ſcriptorum ab eo librorum elocutio. Ea enim, quæ ab externis nomen accepit, diſciplina, & divina atque noſtra multam in utraque conſecutus eſt ſcientiam. Si enim aliquis ad ſermonum ejus decora, & cogitationum profunditatem aſpexerit, ea humanæ

„ natu-

„ naturæ fœtus minime putabit, ſed cujusdam in-
„ comparabilis, ac divinæ virtutis. „ *

Leo Allatius in *Diatriba de Joanne Damaſceno & ejus ſcriptis* apud Lequienum editorem Damaſceni:

Loquens de Nogarola, qui in *Præfat. ad Clementem VII. Papam, ſtylum* Damaſceni cum ſtylo Dionyſii compoſuerat. „ Quis vero absque ſtomacho, & æquo animo ferret, utrumque opus *de Fide* nempe *orthodoxa*, & hoc *de Defunctis*, ſimili oratione, ac ſtylo, atque ad magni Dionyſii Areopagitæ elocutionem proxime accedere? Libri de fide orthodoxa graves ſunt, divini ſunt, non ſunt elingues, aſſurgunt quandoque, & nutantem excitant, & hærentem firmant, & adverſarium quam evidentiſſime & admodum robuſte concutiunt: Sed quid hæc ad Areopagiticam majeſtatem, dignitatem formarum, granditatem elocutionis, compoſitionem nominum, celſitudinem ſententiarum? Grandis eſt, ſublimis, & eloquens, dummodo ad Dionyſium non referas, Damaſcenus: Si cum eo compares, quamvis valide, & acute, repit tamen, & ut in ſcholis, fluit, & docet. Quare in hoc judicium Nogarolæ cæcutit omnino. „

Audiſti Græcos, Dionyſii eloquentiam extollentes, nunc & Latinos audi, non multos illos quidem, ſed delectos, & quam maxime idoneos ad teſtandum.

Anastasius *Bibliothecarius* in *Præfatione* Operum Dionyſii *ad Carolum Magnum*

Tantum eſt, ut ipſe patentius noſti, ad intelligendum difficilis, quantum ſermone ſublimis; imo quanto

* Wolfii verſio Suidam hic mutilum exhibet. Ego Lanſſelium ſecutus ſum; nam ut iſte in græco legit, ſic Tilemannus quoque, Delrio, Halloix, & Raynaudus eum locum repræſentant.

quanto ſunt difficilia intellectu, & alta myſteria, quæ ipſe perſcrutatus ſuperna revelante gratia didicit, & arcana Theologiæ divina ſe ducente manu ingreſſus in Sanctuarium Dei ablato velamine penetravit.

Hugo Victorinus in *Annotat. Elucidationis in Dionyſium Areopagitam ad calcem Tomi I.*

Ea, quæ de Seraphinis a Beato Dionyſio ſcripta ſunt, angeli potius verba putat, quam hominis.

Dionysius Carthusianus *Sermo 4. de Sancto noſtro.*

Scripſit pulcherrimos, ac profundiſſimos libros, in quibus difficiliorum Scripturarum Loca elucidavit: qui libri inſtar pulcherrimorum aſtrorum in tota micant Eccleſia, omniumque acuunt, clarificant, vincunt, elevant, & accendunt ingenia.

Marsilius Ficinus *Præfat. in Librum de divinis nominibus.*

„Dionyſii Dei numen Theologi veteres, & Platonici ſeparatarum mentium extaſin, & exceſſum eſſe putant, quando partim amore nativo, partim inſtigante Deo naturales intelligentiæ limites ſupergreſſæ, in amatum Deum mirabiliter transformantur; ubi novo quodam nectaris hauſtu, & inæſtimabili gaudio velut ebriæ, ut ita dicam, debacchantur. Hoc genus dionyſiaco mero Dionyſius noſter ebrius exultat paſſim, effundit ænigmata, concinit Dithyrambos. Itaque quam arduum eſt profundos ejus ſenſus intelligentia penetrare, tam difficile miras verborum compoſitiones, & quaſi orphicum dicendi characterem imitari, ac latinis præſertim verbis exprimere. Idem profecto ad id facile conſequendum neceſſarius omnino nobis divinus eſt furor.„

Eras-

Erasmus Roterodamus *Libro* I. *Antibarbarorum ad finem*

Dionyſium, inquit, quanta doctrina, quantaque fuerit eloquentia, ipſum ſibi eſſe teſtem. Et in *Reſponſ. ad Cenſuram Facult. Theol. Pariſ. n.* 91. magnum aſſerit Dionyſium poſſe dici, etiamſi non ſit ille Pauli diſcipulus. Unde vero, niſi ob librorum præſtantiam, & divinitatem?

Jacobus Billius Prunæus

Dicere ſolebat, hoc opus Areopagitæ Dionyſii, hunc ſtylum adeo eſſe θεόπνευςτον, atque divinum, ut ſi quotquot in Europa ſunt acerrimo ingenio, & gravioribus ſcientiis imbuti, in unum coëant, & ſimile quidpiam meditentur, vix omni animi contentione, atque viribus ſint tantam altitudinem, atque præſtantiam imitando conſecuturi. Quod acroama ex ore tanti viri exceptum Richardus Stephanus, Doctor Theologus Petro Lanſſelio narravit. Idem *Obſervat. ſacrar. Libro I. cap.* 23. Nazianzenum Dionyſii aſſiduum lectorem, & imitatorem ſtudioſum arguit extitiſſe.

Sixtus Senensis in *Bibliotheca Sancta Catalogo priore.*

Divinæ, & in myſteriis abſconditæ ſapientiæ admiranda volumina græco, & ſublimi eloquio doctiſſime conſcripſit.

Isaacus Casaubonus

Eodem teſte Lanſſelio ita ſæpe de Dionyſii ratione ſcribendi prædicat, ut micantis undique excellentiæ magnitudine, atque cothurno, & dithyrambicis ampullis obſtupefactus videatur.

Cardinalis Baronius *ad annum* 109.

Immortalem, ait, ex ſuis divinis plane Scriptionibus gloriam comparaſſe ſibi Dionyſium.

Martinus Delrio in *Vindiciis Areopagiticis*

Si ſtylum, inquit, *aſpicis, nihil illo ſublimius nihil antiquitatem, & ævum Apoſtolicum, & philoſophiæ*

phiæ ſacræ energiam æque ſpirat. Nec negant adverſarii. Methodus ſimplex eſt, & quali priores illi Scriptores Eccleſiaſtici utebantur, myſticam Theoriam practicæ commiſcens, plus artis occultans, quam præ ſe ferat. Si materiæ dignitatem, & Theologicæ tractationis ſublimitatem, profunditatem, myſteria abditiſſima perpendas, invenies eſſe doctrinam revelatam, cæleſtem, verbis grandibus æqualem, & Pauli diſcipulo digniſſimam.

Petrus Lansselius in *Diſputatione Apologetica* & ſuæ, & Corderianæ editioni adjuncta, Dionyſium vocat virum ſanctum, ingenioſum, moderatum, in Theologia ſummum, qui myſteria ceteris hominibus arcana viderit, ſapientiæ fontes aperuerit, cœleſtium rerum admirabilitatem magnifico genere orationis, & plane divino explicarit. Et Infra:

„ Quid eſt, ut magnopere mirandum eſſe videatur, ſi noſter Dionyſius ea ingenii ſubtilitate, „ quod, ut verbum a Poëta mutuer,

Tenues limarant Athenæ,

„ ea inſtitutione, atque doctrina, quæ clariſſimum „ illud domicilium literarum ſaperet, iis dotibus „ uſus, quæ a tertio uſque cœlo devocatam cœleſtium rerum cognitionem in ejus animum inſtillaſſent, cum maxime religio, & divinus amor „ ejus animi inflammationem exſuſcitant, ſi Dionyſius, inquam, Sapientum Athenienſium primitiæ, in eo ardore pietatis, delibutus liquido „ gaudio, & voluptate, qua divinæ mentis illapſu „ perfruebatur, humum deſeruit, extulit ſe ſupra „ ſe, verba ad animi dominantem affectionem accommodavit, nova, & inuſitata dicendi ratione „ evolavit altius, quam nos humi ſtrati queamus „ ſuſpicere. „

Ac rurſum:

„ Nemo miratur, cum Platonem videt, Socra-
„ tem, aliosque in *Convivio*, cum probum lau-
„ dant, ſpeciosis amoris involucris redimitum,
„ incitari mente, ſtylo aſſurgere, ἐνθουσιασμὸν pati,
„ furere, vaticinari, βακχεύειν: hanc animam di-
„ vini amoris igne colliqueſcentem, Deo plenam,
„ ſupra res omnes aſpectabiles amoris alis evectam,
„ divinæ bonitatis vim, varietatem, mirabiles, &
„ inexplicabiles machinationes canentes, novo, &
„ ſingulari genere dicendi attollentem non feramus?
„ Id, qui volet, tribuat excellentiſſimi Dionyſii
„ genio, & conſilio, qui cum eſſet a natura non
„ modo ad ſingularem animi conſtantiam, & gra-
„ vitatem, verum etiam ad magnificum & illuſtre
„ genus dicendi inſtructus, in myſteriorum iſta ex-
„ plicatione, aliquid etiam ad conſuetudinem ad-
„ jecerit ornatus, & magnificentiæ, ne a profanis
„ hominibus facile attingeretur. Ego vero ſic
„ ſentio, divini Numinis imperio, & motione
„ hæc ab eo fuiſſe perſcripta. Deus profecto re-
„ rum omnium opifex, qui illo ævo, rara quæ-
„ dam, & inuſitata patrabat, Dionyſii mentem,
„ atque linguam habuit pro calamo Scribæ velo-
„ citer ſcribentis. Illius ductu, atque lumine
„ non politiam modo omnem chriſtianæ religio-
„ nis, verum etiam cœleſtium Mentium Ordines
„ peragravit. Ille ſpiritus, qui Dionyſio con-
„ ceſſit, ut indicta ceteris, inauditaque pangeret,
„ verba etiam, & mirificum orationis contextum,
„ quo illa ipſa exponeret, ſuppeditavit. „ Plura
in eam rem habet etiam verſus finem ejusdem
ſuæ diſputationis.

Leonardus Lessius in *Epiſtola ad Lanſſelium.*

Quod ad elocutionem attinet, eam quoque angeli-cam potius dixeris, quam humanam; adeo ſublimis eſt; nimirum ut conceptionum ſublimitatem orationis ſublimitas exæquet. Et cum non tam ad unum,

quam

quam mille alia exempla provocaſſet, non coacta, non laborioſe quæſita, ſed ſponte ex altiſſima contemplatione fluentia, ita pergit: *Legi Sanctum Auguſtinum de Trinitate, & multa S. Gregorii cognomento Theologi opuſcula, & aliorum Patrum doctiſſimos Tractatus, nemo tamen ex illis viſus eſt mihi Dionyſium vel doctrinæ ſublimitate, vel dicendi majeſtate æquare.*

NICOLAUS CAUSSINUS *de Eloquentia ſacra, & humana Libro XIV. cap.* 17.

Per Deum immortalem! quis decem oratores atticos cum uno Athenienſium cive, Beato, inquam, illo ſene Areopagita comparare audeat? Et *Libro XV. poſt initium. Quaſi aquila in puriſſimum ætheris locum volucribus pennis ſubnixus neſcio quid humana voce grandius loquitur, quod æternæ Mentis, & Angelorum ſapit commercium. Libro XVI. cap.* 6. Ubi locos præſtantes ex Libro *de divinis nominibus* adducit, majorem, ait, incipere videri, nec mortale ſonantem: & verba ipſa divinum quemdam furorem ſpirare eloquentiæ. Additque: *Ego græca intelligentibus loquor; neque enim illa vis verborum ſatis commode latinis auribus poteſt explicari: & puto, multum Dionyſio detrahi, quoties latine redditur ad verbum.* Et rurſum: *Num videtur, hic de Deo, & pulcherrimo ejus opificio verba faciens quaſi aquila ex hominum conſpectu ſubductus contentiſſimo volatu ſe in altas nubes induere, & illic inter fulminum jactus, inter nives, & grandines ludere, mox inter ſtellas ſpatiari? Verum ubi Triadem illam ſpeculatur, ubi de Verbo divino diſſerit, & myſteriorum divinorum majeſtatem depingit, non jam eſt aquila, ſed angelus quiſpiam loquens e turbine, aut ut Elias igneo curru devectus ſupra nubes, & pluvias, & ventos, & quidquid mortale eſt, audaciſſimo niſu conſurgit.*

PETRUS HALLOIX in *Vita S. Dionyſii cap.* 13.

„ Ad Deum aſſidue aſpirabat, aſcendebat, adhæ-
„ rebat, totusque quodammodo Dei effectus (quod
„ apprime ad divina percipienda neceſſarium ſcriptis
„ ſuis edocuit) ea, quæ paucis noſſe datum eſt, vi-
„ debat, audiebat, imbibebat, atque ad alios, qua-
„ qua poterat, verborum grandiloquentia (nolebat
„ enim res tantas verbis vulgo obviis deterere)
„ efferebat. Quippe nimis profanum, & irreligio-
„ ſum eſſe ducebat, res a communi, & vulgari
„ hoc ſtatu tam ſemotas, tam diverſas communi-
„ bus, ac vulgaribus enuntiare vocibus: atque
„ adeo ad honorem, & exiſtimationem Dei, re-
„ rumque divinarum hoc ſpectaae judicabat, ſi
„ verbis, quam poſſet, magnificentiſſimis ea, quæ
„ omnem tranſcendunt magnitudinem, quadante-
„ nus repræſentaret. Hinc voces novas, & ſua
„ compoſitione eximium quiddam, atque omni
„ creato faſtigio altius, atque auguſtius deſignan-
„ tes, infinitis, atque incomparabilibus Dei perfe-
„ ctionibus explicandis efformavit, quas homines
„ quidam leves, & audaculi partim ignoratione,
„ partim malevolentia deteriorem in partem inter-
„ pretati, maluerunt ſtyli, & eloquentiæ affecta-
„ tioni bene, prudenterque dicta attribuere, quam
„ dignitati rerum, atque majeſtati aſſignare: quod-
„ que eſt deterius, auctoris potius cavillari verba,
„ & calumniari ſermonem, quam & dicendi ge-
„ nus admirari, & dicentis revereri pietatem. Aſt
„ ego quidem prorſus e contrario illa ipſa ab eo-
„ dem ſpiritu verba ſuggeſta eſſe certo ſcio, &
„ credo, a quo & res oſtenſas non dubito. „

Plura habet idem in *quæſtione* 2. *de vita*, *& operibus S. Dionyſii Areopagitæ.*

Cornelius a Lapide in *caput XVII. Actuum Apoſtolorum.*

Sublimes illos libros ſcripſit de cæleſti, *& Eccleſiaſtica Hierarchia*, *de divinis nominibus*, *de myſtica Theo-*

Theologia &c. in quibus cœleſtem Angelorum civitatem, Deique attributa ita graphice deſcribit, ac ſi ea in cœlis oculis ſpectaſſet. . . . Sane ipſa eorum profunditas, eloquiique ſublimitas, & majeſtas, quæ omnium Theologorum, Patrumque ſcripta tranſcendunt, auctorem indicant, virum fuiſſe Paulinum, & divinum.

Natalis Alexander *Sæcul. I. Diſſert.* 22.

Dionyſii, inquit, *Areopagitæ Libri ſtylo magnifico conſcripti ſunt, ac dignitati, majeſtatique rerum, de quibus agit, reſpondente.*

Taceo complures alios non ſolum Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Scriptores, & Criticos, ſed ipſius Dionyſii ex profeſſo Apologiſtas, uti Franciſcum Picum in *Epiſtola Apologetica*, quæ in Editione operum, quemadmodum alia opuſcula, minime extat: Joannem Picum *Libro de Ente, & uno:* Joannem Noviomagum in *Apologia:* Matthæum Galenum in *Areopagiticis* ſuis: Franciſcum Feuardentium in *Appendice ad Caſtrum:* Joannem a S. Franciſco in *Apologia* ejusdem argumenti, gallice ſcripta: Laurentium Cozzam in *Vindiciis Areopagiticis:* Vincentium Houdry in *Biblioth. Conc. Tom. III. Paneg.* de hoc Sancto: *ſ.* 2. & 5. Item concionatores quosdam alios ex Gallis: Petrum Joſephum Cortaſſe in Verſione gallica Libri *de divinis nominibus* 1739. An vero etiam Diſſertatio gallica, de qua Trivultienſes 1702. *in Aprili*, de dictione Dionyſii agat, non poſſum dicere; neque enim ad manus illa meas aliquando pervenit. Ex ipſis adeo adverſariis eloquentiam Dionyſii miram, & admirabilem non pauci attollunt: imo hæc maxime quibusdam impoſuit, uti ab alio, quam temporum eorum æquali profecta ejus opera exiſtimarent. Forte etiam nova quædam protrahent Bollandiani *ad diem IX. Octobris*, cujus Acta tomo proximo avidiſſime in dies expectamus.

 Atque

Atque hæc habui, o carum caput, quæ reponerem literis tuis, ſtudioſe cum ex Tomo II. Corderii, tum ex *Adverſariis meis* collecta. Docebunt illa, & quæ eſſet omni ætate exiſtimatio eloquentiæ Dionyſii, & quis ei in ſcribendo character proprius, ac peculiaris. Delectum inter opera non inſtituo; ſed neque ab alio quopiam video inſtitui: contra admonent nonnulli diſertis verbis, omnia ejusdem ſpiritus, ſaporis, & ſublimitatis eſſe. Equidem ipſe noſti, capita ſingula eorumdem ſæpe librorum neque parem ſemper copiam, neque excellentiam habere. Verum id ratione materiæ accidit, neque in Dionyſio tantum, ſed in omnibus ſacris æque, ac profanis auctoribus obſervatur. Reſpice titulos cujusque libri, & continuo videbis argumentum aliud alio gravius, atque uberius eſſe; atque ideo in uno ampliorem, quam in altero facundiæ campum aperiri. Quo vero facilius intelligi quædam poſſint, percommodum, ne dicam neceſſe eſt, Corderii obſervationes generales, ſynopſesque capitum, aut ſaltem Nourrii in *Apparatu* analyſes expendiſſe.

Quod ſi iſta ſunt infra expectationem, minusque ſapiunt, abjice, quo volueris: ſi vero probantur, & placent, cum commodum erit, ad me remitte; forte enim ceteris, quæ prælo nunc maxime paramus, ſubjici, aut appendi poſſunt. Vale, meique, ubi ubi fueris, memoriam ne depone. *Auguſtæ Vindelicorum* 14. *May* 1772.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Servus in Chriſto

Joſephus Weiſſenbach.

Errata in Libro III.

Pagina :	Linea :			
13	20	& poneret	*Lege :*	vel poneret
28	4	tam pari,		tam puri,
35	18	Doncinus		Doucinus
41	7	DONOPATER		DOXOPATER
62	3	neceſſarium, inſtitutum		*dele comma.*
69	2	proprius		propius
73	17	*ſubmoleſte*		*ſubmoleſta*
78	25	διλακτικὸς,		διδακτικος,
92	25	malum omnem		malum omen
128	24 & 25	a Cardono ſoluto ſtylo eleganter reddito,		*deleantur iſta.*
ibid.	penult.	*Tom. VI.*		*Auctar. ult.*
ibid.	Not. *	Sororius		Affinis
129	3	Cabaſilam,		Cabaſilam,
144	21 & 22	*Epiſtolas* Nyſſeni &c.		*dele usque ad :* Quid vero?
163	7	imaginius		imaginis,
165	10	proxilior,		prolixior,
168	13	ego		ergo
170	31	*Libro I.*		*Lib. V. Hiſtor.*
177	30	ponum		pronum
197	12	volunt oratoribus;		volunt ab oratoribus ;
204	16	*Bellagum*		*Bellajum*
234	32	aſſerit		*dele.*
249	15	*Hicrbertum*		*Heribertum*
280	21	*ditioni*		*editioni*
291	35 & 36	*Eraniſta*, ſeu *Polymupho*,		*Eraniſte*, ſeu *Polymorpho*,
315	29 & 30	auctorum		Actorum
331	14	adſcripta		adſcripti

Digitized by Google

4-1